

THOMAS  
THEOLOG

TOMI  
LV

UNIVERSIDAD DE EXTREMADURA

TS-2394-4







TS - 2394 - 4

b15547656 (Digital)

b14111846

c1454958x

UNIVERSIDAD DE EXTREMADURA



1 202000 484579



1044575  
THEOLOGIA

UNIVERSA

AD USUM

S. THEOLOGICÆ

CANDIDATORUM.



*Auctore R. P. THOMA, ex Charmes, Provinciæ  
Lotharingiæ Capucinatorum Definitore, Custode  
Generali, necnon antiquo Sacræ Theologiæ  
Professore.*

---

EDITIO QUARTA.

---

TOMUS IV.

*De Actibus humanis, Conscientiâ, Legibus,  
& Obligationibus variorum Statuum.*



NANCEII,

Apud Viduam & CLAUDIUM LESEURE, Regis  
Typographum.

---

*Cum Approbationibus, & Privilegio Regis. 1765.*



THEOLOGIA

UNIVERSITATIS

MADRIDENSIS

SCIENTIARUM THEOLOGICARUM

CANDIDATORUM

ANNO DOMINI MDCCLXXXIII  
MADRID, Apud Joannem Iacobum  
Calleja, Typographum

EDITIO QUARTA

TOMUS IV.

De libris hæreticis, Confessione, Legibus,  
& Oblationibus veterum Sæculorum.



MADRID

ANNO DOMINI MDCCLXXXIII

Ex Officina Typographica





# TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

**H**UJUS Tractatûs duæ erunt Differ-  
tationes ; 1<sup>a</sup>. De Actibus humanis  
secundùm se ; 2<sup>a</sup>. De Conscientiâ ,  
quæ est regula interna actuum hu-  
manorum.

---

## DISSERTATIO I.

*De actibus humanis secundùm se.*

*Nota :* **C**Um omnes nostræ actiones fiant  
propter finem , agemus hîc , 1<sup>o</sup>. De  
fine ; 2<sup>o</sup>. De naturâ ; 3<sup>o</sup>. De moralitate actuum  
humanorum.

---

## CAPUT PRIMUM.

*De fine actuum humanorum.*

*Nota* **F**inis definitur , *id cujus gratiâ aliquid fit.*  
1<sup>o</sup>. **D**icitur 1<sup>o</sup>. *id* , id est bonum aliquid  
sivè verum , sivè apparens , cùm voluntas non  
possit amare malum , quâ malum.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *cujus gratiâ* ; id est ; cujus amore  
& fruendi desiderio agens operatur.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *aliquid fit* ; id est , assumitur me-  
dium , quod ad finis affecutionem inservire posse

MORAL. Tom. IV.

A

judicatur; ex quo patet finem esse primam omnium causarum.

1<sup>o</sup>. Dividitur in finem *qui*, *qui* & *quo*.

Finis *qui*, est objectum, quod per media consequi intendimus; undè dicitur etiam finis objectivus.

Finis *cui*, est suppositum, cui appetitur finis *qui*: sic proximo appetitur sanitas, beatitudo.

Finis *quo*, est actio, quâ finis *qui*, seu objectivus, possidetur; sic Deus est finis objectivus hominis, visio beatifica est finis *quo*, seu formalis.

2<sup>o</sup>. Dividitur in finem *operis*, & finem *operantis*.

Finis *operis*, est res illa, ad quam opus ex se ordinatur, sic sublevatio pauperis est finis eleemosinæ; vocatur etiam finis intrinsecus, quia est idem cum ipso objecto.

Finis *operantis*, est ille, quem sibi proponit operans; sic finis dantis eleemosinam, est aliquando vanitas, aliquando aliquid aliud; vocatur etiam finis extrinsecus.

3<sup>o</sup>. Dividitur in finem *ultimum*, & *non ultimum*.

Finis *ultimus*, est is qui ita intenditur, ut in eo sistatur.

Finis *non ultimus*, est is qui ita intenditur, ut ad ulteriorem finem referatur; sic pharmacum intenditur propter sanitatem; vocatur etiam intermedius.

4<sup>o</sup>. Finis *ultimus* dividitur in *respectivè ultimum*, & *absolutè ultimum*, seu *ultimatum*.

Finis *respectivè ultimus*, est is qui ita intenditur, ut in certo rerum ordine ulterius non referatur.

Finis *ultimatus*, est is ad quem omnia referun-



DE ACTIBUS HUMANIS. 5  
tur, ipse verò ad aliud referri nequit; talis est  
solus Deus.

*Nota* 2°. Multa de fine in communi, quæ in  
Philosophiâ pertractari solent, hîc prætermitti-  
mus, ut ad ulteriora progrediamur, & paucas  
difficultates resolvamus; 1°. De fine ultimo in  
communi; 2°. De beatitudine, quæ est verus &  
ultimus finis hominis; ideò fit

## Q U Æ S T I O P R I M A.

*De fine ultimo hominis in communi.*

**H**ic tria quærentur, 1°. An & quot sint ef-  
fectus finis? 2°. An quidquid deliberate  
vult homo, illud velit propter finem ultimum?  
3°. An homo possit agere propter plures fines  
ultimos? Tribus Articulis.

### A R T I C U L U S I.

*De effectibus finis.*

*Nota:* **E**ffectus finis, dicuntur actus, quibus  
voluntas tendit in finem; undè

Quæres 1°. Quot, & quinam sint effectus finis?

*Resp.* Sunt octo, quorum tres, nempe *volitio*,  
*intentio* & *fruitio* versantur circa finem; & quin-  
que, nempe *consilium*, *consensus*, *electio*, *im-*  
*perium* & *usus* versantur circa media conducen-  
tia ad finem.

*Dices:* Imperium non est actus voluntatis,  
sed intellectûs; ergo non est effectus finis.

*Resp. nego ant.* Nam triplex est tantùm actus  
intellectûs, apprehensio scilicèt, iudicium &  
discursus; atqui imperium non est apprehensio,  
ut patet: nec est iudicium aut discursus, nam  
iudicium aut discursus sic exprimuntur: *hoc, vel*

*illud est faciendum*; imperium autem sic: *fac hoc*; ergo non est actus intellectus. Restat ergo, ut sit actus voluntatis, præsupponens actum intellectus proponentis quid agendum, vel omittendum sit; unde D. Thomas ait: *Voluntas movet alias potentias animæ ad suos actus; utimur autem aliis potentiis, cum volumus.* I. 2. q. 9. a. 1.

*Inst. 1º.* Illius est imperare, cuius est leges condere, easque subditis intimare; sed leges condere, easque subditis intimare, pertinet ad intellectum; ergo.

*Resp. dist. maj.* Illius est imperare, præsuppositive, & iecundum quid, cuius est leges condere, *conc. maj.* Illius est imperare, efficienter, & absolute, *nego maj.* & similiter ad conseq. Itaque recta ratio imperat præsuppositive, quatenus est lumen, quod proponit voluntati quid agendum vel omittendum sit; & secundum quid, quatenus voluntatem directive movet, eamque ordinat tanquam regula cui debet conformari; sed voluntas efficienter movet intellectum, eique absolute imperat opus, v. g. meditationem; hinc intellectus habet rationem suadentis, & voluntas habet rationem imperantis ut agatur.

*Inst. 2º.* Saltem consilium est actus intellectus; sed actus intellectus non est effectus finis; ergo consilium non est effectus finis.

*Prob. min.* Actus illius potentia, quæ non movetur à fine, non est effectus finis; atqui intellectus non movetur à fine; ergo actus intellectus non est effectus finis.

*Prob. min.* Quod non habet pro objecto bonum, non movetur à fine; finis enim non movet, nisi per bonitatem; atqui intellectus non habet pro objecto bonum; ergo.



*Resp. dist. maj.* Non movetur à fine, immediate, *conc. maj.* mediate, id est, mediante imperio voluntatis, *nego maj.* Voluntas itaque bonitate finis delinita, imperat intellectui, ut media quibus finem assequi possit, inquiret; ipsumque applicat ad ponderanda, quæ, ex præcogitationis, sint ad finem assequendum aptiora, ipsumque acuit ad confutanda quæ à proposito eam avocare possent.

Quæres 2<sup>o</sup>. *Quem ordinem inter se servant hi omnes actus?*

*Resp.* Servant sequentem;

1<sup>o</sup>. Objecti bonitate voluntati propositâ, statim exurgit *volitio*, seu amor simplex & complacentia, quæ est *actus elicitus voluntatis respiciens bonum ut in se amabile*, abstrahendo ab ejus possibilitate, vel impossibilitate, undè nullum dicit ordinem ad media. Hic actus se solo non sufficit ut agens sibi aliquod bonum actu proponat tanquam finem, quia bonum quod placet, potest considerari ut impossibile, v. g. Regia dignitas respectu plebei: bonum autem, apprehensum ut impossibile, non habet rationem finis, quantumcumque placeat, cum nihil illius obtinendi causâ fiat; undè præter volitionem requiritur

2<sup>o</sup>. *Intentio*, estque *actus elicitus voluntatis, efficaciter & absolutè tendentis in bonum per media consentanea*. Porrò qui efficaciter finem intendit, is statim sollicitè inquiret media quibus obtineri possit; quare!

3<sup>o</sup>. *Consilium*, seu deliberatio sequitur, estque *actus mentis inquirentis media, & ponderantis eorum cum fine proportionem*. Hic actus, est quidem elicitus ab intellectu, sed ab intentione efficaci

voluntatis imperatus, ut suprà dictum est, & ideo est effectus finis.

Porro, monet *Habere* consilium hoc non esse quærendum à peccatoribus, quia, cùm *unusquisque* iudicet, prout affectus est, juxta effatum, & peccatores circa finem ultimum pessimè sint affecti, non aliter quàm secundùm perversum suum sensum possunt respondere; hinc Eccli. 8. dicitur: *Cum fatuis consilium non habeas, non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.*

4°. *Consensus* sublequitur, qui est *actus elicitus voluntatis efficaciter approbantis & acceptantis media ab intellectu, ad finem consequendum proposita.*

5°. *Electio* succedit, estque *actus elicitus voluntatis, quo, ex pluribus mediis per consensum approbatis, unum præ alio liberè ad finis consecutionem amplectitur.*

6°. *Imperium* advenit, estque *actus elicitus voluntatis, imperantis usum mediorum, quæ post debitam deliberationem, electa sunt, tanquam ad finem magis idonea.*

7°. *Usus* procedit, qui activè sumptus, definitur, *actus elicitus voluntatis, applicantis seipsam, vel alias potentias, ad mediū electi executionem: sumptus verò passivè, est ipsa mediū electi executio, estque actus imperatus.*

8°. Demùm exurgit *fruitio*, quæ est *actus elicitus voluntatis, suaviter quiescentis in boni amati possessione.*

Dixi, *actus voluntatis*; quia illa quies, licèt sit cessatio motus quo tenditur in finem, non est tamen cessatio ab omni operatione; est enim vitalis actus voluntatis in possessione boni amati & obtenti suaviter quiescentis.

De his fat conveniunt Theologi , sed aliquaè disputationes de electione & fruitione moventur , quæ ut solvantur , sit

§. I. De Electione.

Quæres 1º. *An possit voluntas è duobus mediis eligere minùs idoneum , relicto magis idoneo ?*

*Resp. affirm.* Quia in tali casu , neutrum medium proponitur ut necessarium , cùm utrumque ad finem deducere possit ; ergo voluntas , quæ est de se libera , potest , relicto magis idoneo , minùs idoneum eligere ; patet experienciã , quã videmus infirmos , quibus ad sanitatem recuperandam proponuntur duo pharmaca , unum præ alio salubrius , sed acerbius , quotidie eligere minus acerbum , salubriori relicto.

*Objic.* 1º. Voluntas non agit liberè , nisi ut est rationalis ; sed si eligeret medium minùs idoneum , relicto magis idoneo , non ageret ut est rationalis ; ergo voluntas non potest è duobus mediis eligere minùs idoneum.

*Resp. dist. maj.* Voluntas non agit liberè , nisi ut est rationalis , id est , nisi præeunte rationis advertentiã & motivo , *conc. maj.* id est , nisi secundùm rectam rationem operando , *nego maj.* & sic distinctã minore , *nego consèq.*

*Inst.* Atqui medium minùs bonum , in concursu mediis melioris , non potest movere voluntatem ; ergo voluntas eligens medium minùs bonum , agit absque motivo.

*Prob. ant.* Malum , quã malum , non potest movere voluntatem ad affecutionem ; atqui medium minùs bonum meliori collatum , est malum quã malum ; ergo.



*Resp. nego min.* Bonitas enim non consistit in indivisibili, undè major bonitas alicujus medi, non tollit bonitatem alteriùs minorem.

*Objic. 2º.* Voluntas non potest eligere medium minùs bonum, nisi repudiet medium melius, cognitum ut tale; atqui voluntas non potest repudiare medium melius, cognitum ut tale: nam voluntas non repudiat nisi malum; atqui medium melius, cognitum ut tale, nec est, nec judicatur malum; ergo.

*Resp. dist. min.* Voluntas medium melius, cognitum ut tale, non potest repudiare, positivè, per odium nempè & detestationem, *conc. min.* negativè, id est, non amplecti, *nego min.* Voluntas enim, quibuslibet positis mediis, remanet libera & indifferens; ergo potest omittere id omne quod sibi proponitur ut bonum privatum, quia nullum bonum privatum ex se, voluntatem necessariò determinare potest, quod solius boni increati est proprium.

*Quæres 2º.* Quid requiritur, ut electio sit recta & honesta?

*Resp.* Requiritur ut medium quod eligitur, sit efficacius & magis idoneum ad finis consecutionem: nam ut electio sit honesta debet prudenter fieri, cùm prudentia sit recta ratio agibilium; atqui ut electio prudenter fiat, debet eligi medium magis idoneum; ergo, ut sit honesta, debet eligi medium magis idoneum, quod est verum præsertim in moralibus.

*Dices:* Consilia Evangelica sunt media magis idonea ad salutem; atqui non peccat contra prudentiam, qui ea non eligit; ergo prudentia non præcipit ut medium magis idoneum eligatur.

*Resp. dist. maj.* Sunt media magis idonea, in se & absolutè, *conc. maj.* relativè ad singulos homines, *nego maj.* Ait enim Apostolus 1. Cor. 7. *Melius est nubere, quam uri. Dist. etiam minorem,* non peccat contra prudentiam, qui consilia evangelica non eligit, cùm ad eorum observantiam non est à Deo vocatus, *conc. min.* cùm est vocatus, *nego min.* Itaque quisque attendere debet id ad quod vocatur à Deo, illudque eligere; aliàs peccat contra prudentiam, si vocationi suæ non respondeat.

Quæres 3<sup>o</sup>. *Utrùm, positâ efficaci & absolutâ finis intentione, electio sit libera, cùm unicum occurrit medium ad finem obtinendum?*

*Resp.* Non est libera in se, sed tantùm in causâ. Ratio est, quia homo non potest voluntate efficaci velle impossibilia; atqui si positâ intentione finis efficaci, nollet eligere medium, quod est unicum, & sine quo finis obtineri non potest, vellet voluntate efficaci aliquid impossibile; ergo non potest homo, suppositâ intentione efficaci finis, rejicere medium unicum, sed ad illud necessitatur.

*Dices.* Voluntas ad exercitium necessitari non potest, nisi à bono increato; ergo est libera in electione unici medii ad finem.

*Resp. dist. ant.* Voluntas ad exercitium non potest necessitari in sensu diviso intentionis efficaci, *conc. ant.* in sensu composito ejusdem, *nego ant.*

*Inst. 1<sup>o</sup>.* Talis necessitas non potest peti, nec à fine, nec à medio, cùm utrumque sit finitum; ergo est fictitia.

*Resp. nego consequ.* Equidem, talis necessitas

non petitur à fine vel medio solitariè spectatis ; sed petitur ex necessariâ connexionè mediï illius cum fine efficaciter intento , qui ita non potest intendi , absque efficaci volitione mediï absolute necessariï.

*Inst.* 2°. Ergo reus non peccat , qui vitæ conservationem efficaciter intendens , nec valens illam aliter conservare quam perjurio , pejerat ; falsum conseq.

*Resp. nego sequelam maj.* Quia perjurium est liberum in causâ , nempè in intentione conservationis vitæ , quam potuit omittere ; libertas autem in causâ sufficit ad meritum , vel demeritum.

### §. II. De Fruitione.

Quæres 1°. *In quo actu consistat fruitio propriè dicta ?*

*Nota.* Ad fruendum aliquâ re hæc tria sunt necessaria , *amare , possidere , & gaudere* , seu delectari : nam si quis amat , & nullo modo possidet , desiderat , sed non fruitur re quam diligit ; similiter qui amat & possidet aliquid , & de ejus possessione non delectatur , illo non fruitur ; quæritur ergo in quonam ex his tribus , formaliter & essentialiter consistat fruitio , pro cuius solutione .

*Resp.* Fruitio propriè nec est amor , nec possessio , sed est delectatio ex amore & præsentia rei amatæ causata. Ratio est quia , ut ait D. Tho. q. 11. a. 1. *fruitio & fructus ad idem pertinere videntur , & unum ex altero derivari ;* ergo , sicut fructus est id quod ab arbore ultimò expectatur , & cum quadam dulcedine percipitur ; ita fruitio



est quid ultimum quod in re expectamus, & quod cum quadam suavitate percipimus; atqui delectatio est ultimum quod in re expectamus; prius siquidem est quod rem amemus, postea quod illam consequamur, & tandem in ejus possessione quiescamus & delectemur; ergo fruitio consistit essentialiter in delectatione.

*Dices 1°.* D. Aug. l. 1. de Doctr. Christ. ait: *Frui, est amore inhærere alicui rei propter seipsam.* Ergo fruitio consistit in amore.

*Resp. dist. conseq.* Consistit in amore, causaliter, *conc.* formaliter, *nego conseq.* Aug. enim loquitur in sensu causali, non formali; amor autem est causa delectationis in quâ fruitio consistit; undè idem Aug. l. 10. de Trin. c. 11. ait: *Frui, est cum gaudio uti.*

*Quæres 2°.* *An fruitio sit semper circa finem?*

*Resp. affirm.* Nam fruitio est semper circa illud, quod per se est appetibile; atqui solus finis est per se appetibilis; ergo.

*Dices:* Fruitio est æquè circa media ac circa finem; ergo.

*Prob. ant.* Actus virtutum sunt media ad ultimum finem; atqui justus prudenter fruitur & conquiescit in actibus virtutum; ergo fruitio est æquè circa media, ac circa finem.

*Resp. dist. maj.* Actus virtutum sunt media, non pura, *conc. maj.* sunt media, pura, *nego maj.* sunt enim media, simul & fines, quibus licitum est frui.

Itaque duplex est medium, purum scilicèt, & non purum.

*Medium purum,* est res quæ per se nullatenus appetibilis est, talia sunt omnia quæ naturam

rationalem nec perficere, nec meliorem reddere possunt, ut sunt omnia temporalia, nempe fama, honor, divitiæ quibus duntaxat uti licet, nullatenus frui.

*Medium non purum*, est res quæ, licet ad finem ulteriorem conducat, (sub quo respectu habet rationem mediæ) per se tamen appetibilis est; & sub hoc respectu habet rationem finis intermediæ.

Porro actus virtutum sunt media non pura, quibus uti licet tanquam mediis, juxta illud Math. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: & frui seu delectari tanquam fine, ut docet Regius Psaltes, Psal. 18. his verbis: Judicia Domini vera . . . desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.*

## ARTICULUS II.

*An quidquid deliberatè vult homo, illud velit propter finem ultimum?*

*Nota* **U**ltimum finem dupliciter considerari posse;

1<sup>o</sup>. *Confusè*, & sub ratione communi, quomodo spectatur ab iis, qui hoc unum sciunt, quod felices esse velint, nec satis sciunt, an in divitiis, honoribus, &c. felicitatem reperituri sint.

2<sup>o</sup>. *Distinctè & determinatè*, ut si quis rem determinatam, v. g. Deum, vel divitias, sibi proponat tanquam summum bonum, & ad illud assequendum tendat.

*Nota* 2<sup>o</sup>. Humanam voluntatem dupliciter ferri in finem ultimum.

1<sup>o</sup>. *Explicitè*, dum quis, v. g. eleemosinam dat, expresso retributionis æternæ intuitu.

2°. *Implicitè & virtualiter*, dùm quis operatur, nihil de beatitudine, sed de solâ appetitûs sui expletione cogitans. His præmissis, sit

### C O N C L U S I O.

*Quidquid homo deliberatè vult, illud vult, implicitè saltem & virtualiter, propter ultimum finem, confusè & in communi spectatum, non autem spectatum in particulari & determinatè.*

*Prob. 1a. p.* Ille in omnibus actibus deliberatis, agit propter finem ultimum seu beatitudinem, qui semper operatur, ut benè sibi fit; atqui homo semper operatur, ut benè sibi fit: nam ille semper operatur, ut benè sibi fit, qui nihil vult, nisi quatenùs bonum sibi; atqui homo nihil vult, nisi quatenùs bonum sibi: alioqui posset velle malum quâ malum sibi, quod est impossibile, cùm malum quâ malum, nihil habeat quod voluntatem allicere possit; ergo homo semper operatur, ut benè sibi fit; ergo. Hinc D. Aug. l. 12. de Trin. c. 5. ait: *Verum est quodd omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, & propter hoc cætera quæcumque appetant.*

*Prob. 2a. p.* Finis ultimus, determinatè sumptus, est ipse Deus, in quo solo sita est beatitudo nostra; atqui quidquid deliberatè vult homo, illud non vult propter Deum, quia plura vult, quibus se avertit à Deo, & convertit ad creaturam; ergo quidquid deliberatè vult homo, illud non semper vult propter finem ultimum, in particulari & determinatè spectatum.

#### *Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1o.* Nihil volitum, quin præcognitum; atqui homo inter agendum plerumque de fine.



ultimo non cogitat ; ergo plerumque ipsum non appetit.

*Resp. dist. maj.* Nihil volitum expressè, quin præcognitum, *conc. maj.* nihil volitum confusè, & sub ratione communi, quin præcognitum, *nego maj.* & concessâ min. *dist. conseq.* Ergo homo plerumque non appetit finem ultimum, expressè & in particulari, *conc.* confusè & sub ratione communi, *nego conseq.* Ad hoc autem sufficit, quòd homo in omnibus actibus suis deliberatis quodammodò sibi satisfacere quærat, quod est quidpiam ad beatitudinem spectans, & quasi ejus effluvium.

*Inst.* Si omnis actio humana tendat ad beatitudinem in communi, nulla dabitur actio humana otiosa ; falsum conseq.

*Prob. sequela maj.* Actio otiosa illa dicitur, quæ ad nullum finem ordinatur ; at si omnis actio humana respiciat beatitudinem in communi, nulla erit quæ ad aliquem finem non ordinetur ; ergo nulla erit otiosa.

*Resp. dist. maj.* Actio otiosa illa dicitur quæ ad nullum finem in particulari ordinatur, *conc. maj.* quæ ad nullum finem, spectatum in communi, *nego maj.* & sic distinctâ min. *nego conseq.* Itaque ideò actio dicitur otiosa, quòd careat fine aliquo particulari & intermedio ab operante intento.

*Objic. 2º.* Justus vult aliquandò peccatum veniale ; atqui non vult illud propter ultimum finem ; non enim illud vult propter Deum, ad quem ordinari non potest ; nec propter creaturam, aliàs peccaret mortaliter, ponendo finem ultimum in creaturâ ; ergo id omne quod vult homo, non illud vult propter finem ultimum. *Resp.*

*Resp. dist. min.* Non illud vult propter finem ultimum, determinatè & in particulari sumptum, *conc. min.* confusè & in communi sumptum, *nego min.* Itaque appetere finem ultimum in communi, nihil aliud est, quàm velle esse beatum; porrò ex D. Aug. in psal. 118. *beatum esse, iam magnum est bonum, ut hoc & boni velint & mali;* dùm enim peccant mali, id unum quærunt, ut fiant beati; ergo quilibet homo hoc sensu appetit finem ultimum confusè & indistinctè.

*Objic. 3º.* Voluntas hominis est libera; ergo potest quædam velle, & eadem nolle propter finem ultimum.

*Resp. dist. ant.* Voluntas est libera, quoad exercitium, *conc. ant.* quoad specificationem, *subdist.* respectu finium particularium, v. g. Dei, vel creaturæ, in quibus ultimum finem constituere potest, *conc.* respectu finis ultimi generaliter apprehensi, *nego ant.* Undè nihil potest velle, nisi referatur, saltem implicite, ad beatitudinem in communi.

### ARTICULUS III.

*Utrum homo possit simul intendere plures fines ultimos?*

*Nota:* **F**inis ultimus, alius est adæquatus, alius inadæquatus.

*Finis adæquatus,* est is qui totus, & seorsim ab alio, sufficienter movet ad agendum, ut divitiæ respectu avari tantum.

*Finis inadæquatus,* est ille qui simul cum alio fine, voluntatem movet ad agendum; sic respectu avari simul & ambitiosi, divitiæ & hono-

res sunt duo fines ultimi inadæquati ; his notatis , fit

## C O N C L U S I O .

*Homo non potest agere simul & semel propter plures fines ultimos adæquatos & totales.*

*Prob. 1<sup>o</sup>. Ratione D. Thomæ, 1. 2. q. 1. a. 5. Ultimus finis adæquatus & totalis habet totaliter dominari voluntati ; sed implicat duos esse fines , qui totaliter voluntati dominantur , juxta illud Christi Math. 5. Nemo potest duobus dominis servire ; ergo repugnat dari plures ultimos fines totales & adæquatos.*

*Prob. 2<sup>o</sup>. De ratione finis simpliciter ultimi totalis & adæquati est , quòd omnia ad ipsum , ipse verò ad aliud non referatur ; atqui repugnat simul dari duo ultima hujusmodi : nam vel unum ordinaretur ad aliud , vel non ; si ordinaretur , jam esset bonum subordinatum , non ultimus finis ; si non ordinaretur ad aliud , istud jam non esset finis ultimus , utpotè non subjiciens omnia suæ ordinationi ; ergo repugnat duplex ultimus finis simpliciter & adæquatus ; ergo.*

*Dices 1<sup>o</sup>. Gentiles sibi proponebant plures Deos ; ergo & plures fines ultimos.*

*Resp. dist. consequ. Ergo sibi proponebant plures fines ultimos , partiales & inadæquatos , contra totales & adæquatos , nego consequ. Itaque Gentiles rationem ultimi finis inter suos deos confictos dividebant , & unum pro uno bono largiendo , alium pro alio colebant , v. g. Martem , pro re militari , Apollinem , pro scientiâ ; Venerem , pro fœcunditate , &c. & ideò omnes dii , distributive sumpti , erant eorum finis inadæquatus ;*



DE ACTIBUS HUMANIS. 19  
& collectio deorum , erat finis adæquatus & totalis.

*Dices 2º.* Idem homo potest intendere simul diversa peccata mortalia inter se disparata , v. g. furtum , fornicationem , superbiam , &c. in quibus finem suum ultimum , saltem interpretativè constituat ; ergo plures fines simpliciter ultimos , saltem interpretativè potest habere.

*Resp. nego consequ.* Finis enim ultimus peccantis mortaliter , est propria sua delectatio , quæ in omnibus peccatis , etiam disparatis , una semper & eadem est : ergo semper unum & eundem finem ultimum intendit. Illa verò creatura , propter quam peccat mortaliter , est duntaxat finis proximus ad quem tendit , & à quo ejus actus specificatur ; undè licet illa possit esse multiplex , non tamen propterea potest habere plures fines ultimos simpliciter adæquatos. Solutio est D. Thomæ in 4. dist. 42. q. 2. a. 1.

*Inst.* Voluntas , ex hoc quòd constituit suum ultimum finem in aliquo , non amittit suam libertatem ; ergo postquam constituit aliquis suum finem in aliquo , putà voluptate , potest simul constituere suum finem in alio , putà divitiis.

*Resp. nego consequ.* cum D. Thom. 1. 2. q. 1. a. 5. dicente quod potestas voluntatis non habet ut faciat opposita esse simul , quod contingeret , si tenderet in plura disparata , sicut in ultimos fines.

## Q U Æ S T I O S E C U N D A.

*De vera Hominis beatitudine.*

*Nota 1º.* **B**eatitudo , alia est viæ , alia patriæ.  
Beatitudo viæ , est Status bonorum aggregatione dotatus , sed non plene perfectus.

B ij

Beatitudo patriæ definitur: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Dicitur 1°. *Status*, id est, vitæ conditio stabilis; beatitudo enim inamissibilis est & æterna, juxta illud Sap. 5. v. 16. *Justi in perpetuum vivent.*

Dicitur 2°. *Omnium bonorum*, &c. id est, summi boni, quod dicitur *omne bonum*, Exod. 33.

*Nota* 2°. Beatitudo, alia est objectiva, alia formalis.

Beatitudo *objectiva*, est objectum cujus possessione satiatur appetitus hominis.

Beatitudo *formalis*, est actio, quâ cum summo voluptatis sensu, possidetur objectum beatitudinis; his præmissis agemus

1°. De beatitudine objectivâ; 2°. De beatitudine formali; 3°. De dotibus animæ beatæ; 4°. De dotibus corporis beati.

## ARTICULUS I.

*De beatitudine Hominis objectivâ.*

### CONCLUSIO.

**B**eatitudo objectiva hominis, sive in viâ, sive in patriâ, est solus Deus.

*Prob.* 1°. Ex Script. Joan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum: undè D. Aug. l. 19. de Civit. c. 26. asserit: Ut vita carnis anima est, ita vita beata hominis, Deus est.*

*Prob.* 2°. Ratione: In eo solo posita est beatitudo hominis objectiva, quod solum potest hominis animam ita satiare, ut nihil amplius ipsi desiderandum superfit; atqui solus Deus est talis, juxta illud D. Augustini, l. 1. Confess. c. 1. *Fecisti nos ad te, & irrequietum est cor nostrum,*

*donec requiescat in te.* Nam anima hominis non potest satiari, quin perfectè satiatur utraque ejus potentia, intellectus scilicèt & voluntas; atqui solus Deus potest intellectum hominis satiari, quantum ad cognitionem veri; & voluntatem ejus, quantum ad fruitionem boni: objectum enim intellectûs est universale verum, & objectum voluntatis est universale bonum; atqui verum & bonum universale, in solo Deo reperitur, non verò in aliquâ creaturâ quæ solum habet veritatem & bonitatem participatam & ordinatam ad ipsum Deum; ergo solus Deus potest appetitum hominis satiari, quantum ad cognitionem veri & fruitionem boni; ergo solus Deus ita potest hominis animam satiari ut nihil amplius ipsi desiderandum supersit; ergo solus Deus est beatitudo hominis objectiva.

Hinc sequitur res terrenas, nimirum divitias, honores, voluptates, scientias, &c. animam occupare posse, nullatenus satiari.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1<sup>o</sup>.* Bona creata appetitum hominis satiari possunt; ergo possunt esse beatitudo hominis objectiva; ergo non solus Deus.

*Prob. ant.* Appetitus finitus, potest satiari per finiti boni possessionem; atqui appetitus hominis est finitus; ergo.

*Resp. dist. maj.* Appetitus finitus, tam intrinsecè quàm extrinsecè, potest, &c. *conc. maj.* Appetitus, finitus intrinsecè, sed infinitus extrinsecè & objectivè, *nego maj.* atqui hominis appetitus est finitus intrinsecè & quoad entitatem, *conc. min.* extrinsecè & objectivè, *nego min.* versatur enim circa omnem veritatem & omne



bonum , sivè circa verum & bonum infinitum ;  
undè *nego consequ.*

*Inst. 1º.* Atqui appetitus hominis non est infinitus objective ; ergo.

*Prob. subs.* Ille appetitus , qui non potest versari circa objectum infinitum , non est infinitus objective ; atqui appetitus hominis non potest versari circa objectum infinitum ; ergo.

*Prob. min.* Appetitus hominis non potest possidere objectum infinitum ; ergo non potest circa illud versari.

*Resp. dist. ant.* Appetitus hominis non potest possidere objectum infinitum , possessione civili ,  
*conc. ant.* possessione naturali & phisicâ , *nego ant.* Possessio civilis est detentio rei quoad dominium directum ; possessio verò naturalis est gratissima creatæ mentis cum summo suo bono conjunctio ; atqui mens humana sic cum Deo potest conjungi ; ergo.

*Inst. 2º.* Ut possemus Deum possidere , possessione naturali , deberet esse quædam proportio inter facultatem quæ possidet , & objectum quod possidetur ; atqui Deum inter & facultatem creatam hominis , nulla est proportio ; ergo.

*Resp. dist. min.* Nulla est proportio , entitatis ,  
*conc. min.* habitudinis , *nego min.* Proportio entitatis est similitudo in naturâ , qualis est inter duos oculos ; proportio autem habitudinis est relatio essentialis unius ad aliud , qualis est inter oculum & colores ; atqui inter Deum & mentem humanam , est relatio essentialis , cum mens humana cognoscere possit & amare , Deus verò cognosci & amari : ergo inter utrumque est proportio habitudinis.

*Inst.* 3°. Mens humana non potest attingere objectum infinitum ; ergo inter Deum & mentem humanam nulla est proportio habitudinis.

*Resp. dist. ant.* Non potest attingere objectum infinitum , infinito modo , *conc. ant.* finito modo , *nego ant.* finitâ enim actione mens humana versatur circa Deum , aliàs solus Deus seipsum cognosceret.

*Inst.* 4°. Atqui mens humana non potest attingere objectum infinitum , vel si illud attingat , attingit modo infinito ; ergo nulla solutio.

*Prob. ant.* Facultas , quæ objectum infinitum exigit , non exigit illud , nisi ut plenè satiatur ; atqui plenè satiari non potest , nisi objectum infinitum attingat modo infinito ; ergo.

*Prob. min.* Ideò ex nobis facultas , seu appetitus , satiari non potest per bona creata , quia , post cujuslibet boni creati adeptionem , semper superest aliquid quod voluntas appetere possit , nempe bonum infinitum ; atqui si voluntas exigit objectum infinitum , & illud non nisi modo finito attingat , supererit etiam aliquid quod voluntas appetere possit , nempe idem objectum perfectiori modo attingere ; ergo non satiabitur voluntas nisi , &c.

*Resp. nego min.* Quia etsi appetitus finitus exigit objectum infinitum , non tamen exigit eidem uniri , nisi quantum potest ; atqui non potest ei uniri nisi finito modo ; ergo nihil amplius exigit , & consequenter perfectè satiatur.

*Objic.* 2°. Deus naturali desiderio non expetitur ; ergo non est summum hominis bonum.

*Prob. ant.* Quod viribus naturæ non possumus obtinere , naturali desiderio non expetimus ;

atqui naturæ viribus Deum obtinere non possumus ; ergo.

*Resp. nego maj.* Ut enim aliquid naturali desiderio appetamus , fatis est quòd sit summum nostrum bonum , & voluntatem nostram ad se rapiat , quocumque modo illud assequi valeamus.

*Inst.* Appetitus naturalis non est homini concessus ad rem impossibilem ; ergo naturali desiderio non expetimus id quod naturæ viribus consequi non possumus.

*Resp. dist. ant.* Non est concessus ad rem omnimodè impossibilem , *conc. ant.* ad rem impossibilem tantummodò naturæ viribus , *nego ant.* Quamvis ergo naturæ viribus æternam felicitatem assequi non valeamus , non tamen dici potest absolutè impossibilem , siquidem ejus per gratiam adipiscendæ sumus naturaliter capaces.

*Resolves* hominem teneri singula sua opera ad Deum , tanquam ad suum ultimum finem , & objectum suæ beatitudinis determinatum referre , non quidem actuali intentione , cujus non est capax , sed virtuali , dicente Apostolo Coloss. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere , omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite.*

## A R T I C U L U S I I.

*De Beatitudine formali hominis.*

**Q**Uæstio procedit de beatitudine formali , tum viæ , tum patriæ.

§. I. *De Beatitudine formali viæ.*

Quæres 1º. *Utrùm in præsentì vitâ sit aliqua beatitudo ?*

*Resp.* 1º. Non datur perfecta: nam is non potest esse perfectè beatus , qui repletus est miseriis ;



atqui ex Job. 14. v. 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; ergo.*

*Resp.* 2°. Datur in præfenti ftatu aliqua beatitudo inchoata & imperfecta. Nam qui summum bonum imperfectè poffidet, ille eft imperfectè beatus; atqui homo in præfenti vitæ ftatu summum bonum imperfectè poffidere potefl, nam ex 1. Joan. 4. v. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo;* ergo potefl efle imperfectè beatus. Undè Pfal. 118. v. 1. dicitur: *Beati immaculati in viâ.* Et *Beatus vir qui timet Dominum,* Pfal. 111. v. 1.

Quæres 2°. *In quo confiflit præfentis vitæ beatitudo formalis?*

*Resp.* Confiflit in Dei amore: nam in eo confiflit hujus vitæ beatitudo, per quod Deo unimur, ipfumque poffidemus; atqui unimur Deo, ipfumque poffidemus per folum amorem, juxta illud 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ergo præfentis vitæ beatitudo confiflit in amore.

*Dices* 1°. Fides Deum immediatè attingit, quàm charitas; ergo in fide fita eft hujus vitæ beatitudo.

*Resp. nego ant.* Nam fides verfatur quidem circa Deum bonum summum, fed quatenùs eft abfens; charitas verò circa Deum præfentem verfatur: *Qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ergo immediatè & perfectè Deum attingit, quàm fides, quæ deftituta charitate eft planè informis, reperiturque in peccatoribus, quos nemo dixerit beatos.

*Inst.* Fides prior eft charitate; ergo immediatè Deum attingit, quàm charitas.

*Resp. nego conseq.* Non enim à prioritate operationis, sed ab ejus dignitate & perfectione defumitur possessio Dei; actus autem charitatis actu fidei perfectior est, dicente Apost. 1. Cor. 13. v. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.*

*Dices 2º.* Ex SS. Patribus, beatitudo hujus vitæ consistit in contemplatione; ergo non in amore.

*Resp. dist. ant.* Consistit in contemplatione speculativâ & informi, *nego ant.* affectivâ & formatâ per charitatem, *conc. ant.* nam hæc est ultima perfectio activæ vitæ, ait D. Thom. 2. 2. q. 180. a. 7. ad 1. *ut scilicet non solum divina veritas videatur, sed etiam ut ametur.*

### §. II. De Beatitudine formali patriæ.

*Nota:* Circa essentiam beatitudinis formalis, multiplex est sententia.

1ª. Est Hugonis Victorini, qui docuit hominem beatificari per visionem Dei increatam ipsi unitam; quæ sententia est falsa: nam beatitudo formalis, est operatio vitalis, quâ beatus in actu secundo vivit, juxta illud Joan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, &c.* Atqui visio Dei increata, non est operatio vitalis hominis beati, cum sit extrinseca, & omnis operatio hominis, sit creata & finita; ergo.

2ª. Est Henrici Gandavenfis, qui docuit beatitudinem consistere in illapsu speciali Dei in essentiam animæ, quo anima substantialiter deificetur, & quodammodo in Deum transformetur, sicut ferrum candens in ignem: verum hæc opinio rejicitur ab omnibus aliis; nam operatio illa, in quâ beatitudo formalis consistit, est actus vitalis, procedens à principio intrinseco & vitali;

atqui illapsus Dei in substantiam animæ, non est actus vitalis hominis, cùm sit actus solius Dei; ergo.

*Nec dicas*, de ratione præmii esse, quòd procedat à solo præmiante: hoc enim verum est de præmio objectivo, id est, de re quæ datur in præmium; falsum autem de præmio formali, id est, de possessione præmii, hæc enim, cùm sit actio nostra, debet effectivè à nobis procedere.

3<sup>a</sup>. Est cæterorum Theologorum, qui beatitudinem formalem reponunt in operatione animæ; verùm, cùm triplex sit talis operatio, inter se quoque hi dividuntur.

Thomistæ enim eam reponunt in visione Dei intuitivâ, quæ est *cognitio, quâ Deus videtur facie ad faciem ut in se est*.

Scotistæ eam reponunt in solo amore fructivo, qui est *ille quo summo bono tanquam præsentis & possessio adhæremus*.

Alii eam reponunt in visione simul & amore: Alii tandem in gaudio beatifico, quod est *intimus ac suavissimus creatæ mentis sensus, quo mens aded sibi conscia est se benè esse, ut nihil ultra expetat*. Cum quibus sit

### C O N C L U S I O.

*Beatitudo formalis essentialiter consistit in summo gaudio, quo Beati de Deo viso & amato perfunduntur.*

*Prob. 1<sup>o</sup>. Ex Script. & Patribus, ex quibus licèt nihil colligi possit quo præsens controversia dirimatur, ut ipse fatetur Gonet Thomista, tamen in nostram propendunt sententiam; dicitur enim Math. 25. v. 21. Intra in gaudium Domini tui. Et Plal. 35. v. 9. Torrente voluptatis*



*potabis eos.* Undè D. Aug. l. 10. Confess. cap. 2. ait : *Beata vita est gaudium de veritate.*

Nec dicas cum adversariis , gaudium esse beatitudinem integram , non verò formalem ; nam D. Doctor cap. 23. ibid. asserit beatitudinem esse solum gaudium : *Domine*, inquit , *ipsa est vita beata , gaudere ad te , de te , propter te : ipsa est , non altera.*

*Prob. 2º.* Beatitudo formalis , est status beati , quo in summo bono clarè viso & amato , tanquàm in suo fine ultimo omnimodè satiatus , suavissimè conquiescit ; atqui talis status formaliter habetur per gaudium , cum gaudium nihil aliud sit , quàm suavissimus ille sensus , quoposito mens ita contenta est , ut nihil ampliùs appetat , sed in ipso conquiescat ; ergo in summo illo gaudio formaliter consistit beatitudo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1º.* In eo quod solum est proprietas beatitudinis , non consistit formaliter beatitudo ; atqui gaudium , est solum proprietas beatitudinis ; ergo.

*Prob. min.* Quod ex visione & amore fluit , est tantum proprietas beatitudinis ; atqui gaudium ex visione & amore fluit ; ergo.

*Resp. nego min.* Equidem visio & amor sunt veluti conditio , sine quâ beati non gauderent ; sed non sunt principium essentialiter , à quo fluat gaudium , cum illa ex naturâ suâ non producant gaudium , sed ex eo solum producitur , quòd beatus conscientiam habeat , se nihil ampliùs habere expetendum.

*Prob. min.* Illud fluit ab amore vel visione , quod positus amore & visione , supponit beatitudinem essentialiter completam ; atqui gaudium ,

positis visione & amore , supponit beatitudinem essentialiter completam : ergo.

*Prob. min.* Illud supponit beatitudinem essentialiter completam , quod supponit possessionem Dei adæquatam ; atqui gaudium , positum visione & amore , supponit possessionem Dei adæquatam ; ergo.

*Resp. nego maj.* Nam possessio Dei , est quasi materia beatitudinis , gaudium verò quod ex illâ possessione percipitur , est quasi ejus forma ; atqui res non potest in suo esse formali constitui , nisi per suam formam ; sic v. g. avarus , quantumvis ingentes divitias possideat , non intelligitur beatus , nisi intelligatur degustare pecuniæ suæ voluptatem ; ergo beatitudo formalis non potest concipi in possessione Dei , nisi ei addatur intimus ille & suavissimus voluptatis & lætitiæ sensus.

*Inst. 1º.* Miseria damnatorum formaliter consistit in privatione Dei ab ipsis nec visi , nec amati ; ergo à pari beatitudo formaliter consistit in possessione Dei.

*Resp. nego ant.* Nam miseria damnatorum non consistit præcisè in tali privatione Dei , sed insuper requiritur tristitia ex illâ privatione orta ; sic Martyres , qui non erant tristes , imò qui superabundabant gaudio , non erant miseri ; ergo à contrario formaliter beati non sunt , qui de bono possessio non gaudent.

*Inst. 2º.* Amor est forma beatitudinis ; ergo non gaudium.

*Prob. ant.* Amor , est summi boni fruitio ; atqui fruitio est beatitudinis forma ; ergo.

*Resp. nego maj.* Amor enim est solum actus quo

amatur summum bonum; fruitio verò est ipsum gaudium, seu suavis animæ voluptas resultans ex summi boni possessione per visionem & amorem, fruitio enim est actus voluntatis, suaviter in boni amati possessione quiescentis.

*Inst.* 3<sup>o</sup>. Ergo amor fruitivus, est forma beatitudinis.

*Resp. dist. illatum*: Amor fruitivus, præcisè quatenus est amor, est forma beatitudinis, *nego*. quatenus est fruitio, *conc.* fruitio enim idem est ac ipsum gaudium.

*Objic.* 2<sup>o</sup>. Beatitudo formalis consistit in visione intuitivâ; ergo non in gaudio.

*Prob. ant.* Beatitudo formalis consistit in eo quod fatiat appetitum hominis; atqui talis est visio, dicente Script. Psal. 16. v. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; ergo.

*Resp. dist. maj.* Beatitudo consistit in eo quod fatiat appetitum hominis, formaliter, *conc. maj.* præsuppositivè, *nego maj.* atqui visio fatiat appetitum hominis, præsuppositivè, *conc. min.* formaliter, *nego min.* Itaque beatitudo formalis præsupponit visionem, eo ferè modo quo species præsupponit genus quod contrahit & & determinat: sed quemadmodum genus non constituit rem formaliter, ita nec visio constituit beatitudinem formaliter.

*Inst.* 1<sup>o</sup>. Beatitudo formalis in eo consistit, quod constituit vitam æternam; atqui visio constituit vitam æternam, dicente Christo Joan 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, &c.* ergo.

*Resp. dist. maj.* Quod constituit vitam æternam, formaliter, *conc. maj.* præsuppositivè &



causaliter, *nego maj.* & sic ad minorem. Nec aliter intelligi debet textus citatus.

*Inst. 2<sup>o</sup>.* Beatitudo sita est in operatione hominis præstantissimâ; atqui cognitio est operatio hominis præstantissima, ergo.

*Resp. dist. maj.* Beatitudo sita est in operatione hominis præstantissimâ, in genere plenæ appetitûs satietatis, *conc. maj.* in genere entis, *nego maj.* atqui cognitio est operatio præstantissima in genere entis, *conc. min.* in genere appetitûs satietatis, *nego min.* talis est sola voluptas, quam mens percipit ex Dei possessione.

*Inst. 3<sup>o</sup>.* Illa operatio est præstantissima in genere plenæ satietatis appetitûs, quæ est quid primum in re; atqui visio est quid primum in beatitudine, est enim prior tum amore, tum gaudio; ergo.

*Resp. nego maj.* Essentia enim beatitudinis (sicut præstantia operationis beatificæ) non desumitur ab illâ naturæ prioritate; sed à perfectâ appetitûs quietatione, quæ habetur formaliter per solum intimum sensum, quo beatus ita sibi conscius est se esse benè, ut nihil amplius appetendum habeat.

*Inst. 4<sup>o</sup>.* Sublatâ visione, tollitur beatitudo; ergo essentia beatitudinis consistit in visione.

*Resp. retorq.* Sublatâ animalitate, tollitur homo; ergo essentia hominis consistit in animalitate. Ratio est, quia sublatâ parte, tollitur totum; indè itaque sequitur tantum visionem præsupponi ad beatitudinem formalem, verum indè non sequitur ipsam esse beatitudinem formalem.

T R A C T A T U S  
A R T I C U L U S I I I.

*De Dotibus Animæ beatæ.*

*Nota:* **D**Otes Animæ sunt tres, nempè inamissibilitas gloriæ, impeccabilitas, & modus quo Deum diligit, circa quas:

Quæres 1°. *An beatitudo sit inamissibilis?*

*Resp. affirm.* Nam beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus; atqui si non esset perpetua & inamissibilis, non esset talis status, quia cum tremore possideretur, ergo. Hinc Sap. 5. v. 16. scriptum est: *Iusti in perpetuum vivent; & Math. 25. Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.*

Quæres 2°. *An beati sint impeccabiles?*

*Resp.* Sunt impeccabiles, & quidem ab intrinseco.

*Prob. prima pars.* Summâ miseria non est compatibilis cum summâ & æternâ gloriâ; atqui peccatum est summa miseria, beatitudo est summa & æterna gloria; ergo simul non possunt esse in eodem subjecto; ergo beati sunt impeccabiles.

*Prob. secunda pars.* Beatitudo necessariò includit amorem beatificum; atqui peccatum cum amore beatifico compati non potest, ex ipsâ naturâ statûs gloriosi beatorum: nam peccatum est aversio à Deo, amor verò beatificus est intima unio cum Deo; atqui repugnat aliquem esse simul aversum à Deo, & cum Deo intimè unitum; ergo beati sunt impeccabiles ab intrinseco.

*Dices.* Peccatum veniale non est aversio à Deo; ergo cum amore beatifico potest conjungi.

*Resp. nego consequ.* Etsi enim peccatum veniale non avertat à Deo ut ultimo fine, divertit tamen  
ab

ab ipso; sed cum amore beatifico est impossibilis, nedùm aversio à Deo, sed etiam diversio; cùm enim amor beatificus sit continuus & nunquam interruptus, omnia quæ beatus diligit, refert & ordinat in divinam bonitatem tanquam in ultimum finem; ergo cum illo, nedùm aversio, sed nec etiam diversio à Deo, composibilis est.

Quæres 3<sup>o</sup>. *Quomodo Beati amant Deum?*

*Resp.* Illum amant necessariò, tùm necessitate specificationis, ita ut non possint ipsum odisse; tùm necessitate exercitii, ita ut non possint ab ejus amore cessare.

*Prima pars* à nemine negatur; cùm enim in Deo clarè viso nulla apparere possit ratio mali, nullo pacto voluntas, quæ est appetitus boni, ipsum odio potest habere, ideò

*Prob. 2<sup>a</sup>. p. contra Scotistas:* Voluntas, cùm sit appetitus rationalis, non potest cessare ab aliquo actu, nisi in illo intellectus concipiat aliquam rationem mali, vel in ejus cessatione aliquam rationem majoris boni; atqui neutrum horum potest judicare beatus de amore Dei; *non primum*, si enim posset beatus concipere rationem mali in exercitio amoris Dei, vel esset defatigatio, vel fastidium; atqui nulla est defatigatio in exercitio amoris Dei, cùm non dependeat ab organo corporeo; nullum etiam fastidium, cùm talis actus infinitæ sit suavitatis & & dulcedinis; ergo. *Non etiam secundum*, nullum enim est majus bonum intimà cum Deo conjunctione; atqui beatus concipit se per exercitium amoris intimè conjungi cum Deo; ergo.

*Dices.* Charitas viæ, & charitas patriæ, sunt

C



eiusdem speciei; atqui tamen charitas viæ non est necessaria quoad exercitium; ergo nec charitas patriæ.

*Resp. dist. maj.* Sunt eiusdem speciei, & habent diverſum modum operandi, *conc. maj.* & habent eundem modum operandi, *nego maj.* Modus itaque operandi charitatis ſequitur principium quo regulatur; atqui charitas patriæ regulatur per lumen gloriæ & claram viſionem, quæ Deum ut ſummum bonum neceſſariò proponunt; ergo ut neceſſariò diligendum: e contra charitas viæ regulatur per fidem & cognitionem obſcuram, quæ non repræſentat Deum clarè, ut eſt in ſe; ergo non ut neceſſariò diligendum.

*Inst.* Omnis actus potentiæ liberæ, eſt liber; ſed voluntas eſt potentia libera; ergo amor beatus eſt liber, ſaltem quoad exercitium.

*Resp. dist. maj.* Eſt liber, quoad bonum commutabile, *conc. maj.* quoad bonum incommutabile & infinitum, *subdist.* per ſpeciem viſum, ut videtur per fidem in viâ, *conc.* viſum clarè ut eſt in ſe, *nego maj.* Circa illud enim ſic clarè viſum, voluntas non gaudet niſi libertate coactionis, quia in ſuis actibus vim pati non poteſt.

## ARTICULUS VI.

*De Dotibus Corporis beati.*

*Nota:* **C**Um dotes corporis beati ſupponant reſurrectionem, ideò agemus 1º. de reſurrectione corporum; 2º. de dotibus corporum beatorum.

## CONCLUSIO I.

*Futura eſt omnium hominum reſurrectio. Eſt contra Sadducæos, Math. 22. v. 23.*

*Prob. 1º. Ex Script. Job. 19. v. 25. Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum; & rursùm circumdabor pelle meâ; &c. & ex 1. Cor. 15. v. 52. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.*

*Prob. 2º. Ex fidei nostræ symbolis, Apostolico & Constantinopolitano, expressè confitentibus corporum resurrectionem, Credo carnis resurrectionem; expecto resurrectionem mortuorum, &c.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1º. Eccle. 2. v. 14. dicitur: Unus integer est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio; atqui jumenta non resurgent; ergo nec homo.*

*Resp. dist. textum. Est æqua utriusque conditio, ex parte miseriarum hujus vitæ, potissimumque mortis, quæ cumulus est miseriarum, conc. ex omni parte, nego. Hic est verus Eccles. sensus.*

*Inst. 1º. Job. 14. v. 12. dicitur: Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur cælum; sed cælum nunquàm atteretur; ergo.*

*Resp. dist. min. Nunquàm cælum atteretur, quoad substantiam, conc. quantum ad effectum virtutis, per quam movet ad generationem & corruptionem inferiorum, nego. Hoc enim sensu Apost. 1. Cor. 7. ait: Præterit figura hujus mundi.*

*Inst. 3º. Psal. 1. v. 5. dicitur: Non resurgent impii in judicio; ergo saltem resurrectio non erit omnium.*

*Resp. nego conseq. Sensus enim textus est, impios, non ad judicium, sed ad pœnam resurrecturos; vel dicendum cum D. Thom. in supp. q. 75. a. 2. ad 1. quòd (Psalmista) loquitur de spi-*

*rituali resurrectione , quâ impii non resurgent in judicio discussionis conscientiæ , quo boni seipfos dijudicant , ut non judicentur.*

*Inst. 4<sup>o</sup>.* Per resurrectionem homines conformantur Christo resurgenti , juxta Apostolum dicentem : *Quodd si Christus resurrexit , & nos resurgemus.* Atqui peccatores non possunt conformari Christo reiurgenti ; ergo.

*Prob. min.* Illi soli possunt conformari Christo resurgenti , qui portaverunt imaginem Christi ; atqui impii non portaverunt imaginem Christi ; ergo.

*Resp. dist. min.* Non portaverunt imaginem Christi , in his quæ pertinent ad gratiam , *conc.* in his quæ ad naturam speciei pertinent , *nego min.* Undè D. Thom. cit. ait : *Et ided omnes Christo conformabuntur in reparatione vitæ naturalis , non autem in similitudine gloriæ , sed soli boni.*

*Objic. 2<sup>o</sup>.* Juxta fidem resurrectionis , anima debet idem numero corpus resumere , quod habuit in terris ; atqui plerumque hoc est impossibile ; ergo.

*Prob. min.* Suppono Petrum esse filium alicujus antropophagi , qui non nisi carnibus humanis nutritus sit , aded ut ipsum semen undè Petrus genitus est , ex aliorum hominum carnibus prodierit ; suppono pariter Petrum non nisi aliorum hominum carnibus vesci ; hâc factâ hypothesi , sic argumentor :

Impossibile est , ut Petrus in illâ hypothesi , resurgat in eâdem carne , quam in terris habuit , cùm illa caro pertineat ad alios homines , qui cum eâ resurgere debent ; ergo plerumque impossibile est resurrectio.



*Resp.* Etiam in hac hypothesi, *nego ant.* Nam ad resurrectionem sufficit, ut identitas materiæ aliquo modo servetur; & ideò tam Petrus, quàm alii homines, ex quorum carnibus formatum esset ejus corpus, (cùm servant eandem aliquo modo materiam) resurgerent, Deo aliundè suppleto id quod deesset: quemadmodum supplebitur eis, qui statim, ut nati sunt, moriuntur, & qui tamen resurgent in ætate perfectâ, nempe triginta aut triginta trium annorum, juxta illud Apostoli Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

### C O N C L U S I O I I.

*Quatuor erunt dotes corporis beati, scilicet, impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas.*

*Prob.* Ex Apost. 1. Cor. 15. v. 42. has dotes significante, his verbis: *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.*

Impassibilitas, est *qualitas supernaturalis, dimanans ab animâ beatâ in corpus gloriosum, ab eo excludens omnem passionem corruptivam, non verò perfectivam; nam sensus corporis beati exquisitissimis delectationibus afficientur.*

Subtilitas, est *qualitas supernaturalis, dimanans ab animâ beatâ in corpus gloriosum, illud reddens alterius corporis penetrativum; sic Christus resurrexit clauso sepulchro, sicut natus fuerat clauso utero.*

Agilitas, est *qualitas supernaturalis, dimanans ab animâ beatâ in corpus gloriosum, illud reddens*

*imperceptibiliter & celerrimè mobile, sine lassitudine & labore.*

Claritas, est *qualitas supernaturalis, dimanans ab animâ beatâ in corpus gloriosum, illud reddens luminosum, ac simile crystallo.*

Quæres: *Quid, & quotuplex sit aureola?*

*Resp. ad 1<sup>um</sup>.* Aureola sive corona, est animæ beatæ gaudium accidentale de excellenti victoriâ suâ, in corpus speciali fulgore redundans.

*Resp. ad 2<sup>um</sup>.* Tres sunt aureolæ: nam tot sunt aureolæ, quot sunt insignes victoriæ reportatæ adversus salutis nostræ hostes, mundum scilicet, carnem & diabolum; atqui tres sunt insignes illæ victoriæ, 1<sup>a</sup>. est Martyrum, qui de mundo; 2<sup>a</sup>. est Virginum, qui de carne; 3<sup>a</sup>. Doctorum, qui de diabolo triumphârunt; ergo.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De naturâ Actuum humanorum.*

*Nota* **A**ctus, qui ab homine procedunt, sunt  
1<sup>o</sup>. **A**ctus hominis, & actus humanus.

*Actus hominis*, est ille qui naturaliter procedit ab homine absque rationis advertentiâ & libertate; tales sunt motus primo primi. Undè spectantur secundùm suum esse naturale.

*Actus humanus*, est ille, qui procedit ab homine cum rationis advertentiâ & libertate; undè spectatur secundùm suum esse morale. Porrò

*Actus humanus duplex est, elicited nimirum, & imperatus.*

*Actus elicited*, est is, qui immediatè à voluntate procedit, absque imperio voluntatis; talis est amor, odium, &c.

*Actus imperatus*, est is qui immediatè produ-

icitur à potentiâ ad agendum motâ ex imperio voluntatis.

Dicitur: à *potentiâ*; nempè, vel ab ipsâ voluntate sibimet imperante, & tunc est actus imperatus & elicitus, ut actus contritionis; vel ab aliâ potentiâ, & tunc est actus voluntatis imperatus tantùm, elicitus autem ab aliâ potentiâ, ut meditatio, deambulatio, &c.

*Nota 2<sup>o</sup>.* Cùm prima conditio Actuum humanorum sit, ut à voluntate procedant liberè, agemus hic, 1<sup>o</sup>. De voluntario; 2<sup>o</sup>. De involuntario & ejus causis, 3<sup>o</sup>. De voluntario libero seu de libertate.

## Q U Æ S T I O P R I M A.

### *De Voluntario.*

**Q**Uæres 1<sup>o</sup>. *Quid sit voluntarium?*

*Resp.* Voluntarium est id quod est à principio intrinseco, cum cognitione singulorum in quibus est actio.

Dicitur 1<sup>o</sup>. *id*; hoc est, actio, vel passio, vel omissio.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *quod est à principio intrinseco*, nempè à voluntate, ut distinguatur à violento, quod à principio extrinseco prodit, à quo patiens vim patitur.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *cum cognitione*; ut distinguatur à motu naturali, cujus principium est quidem internum; sed à nullâ prælucente cognitione dirigitur.

Dicitur 4<sup>o</sup>. *singulorum in quibus est actio*; id est, finis & circumstantiarum quæ ad actionem pertinent; quia quidquid est verè voluntarium, debet, quâ tale, esse præcognitum. Hinc si una



circumstantia agentem lateat, actio quoad illam, non erit voluntaria; undè qui percutit Clericum, nesciens eum esse Clericum, iniustitiæ, non autem sacrilegii peccatum admittit.

Quæres 2<sup>o</sup>. *Quotuplex sit voluntarium?*

*Resp.* Voluntarium dividitur multipliciter.

1<sup>o</sup>. In voluntarium necessarium, & liberum.

*Voluntarium necessarium*, est illud quod ita procedit à voluntate, ut positis omnibus ad procedendum prærequisitis, non possit non procedere; talis est amor beatificus, ad quem voluntas est determinata.

*Voluntarium liberum*, est illud quod ita procedit à voluntate, ut positis omnibus prærequisitis, adhuc possit non procedere, quia est indifferentia ad opposita; tales sunt omnes actiones nostræ deliberatæ.

2<sup>o</sup>. Dividitur in voluntarium perfectum, & imperfectum.

*Voluntarium perfectum*, est quod procedit à voluntate ex perfectâ cognitione singulorum in quibus est actio.

*Voluntarium imperfectum*, est quod procedit à voluntate ex imperfectâ cognitione finis, & mediorum ad finem.

3<sup>o</sup>. Dividitur in positivum, & negativum.

*Voluntarium positivum*, est illud quod procedit à voluntate per actum ejus positivum.

*Voluntarium negativum*, est illud quod procedit per meram voluntatis omissionem, absque actu positivo; de hoc commodiùs agemus in Tractatu de peccatis, ubi de peccato omissionis.

4<sup>o</sup>. Dividitur in expressum & tacitum.

*Voluntarium expressum*, est illud quod dif-

tinctè verbo , aut alio signo , declaratur.

*Voluntarium tacitum* , est illud quod distinctè non declaratur , sed ex quodam facto , aut facti omissione colligitur , juxta hanc regulam juris : *Qui tacet , consentire videtur*. Circa quod.

Quæres : *Quandonam taciturnitas consensui æquivalere censetur ?*

*Resp.* Id dignosci ex duplici tantùm capite :

1<sup>o</sup>. Dùm aliquid favorabile proponitur , non verò dum quod proponitur est odiosum ; ratio est , quia nemo censendus est recusare quod commodum est , benè autem quod onerosum.

Hinc si quis pro te præsentè , nec contradicente , fidejubeat , censeris ratum habere , quia beneficium tibi contulit. Econtrà si quis dicat puellæ , *Promittisne mihi matrimonium ?* quamvis ipsa taceat , non ideò consentire censetur ; quia matrimonium est onerosum.

2<sup>o</sup>. Dùm qui tacet , loqui tenetur ; non verò cùm loqui non tenetur.

Hinc 1<sup>o</sup>. Pater , Dominus , Superior , qui subditos quos vident delinquere , non corripiunt , cùm faciliè possunt , eorum vitia approbare censentur : non autem si taceant , quia prudenter timent , nè ex suâ correptione , graviora exurgant mala , aut scandala ; quia in primo casu loqui tenentur , non in secundo.

Hinc 2<sup>o</sup>. Reus qui à legitimo judice interrogatus , tacet , fateri censetur ; quia legitimè interrogatus , respondere tenetur , *Cap. Si post , de Confession. in 6.*

5<sup>o</sup>. Dividitur in directum , seu in se ; & indirectum , seu in alio.

*Voluntarium directum* , est illud , quod est in

se ipso volitum ; ut si quis inimicum suum pugione mactet.

*Voluntarium indirectum*, est illud quod, non quidem in seipso, sed tantum in sua causa est volitum ; id est, in aliquo actu, vel actus omissione, ex quibus sequitur. Eo sensu volita est occisio illius, qui liberè se inebriat, praevidens se, cum ebrius erit, homicidii capacem fore.

Circa voluntarium directum, & indirectum,

Quæres 1°. *Quotuplex est voluntarium directum?*

*Resp.* Triplex, nempe actuale, virtuale & habituale.

*Voluntarium directum actuale*, est ipsummet actuale exercitium voluntatis, quod fieri potest dupliciter, 1°. *per actum signatum*, dum quis per reflexionem signat actum, quem exerciturus est, dicens : *Volo hoc facere*, v. g. consecrare. 2°. *Per actum exercitum*, cum quis, sine tali reflexione super suum actum, attentè agit. Sic Sacerdos consecraturus, qui sine reflexione super suum actum, attentè & cum plenâ suâ cognitione profert verba consecrationis, vult consecrare *in actu exercito*.

*Voluntarium directum virtuale*, est voluntarium actuale quod præcessit, ac moraliter perseverat in agente, quandiu non fuit revocatum per contrariam volitionem : talis est intentio in Sacerdote, qui, ex voluntate actuali consecrandi, Missam inchoat, sed paulò post ita distrahitur, ut amplius non advertat ad id quod facit ; nihilominus consecrat virtute intentionis quam habuit, & quæ moraliter perseverat.

*Voluntarium habituale*, est illud quod fuit actu



elicatum, nec fuit revocatum, sed est vel somno, vel vino, vel notabili temporis morâ interruptum, ita ut non influat in actum humanum, nec per se, nec per virtutem à se relictam. Sed de his plura, dum agemus de intentione Ministri Sacramentorum, ubi mentem nostram commodius explicabimus.

Quæres 2<sup>o</sup>. Circa voluntarium indirectum: *Quot requiruntur, ut effectus, qui ex aliquâ causâ sequitur, sit voluntarius & moralis, id est, ut ad demeritum imputetur?*

*Resp.* Quatuor requiruntur.

1<sup>um</sup>. Ut operans prævideat, aut prævidere possit, & debeat, effectum hunc ex hac causâ secuturum esse, vel sequi natum; quia quod nullatenus potest esse cognitum, nullatenus potest esse voluntarium: econtrâ quod potuit esse cognitum, est penitus voluntarium, juxta commune effatum, *Scire & debere scire sunt paria.*

Hinc qui sæpius expertus est rixas, blasphemias, pollutiones ex ebrietate suâ ortas fuisse, licet de his, dum vino indulgebat, non expressè cogitaverit, ipsi censentur voluntariæ, quia facile potuit & debuit advertere.

2<sup>um</sup>. Ut operans effectum hunc impedire possit, ejus causam auferendo; quia, ut docet D. August. *Nemo peccat in eo quod vitare non potest; peccatur autem; vitari igitur potest.* L. 3. de lib. arbit. c. 18.

Hinc graviter peccat mulier, quæ, etiam sine pravâ intentione, & ut morem sequatur, aperto sinu incedens, aliis est occasio ruinæ spiritualis, quia hanc peccati occasionem auferre potest.

3<sup>um</sup>. Ut operans hanc causam auferre teneatur.

Hinc mulier elegantis formæ, sed modestæ, quæ incedens aliis est causa ruinae spiritualis, non peccat, quia non tenetur auferre hanc causam domi manendo; nam incedendo utitur jure suo circa rem de se licitam & honestam.

4<sup>um</sup>. Ut operans nullum jus habeat hanc causam ponendi, quia nempe, nulla subest eam ponendi necessitas, aut utilitas.

Hinc Chirurgus licitè mulierem in necessitate curat in secretioribus, licèt ex eorum necessario aspectu & tactu, prævideat se turpes carnis motus passurum, modò absit periculum consensûs; ratio est, quia non tenetur actionem illam non ponere, aut positam omittere, cùm eam ponendi justam habeat causam.

## Q U Æ S T I O S E C U N D A.

### *De involuntario & ejus causis.*

*Nota:* **C**Um, ex dictis, ad voluntarium duo requirantur, scilicèt principium intrinsecum, nempe voluntas ex inclinatione operans, & cognitio dirigens operationem: oportet quòd oppositum ejus, nempe involuntarium, proveniat, vel à principio extrinsecò, ut contingit in his quæ ex violentiâ, vel metu fiunt; vel ab intrinsecò quidem, sed sine cognitione, cùm nempe tollitur aut turbatur cognitio, prout contingit in his quæ fiunt per passionem aut ignorantiam.

Involuntarium duplex est, scilicèt involuntarium simpliciter, & involuntarium secundùm quid.

*Involuntarium simpliciter*, est id quod fit totum à principio extrinsecò, vel sine cognitione,

& cui voluntas nullatenus consentit. Talis est motus concupiscentiæ, qui voluntate toto affectu renitente, insurgit.

*Involuntarium secundum quid*, est illud quod voluntas repudiat in se consideratum, acceptat verò circumstantiis vestitum. Eiusmodi est projectio mercium facta à mercatore metu naufragii, quæ est secundum quid involuntaria, nam secundum se displicet; sed spectata ut necessaria ad vitam conservandam, magis & efficaciter placet: undè voluntarium secundum quid, vocatur propriè voluntarium mixtum involuntario, quia voluntas illud efficaciter vult, sed cum displicentiâ.

Nunc figillatim prosequendæ sunt involuntarii causæ, quæ quatuor recensentur, nimirum violentia, metus, passio seu concupiscentia, & ignorantia,

## ARTICULUS I.

*An & quomodò violentia causet involuntarium?*

*Nota:* **V**iolentum, ut sumitur indiscriminatim pro coacto, definitur: *Id quod est à principio extrinseco, in contrarium resistente passo.* Quòd si passum extrinseco agenti totis viribus resistat, prout hìc & nunc potest & debet, dicitur pati violentiam absolutam; si verò resistat aliquo modo, sed non omninò quantum potest & debet, dicitur pati violentiam secundum quid.

Dixi: *Ut sumitur indiscriminatim pro coacto*: quia licet violentum & coactum confundi soleant, tamen in hoc distinguntur, quòd coactum dicatur de solis agentibus animatis cognitione præ-



ditis, & opponatur spontaneo; violentum verò dicatur etiam de inanimatis, sic motus lapidis fursùm projecti à Phisicis antiquioribus dicitur violentus, non verò coactus.

Dicitur 1<sup>o</sup>. *Id quod est à principio extrinseco*: nemo enim sibimet ipsi vim infert propriè dictam, alioquin simul vellet & nollet, quod est impossibile.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *In contrarium resistente passo*: quia non sufficit ad violentum, ut quis se merè negativè habeat, alioqui justificatio parvulorum foret violenta, sed requiritur ut actualiter aut virtualiter reluctetur. Hinc si mulier oppressa merè passivè se gerat, nec probando, nec reprobando, stuprum illatum, non dicitur vim pati, & peccati rea tenebitur. Itaque fit

### C O N C L U S I O I.

*Violentia absoluta voluntarium omninò tollit; violentia verò secundùm quid, minuit duntaxat.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Quia actio quæ fit à principio extrinseco contra omnem voluntatis resistantiam, est penitùs involuntaria; atqui actio, quæ fit per violentiam absolutam, fit à principio extrinseco contra omnem voluntatis resistantiam; ergo est penitùs involuntaria.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Quia cùm voluntas non omnimodè resistit, remanet in eâ aliqua ratio voluntarii; atqui cùm violentia non nisi secundùm quid infertur, voluntas non resistit omnimodè; ergo.

Hinc si mulier, interiùs exteriùsque pro viribus resistens, stupretur, non peccat; si verò interiùs resistat, actum nempè reprobando, sed non resistat exteriùs quantum potest & debet,

nempè fugiendo, repugnando, clamando, &c. peccati rea efficitur.

## CONCLUSIO II.

*Voluntas cogi non potest quoad actus elicitos, benè verò quoad actus imperatos.* Ita D. Thom. 1. 2. q. 6. a. 3.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Actus elicitus voluntatis, est essentialiter voluntarius; atqui actus essentialiter voluntarius, non potest esse coactus: nam quæ ex naturâ rei opponuntur, non possunt esse simul; atqui voluntarium & coactum ex naturâ rei opponuntur: id enim quod est à principio intrinseco, juxta inclinationem patientis, ex naturâ rei opponitur ei quod est à principio extrinseco contra inclinationem patientis; atqui voluntarium est à principio intrinseco, juxta inclinationem voluntatis, coactum verò est à principio extrinseco contra inclinationem voluntatis; ergo voluntarium & coactum ex naturâ rei opponuntur; ergo actus essentialiter voluntarius, non potest esse coactus; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Experienciâ, quâ constat aliarum potentiarum actus posse vel exerceri, vel impediri contra inclinationem voluntatis; v. g. homini nolenti videre, possunt oculi per vim aperiri: in quo casu, visio illa esset violenta respectu voluntatis quæ illi reniteretur, & quæ talem actum non imperaret, licet aliàs soleat illum imperare.

*Dices 1<sup>o</sup>.* Deus in voluntate Petri, omninò inclinâtâ in odium inimici, potest producere ejusdem inimici amorem; atqui, in hac hypothesi, voluntas Petri cogitur ad amorem inimici; ergo.

*Prob. min.* Ille cogitur ad amorem inimici, qui inimicum amat contra inclinationem suam; atqui Petrus amat inimicum contra inclinationem suam; ergo.

*Resp. dist. maj.* Ille cogitur ad amorem qui amat inimicum contra inclinationem suam præsentem, *conc. maj.* præteritam, *nego maj.* & sic distinctâ *min. nego conseq.* Cùm igitur Deus voluntatem immutat, ait D. Thom. q. 22. de verit. c. 8. *facit ut præcedenti inclinationi succedat alia inclinatio, ita ut prima auferatur, & secunda maneat: undè illud ad quod inducit voluntatem, non est contrarium inclinationi jam existenti, sed inclinationi quæ priùs inerat; undè non est violentia, nec coactio.*

*Dices 2<sup>o</sup>.* Actus peccati est violentus homini; ergo homo patitur violentiam in aliquo actu elicitò.

*Prob. ant.* Quod est contra naturalem hominis inclinationem, est violentum homini; atqui actus peccati, est contra naturalem hominis inclinationem; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quod est contra naturalem hominis inclinationem adæquatam, est violentum homini, *conc. maj.* inadæquatam & partialem, *nego maj.* atqui actus peccati, est contra hominis inclinationem partialem, *conc.* adæquatam; *nego min.* Itaque voluntatis inclinatio partialis, est ea quam, ut rationalis, habet ad bonum honestum & rationi consonum; inclinatio verò adæquata, est ea, quam habet voluntas ad bonum in communi, prout abstrahit à bono vero, vel apparenti: equidem voluntas potest aliquid velle contra inclinationem suam partialem,



lem, & sic vult peccatum; sed non ideò vim patitur, quia tunc vult peccatum sub ratione boni apparentis, quod est intra suum objectum totale & adæquatum, & ideò non repugnat suæ inclinationi.

## ARTICULUS II.

*An & quomodo metus causet involuntarium?*

*Nota 1<sup>o</sup>.* **D**efinitio & divisio metûs tradentur utilitûs Tom. 5. ubi de Contractibus.

*Nota 2<sup>o</sup>.* Hæc duo distingui: fieri *ex metu*, & fieri *cum metu*. Fieri *ex metu*, est metum causam esse aliquid faciendi; talis est metus mortis, ad quam vitandam viator dat latroni pecuniam suam. Fieri *cum metu*, est metum non causare, sed tantum comitari actionem; talis est metus suspendii in latrone, quo non obstante, furatur.

*Nota 3<sup>o</sup>.* Nulli dubium est, quin ea, quæ fiunt cum metu, vel ex metu tam absolute quam relative levi, sint plene voluntaria; & ideò quæstio debet intelligi de iis quæ fiunt ex metu gravi, saltem relative; hinc fit

## CONCLUSIO.

*Quæ fiunt ex metu, sunt, per se loquendo, simpliciter & absolute voluntaria, & involuntaria secundum quid, si fiant ex metu naturali.*

*Prob.* Quod est volitum efficaciter & absolute, nolitum verò ineffaciter & conditionate solum, est voluntarium simpliciter, & involuntarium secundum quid; atqui opus factum ex metu, est volitum efficaciter & absolute, & nolitum ineffaciter & conditionate solum, ut patet in prædicto exemplo projectionis mercium; ergo

MORAL. Tom. IV.

D

est voluntarium simpliciter, & involuntarium secundum quid.

Dixi 1<sup>o</sup>. *Per se loquendo*: quia aliquando, raro tamen, evenit ut actio ex metu facta, sit penitus involuntaria, cum nempe malum imminens ita hominem perturbat, ut tollat cognitionem ex parte mentis, & electionem ex parte voluntatis, quod ex circumstantiis dijudicandum est.

Dixi 2<sup>o</sup>. Quæ fiunt ex metu esse involuntaria secundum quid, *Si fiant ex metu naturali*: quia qui ex supernaturali metu gehennæ vult abstinere ab omni peccato, vult etiam, si metus sit efficax, abstinere ab omni affectu ad peccatum; & sic vitatio peccati ex metu supernaturali gehennæ est ita voluntaria, ut nullo modo sit involuntaria propter affectum inefficacem ad oppositum.

*Nec dicas*, Metus naufragii, quamvis efficax, non excludit affectum inefficacem retinendi merces ad quarum projectionem determinat; ergo similiter metus gehennæ non excludit affectum inefficacem non abstinendi à peccatis, quamvis efficaciter determinet ad illorum detestationem.

*Resp. nego consequ.* Disparitas est, quod naufragium vitari possit, retento affectu inefficaci non projiciendi merces, cum depositio talis affectus non sit medium necessarium ad obtinendum finem: econtrà, malum gehennæ vitari non possit retento affectu ad peccatum, & ideò metus gehennæ non potest efficaciter determinare ad vitandam gehennam, quin determinet etiam efficaciter ad deponendum omnem affectum ad peccatum; non enim potest esse voluntas efficax circa finem, nisi sit etiam efficax circa media ad finem obtinendum necessaria.

*Dices 1°.* Matrimonium & votum solemne, ex metu gravi celebrata, sunt invalida; ergo quæ fiunt ex metu sunt involuntaria simpliciter.

*Resp. dist. ant.* Sunt invalida, jure ecclesiastico, *conc. ant.* jure naturali, *nego ant. & conseq.* nam non ideò sunt invalida, quòd sint involuntaria; sed quòd lex Ecclesiastica ea irritet.

*Dices 2°.* Quod excusat à culpâ, tollit voluntarium; atqui metus gravis excusat à culpâ eum qui legem Dei vel Ecclesiæ transgreditur; ergo.

*Resp. dist. min.* Metus gravis excusat à tantâ culpâ, *conc. min.* à totâ culpâ, *nego min. & conseq.* Itaque metus gravis non excusat à totâ culpâ, cum id quod ex eo fit, sit voluntarium simpliciter; sed excusat à tantâ culpâ, quia quod fit ex metu, fit cum minori voluntatis propensione; gravitas autem, aut levitas peccati à majori vel minori voluntatis propensione ortum habet.

*Inst.* Qui metu præsentis mortis, sabbati legem non observat, immunis est à peccato; ergo metus gravis excusat à toto peccato.

*Resp. 1° retorq.* Qui metu præsentis mortis mentitur, fornicatur, &c. non est immunis à peccato; ergo metus gravis non excusat à toto peccato; ideò

*Resp. 2° dist. ant.* Qui metu præsentis mortis sabbati legem non observat, immunis est à peccato, ex eo quòd metus tollat voluntarium & sufficientem consensum, *nego.* ex eo quòd præcepta affirmativa non obligent, cum adest metus gravis, *conc. ant. & nego conseq.* neque enim fuit mens Dei & hominum, cum tanto incommodo obligare ad observationem præceptorum affirmativorum.



## ARTICULUS III.

*An & quomodo concupiscentia causet involuntarium ?*

*Nota:* **C**oncupiscentia hęc non sumitur pro peccati fomite, qui demeritorie ortus est ex peccato originali; sed sumitur pro quolibet passione, quales sunt desiderium, spes, dolor, amor, odium, ira, &c. & definitur: *Motus appetitūs sensitivi bonum sensibile prosequens, vel malum sensibile fugiens.* Concupiscentia sic sumpta, vel est antecedens, vel consequens.

Concupiscentia antecedens, est ea quę præcedit voluntatis consensum, quem allicit.

Concupiscentia consequens, est ea quę excitatur, seu imperatur à voluntate.

## CONCLUSIO I.

*Concupiscentia antecedens ex unâ parte auget, & ex alterâ minuit voluntarium.*

*Prob.* Ad voluntarium perfectum duo requiruntur, nimirum propensio voluntatis in objectum, & cognitio singulorum in quibus est actio, id est, cognitio finis ad quem actus tendit, & circumstantiarum quę illum comitantur; atqui concupiscentia antecedens auget propensionem voluntatis in objectum, ut videre est in homine qui mulierem insequitur; minuit verò cognitionem eorum in quibus est actio, impedit enim ne mens ab objecto, in quod tendit, rapta & illecta, consideret turpitudinem & injustitiam actūs, &c. Ergo concupiscentia antecedens ex unâ parte auget, & ex alterâ minuit voluntarium.

*Dices 1º.* Quod ex omni parte & simpliciter

minuit liberum , ex omni parte & simpliciter minuit voluntarium ; atqui concupiscentia antecedens ex omni parte & simpliciter minuit liberum , ut dicetur infrà ; ergo.

*Resp. nego maj.* Nam ratio voluntarii sita est in propensione voluntatis , ratio verò liberi sita est in indifferentiâ voluntatis ; atqui potest minui indifferentia voluntatis , etsi non minuatur ejusdem propensio in objectum ; ergo.

*Prob. maj.* Quod minuit speciem , minuit & genus ; atqui concupiscentia minuit simpliciter liberum , quod est species voluntarii ; ergo minuit simpliciter voluntarium , quod est genus.

*Resp. nego maj.* Nam cùm species constet genere & differentiâ , potest minui secundum rationem differentialem , absque eo quòd minuatur secundum rationem genericam : sicut igitur paries albus , qui est species colorati , potest minui secundum albedinem , absque eo quòd minuatur secundum rationem colorati ; ità etiam liberum , quod est species voluntarii contracti per indifferentiam , potest minui ex parte indifferentiæ , nec tamen minui ex parte voluntarii.

*Dices 2º.* Plures Theologi docent , concupiscentiam antecedentem simpliciter & absolute augere voluntarium ; ergo ex nullâ parte illud minuit.

*Resp. nego conseq.* Theologi enim illi considerant voluntarium tantum secundum propensionem voluntatis in objectum delectabile , cognitum ut tale , quæ propensio augetur per concupiscentiam ; non verò illud considerant secundum cognitionem eorum in quibus est actio , quæ cognitio cùm minuatur per concupiscentiam

tiam, ita & minuitur voluntarium. Porrò cùm propensio voluntatis in objectum sensibile, sit id quod principem locum tenet in voluntario; ideo illi Theologi rectè asserunt concupiscentiam, ex hac parte, simpliciter & absolute augere voluntarium.

### CONCLUSIO II.

*Concupiscentia antecedens semper minuit, & aliquando tollit liberum & peccatum.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Quod minuit indifferentiam, fortiusque determinat ad unam partem contradictionis, minuit liberum; atqui passio antecedens semper minuit indifferentiam, fortiusque determinat ad unam partem contradictionis: nam quod minuit cognitionem requisitam ad libertatem, minuit indifferentiam, fortiusque determinat ad unam partem contradictionis; atqui concupiscentia antecedens minuit cognitionem requisitam ad libertatem, nempe considerationem finis & circumstantiarum; ergo. Hinc

*Resolves,* Peccata quæ fiunt ex iis motibus, qui *secundò-primi* dicuntur, quia ad eos advertit ratio, & iis consentit voluntas, leviora esse iis quæ fiunt ex malitiâ, cùm minus habeant liberi; *Peccatum enim*, ait D. Thom. 1. 2. q. 77. a. 6. *essentialiter consistit in actu liberi arbitrii*: ordinariè tamen adhuc superest ad peccatum mortale sufficiens libertas, juxta illud Apostoli, Rom. 7. v. 5. *Cùm essemus in carne, passiones peccatorum*, (id est, incitantes ad peccata) *operabantur in membris nostris ut fructificarent morti*, id est, ut fructus peccatorum parerent, qui nos ducerent ad mortem æternam; atqui solum peccatum mortale fructificat morti æternæ; ergo.



Dixi, *ordinariè*: Quandoque enim contingere potest, ut erga concitatos concupiscentiæ motus *secundò-primos*, perfecta non subsit advertentia, plenusque consensus; quo casu peccatum erit tantum veniale, vel minus grave in genere peccati mortalis.

*Prob 2<sup>a</sup>. p.* Quod totaliter aufert usum rationis, totaliter tollit liberum & peccatum; atqui concupiscentia antecedens quandoque ita est vehemens, ut totaliter auferat usum rationis, *ut patet in his qui propter amorem vel iram insaniunt*, ait D. Thom. *ibid.* a. 7. ergo concupiscentia antecedens quandoque totaliter tollit liberum, & per consequens totaliter à peccato excusat, ait D. Thom. *cit.* Hinc

*Resolves*, Motus eos, qui *primò-primi* dicuntur, quia sine rationis advertentiâ & voluntatis consensu exurgunt, non esse peccata: undè meritò damnata est hæc Baii prop. *Motus pravi concupiscentiæ, sunt, pro statu hominis vitiiati, prohibiti præcepto, non concupisces; undè homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non imputetur.*

### CONCLUSIO III.

*Concupiscentia consequens auget voluntarium & liberum, saltem moraliter, & consequenter aggravat peccatum.*

*Prob.* Concupiscentia, quam voluntas de industriâ & ex electione vult & imperat, ut majori niû, pravo quod sibi proponit objecto fruatur, auget voluntarium & liberum; atqui concupiscentia consequens est ea, quam voluntas vult & imperat, ut majori niû, pravo

quod sibi proponit objecto fruatur ; sivè velit concupiscentiam in se , eam nimirum impellendo in pravum objectum ; sivè eam velit in causâ , fovendo nempè prava habitus , quibus impellatur in pravum objectum ; ergo concupiscentia consequens auget voluntarium & liberum. Undè D. Thom. ibidem , art. 6. ait : *Passio autem consequens non diminuit peccatum , sed magis auget , vel potius est signum magnitudinis ejus , in quantum scilicet demonstrat intentionem voluntatis ad actum peccati ; & sic verum est , quod quanto aliquis majori libidine vel concupiscentiâ peccat , tanto magis peccat.*

*Dices* , Passio , etiam quæ à voluntate imperatur , actûs indifferentiam aliquammodo minuit , nam fortius determinat ad unam partem ; ergo minuit liberum & peccatum.

*Resp. dist. ant.* Indifferentiam actûs minuit , phisicè , *conc. ant.* moraliter , seu secundum morale judicium , *nego ant.* quia est effectus voluntatis , quæ in semetipsâ spontè , liberè , ac prævidens , aut prævidere debens , ardorem mali inflammavit.

*Resolv.* Peccatum ex pravo habitu perpetratum , esse gravius eo , quod semel tantum perpetratum fuit ; ex quo sequitur peccatorem teneri pravum habitum confiteri , undè proscrip-ta est à Clero Gallicano , an. 1700. hæc prop. *Non tenemur Confessario interroganti , fateri alicujus peccati consuetudinem.*

#### ARTICULUS IV.

*De involuntario per ignorantiam.*

*Nota 1<sup>o</sup>.* Ignorantia strictè , est carentia cognitionis debitæ.

Dixi, *debita* : quia carentia cognitionis eorum, quæ quis non tenetur scire, non est ignorantia strictè, sed late, & dicitur nescientia, seu ignorantia negativa; talis est ignorantia Theologiæ in rustico. Ignorantia multipliciter dividitur;

1<sup>o</sup>. Ratione rei quæ ignoratur, dividitur in ignorantiam juris, & facti.

*Ignorantia juris*, est ea, quæ lex, seu præceptum ignoratur; v. g. si quis nesciat affinitatem dirimere matrimonium. Hæc, pro legum diversitate, diversa est; undè alia est juris naturalis, alia juris positivi, tum divini, tum humani.

*Ignorantia facti*, est ea, quæ ignoratur aliquod factum particulare esse legi contrarium; v. g. si quis sciens affinitatem matrimonium dirimere, ignoret eam, cui nubit, sibi esse affinem.

2<sup>o</sup>. Ratione subjecti in quo est, dividitur in vincibilem, & invincibilem.

*Ignorantia vincibilis*, est ea, quæ potuit ac debuit vinci, v. g. studio & diligentia debita.

*Ignorantia invincibilis*, est ea, quæ adhibitâ sufficienti diligentia, non potuit vinci.

3<sup>o</sup>. Ratione actionis quæ fit ex ignorantia, dividitur in antecedentem, concomitantem, & consequentem.

*Ignorantia antecedens* (quæ eadem est cum invincibili,) est ea, quæ omninò antecedit consensum voluntatis, ita ut nullo modo sit volita, & tamen sit causa volendi id quod alioquin ignorans non vellet; talis fuit ignorantia Jacob cum accessit ad Liam sibi obtrusam, quam putabat Rachelem, non facturus, si scivisset esse Liam.

*Ignorantia concomitans*, est ea, quæ licet



comitetur actionem, non est tamen causa illius, quia adhuc fieret, si abesset ignorantia; talis est ignorantia illius qui hostem occidit putans esse feram, ita dispositus, ut quamvis scivisset esse hostem, nihilominus occidisset.

*Ignorantia consequens* (quæ eadem est cum vincibili) est ea, quæ à voluntate directè, vel indirectè est volita.

Dixi 1<sup>o</sup>. *directè est volita*; quando scilicet voluntas expressè vult aliquid ignorare, ut liberiùs peccet, juxta illud Psal. 35. *Noluit intelligere ut benè ageret*. Et hæc ignorantia dicitur *affectedata*.

Dixi 2<sup>o</sup>. *Indirectè volita*; quando nimirum voluntas expressè quidem non vult ignorare, non tamen curat ea addiscere quæ potest & tenetur scire; & hæc ignorantia vocatur *crassa*, seu *supina*.

*Nota* 2<sup>o</sup>. Duo hìc sunt exponenda: 1<sup>um</sup>. Circa quæ detur ignorantia invincibilis. 2<sup>um</sup>. Utrum ignorantia causet involuntarium, duplici paragrapho.

§. I. *Circa quæ detur ignorantia invincibilis?*

*Nota* 1<sup>o</sup>. Certum est 1<sup>o</sup>. dari posse ignorantiam facti invincilem & inculpabilem; siquidem nec Scriptura, nec Patres damnant Jacob, qui ad Liam loco Rachelis obtrusam, accessit.

Certum est 2<sup>o</sup>. dari ignorantiam invincibilem & inculpabilem juris positivi, etiam divini; id patet ex Joan. 15. ubi Christus ait: *Si non venissem & locutus fuisset eis, peccatum non haberent*; quem locum exponens D. Aug. tract. 89. in Joan. ait *illos ad quos Christus non venit, & quibus non est locutus, excusationem habere, non de omni peccato suo, sed de illo, quo in Christum non crediderunt*. Unde Pius V. hanc prop. dam-

navit: *Infidelitas purè negativa, in iis quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

Itaque de solâ ignorantia legis naturalis potest esse difficultas, quæ ut solvatur:

*Nota 2<sup>o</sup>.* Præcepta legis naturalis ad tria genera possunt revocari.

1<sup>um</sup>. Genus est eorum, quæ sunt legis naturalis prima & universalissima principia, cujusmodi sunt ista: *Bonum est amandum, malum est fugiendum. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Deus est colendus, &c.*

2<sup>um</sup>. Genus est eorum, quæ ex primis principiis per facilem discursum deducuntur, cujusmodi sunt ista: *Non furaberis, non occides; & alia Decalogi præcepta.*

3<sup>um</sup>. Genus est eorum, quæ ex primis principiis, nonnisi longo & difficili discursu deducuntur, qualia sunt præcepta quæ prohibent aliquos contractus, qui reverâ usurarii sunt, at tales evidenter non apparent, sed de iis controversia est inter Doctores. His positis sit

### CONCLUSIO I.

*Non datur ignorantia invincibilis juris naturalis circa prima principia, nec circa proximas eorum conclusiones.*

*Prob. tota prop.* Illud invincibiliter non ignoratur, cujus cognitio tam evidens est, ut sine difficultate haberi possit; atqui talis est cognitio primorum juris naturalis principiorum, & proximarum eorum conclusionum. Nullus enim est qui non videat veritatem hujus principii: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, ex quo facili negotio concludit, *Ergo non est furandum, occidendum, &c.* Undè Apostolus Rom. 1. dicit

Gentiles , qui contra ista peccant , esse *dignos morte* ; cujus rationem reddens , Rom. 2. v. 14. ait : *Cum enim gentes , quæ legem non habent , naturaliter ea quæ legis sunt faciunt , ejusmodi legem non habentes , ipsi sibi sunt lex.* Ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1º.* Potest dari ignorantia invincibilis juris positivi excusans à peccato ; ergo & juris naturalis quoad conclusiones proxime ex principiis deductas.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est , quòd illæ conclusiones continentur in principiis primariis , in cordibus nostris à naturâ inscriptis , à quibus facili negotio deducuntur ; at verò præcepta juris positivi , cum pendeant à solâ voluntate Legislatoris humani , vel divini , nullam habent cum principiis , lumine naturali notis , connexionem , & ideò de illis possumus habere ignorantiam invincibilem & inculpabilem.

*Prob. conseq.* Ex Apost. Rom. 7. v. 7. dicente : *Peccatum non cognovi nisi per legem* , nempè scriptam , continentem præcepta Decalogi ; at qui lex scripta potest ignorari ; ergo & lex naturalis quoad proximas conclusiones.

*Resp. dist. min.* Lex scripta continens præcepta Decalogi , potest ignorari , quoad peccata interna , *conc. min.* quoad peccata externa , *nego min. & conseq.* Itaque homines , ante legem scriptam , ex hoc legis naturæ principio : *Quod tibi fieri non vis , alteri ne feceris* , concludebant actus externos , quibus solis alteri nocetur , esse peccata ; sed non concludebant actus internos voluntatis & desiderii , quibus non infertur nocumentum proximo , & qui consequenter re-



motè tantùm deducuntur ex primis naturalis legis principiis esse peccata ; quos ut corrigat Deus , præceptis , *non mæchaberis , non furtum facies* , addit præceptum , *non concupisces*. Hanc esse mentem Apostoli , patet ex contextu , ait enim : *Peccatum non cognovi , nisi per legem ; nam concupiscentiam nesciebam , nisi lex diceret , non concupisces*.

*Objic. 2º.* Licèt non possit dari ignorantia invincibilis circa præcepta naturalia secundi generis , secundùm se & absolutè spectata ; saltem potest dari , si considerentur ut vestita finis apparenter boni circumstantiâ : v. g. *mentiri ad vitam conservandam ; seipsum occidere ad tuendam castitatem* ; ergo saltem in aliquo casu potest dari , &c.

*Resp. nego ant.* Ignorantiæ enim , in prædictis etiam casibus , potest faciliè depelli per istud principium , lumine naturali notum : *Non sunt facienda mala , ut eveniant bona*.

*Inst.* Plures virgines ad tuendam castitatem , innoxie in flammis se præcipites dederunt , ut legitur de sanctâ Apolloniâ ; atqui in hoc non fuerunt innoxie , nisi quia invincibiliter ignorabant suïcidium , in hoc casu , esse prohibitum ; ergo.

*Resp. nego min.* Sed idè innoxie fuerunt , quia non sibi intulerunt mortem , nisi ex speciali instinctu Spiritûs sancti , vitæ & necis Domini. *Hoc fecerunt* , ait D. Aug. l. 1. de Civit. Dei , c. 26. *non humanitus deceptæ , sed divinitus jussæ ; nec errantes , sed obedientes ; sicut de Samsonè nobis fas non est aliud credere , cum eum Apostolus Heb. 11. Sanctis annumeret.*

*Resolv.* A mortali non excusandos parvulos ; qui in seipfos , vel in socios , turpitudines exercent ; nec conjugatos , qui jure matrimonii turpiter abutuntur ; multò minùs eos , qui pollutionem sibi promovent , quantumvis protestentur se penitùs ignorasse hæc & similia esse illicita ; nam ad peccatum mortale non requiritur explicita mali cognitio , ut definit Clerus Gallicanus ann. 1700. in damnatione prop. contrariæ ; sed sufficit , ut gravis quædam turpitudò in tali actione confusè apprehendatur , quam adolescentulos apprehendere constat , ex eo quòd in actionibus inhonestis exercendis , studiosissimè sese occultent.

### C O N C L U S I O I I .

*Datur ignorantia invincibilis juris naturalis quoad conclusiones à principiis magis remotas.*

*Prob.* Experientiâ , quâ constat Theologos , etiam doctissimos & sanctissimos , veritati ac orationi addictissimos , post diligens studium , oblataque Deo preces pro assequendâ veritate , inter se , circa res ad jus naturale pertinentes , dissidere : sic *D. Thomas* docet Judici licitum esse ad mortem damnare eum , quem privatâ scientiâ certò novit innocentem , dum juridicâ scientiâ ac servato ordine juris nocentem esse probatum est ; quod tamen *S. Bonaventura* negat ; ergo alteruter , cum ordinariis naturæ & gratiæ auxiliis , erravit in materiâ legis naturalis ; ergo datur ignorantia invincibilis , &c.

Confirmat hanc probationem *S. Antonin.* 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. dicens : *Quòd sint contrariæ opiniones inter Doctores sanctitate & scientiâ maximos , in materiâ morali , aliquanda*

etiam ad salutem necessariâ, patet per exempla : nam B. Thom. in 4. tenet quoddam post lapsum in mortale, non oportet aliquem statim confiteri sub præcepto, habitâ copiâ Confessoris, nisi in paucissimis casibus, qui ibi ponuntur dist. 17. & cum eo tenet Richardus : sed Hugo de S. Victore, & B. Bonaventura sunt in hoc contrariæ opinionis, &c. Neutra opinio illorum reprobatur, etsi B. Thomæ opinio communiùs teneatur, quæ tamen minùs tuta videtur . . . . Raymundus Decretista & sanctus ; in Summâ tenet, quoddam participare cum excommunicatis excommunicatione majori in loquelâ, in cibo & hujusmodi, in casu non concesso, sit morale universaliter : Sed B. Thomas in 4. & Joan. Andreas, & Archidiaconus tenent contrarium ; & sic exempla innumera possunt poni. Quis porro asseruerit, Doctores ita præstantes ac sanctos, post adhibitam sedulam industriam, postque oblatas Deo preces pro assequendâ veritate culpam perpetrâsse, quod eam non invenerint ? aut quis negaverit, licitum esse sequi sententiam, quam Doctores, summâ in Ecclesiâ auctoritate præditi, docent ?

### Solvuntur Objectiones.

*Objic. 1<sup>o</sup>.* Scriptura sacra perspicuè docet, nullam omninò dari ignorantiam invincibilem in his quæ sunt de jure naturali ; ergo.

*Prob. ant.* Sap. 6. v. 13. dicitur : Clara est, & quæ numquam marcessit, sapientia, & facillè videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit : assidentem enim illam foribus suis inveniet. Et Jac. 1. v. 5. Si quis



*autem vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluentè, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans, &c.* Ergo nulla omninò datur ignorantia invincibilis in his quæ sunt de jure naturali.

*Resp. dist. conseq.* Nulla datur ignorantia invincibilis circa prima legis naturæ principia, nec circa proximas eorum conclusiones, *conc.* circa conclusiones à principiis magis remotas, *nego conseq.* Porrò auctoritates S. Scripturæ intelligendæ sunt de primis legis naturæ præceptis, deque illis, quæ facili ratiocinio ex iisdem deducuntur; non verò de conclusionibus remotis, abstrusis, cognituque difficillimis etiam ab ipsis Doctis.

*Inst.* D. Aug. lib. de quantitate animæ, cap. 14. ait: *Magna, crede mihi, magna, sed sine ullâ mole, de animo cogitanda sunt. . . fieri autem non potest quâdam divinâ providentiâ, ut religiosis animis, seipsos, & Deum suum, id est, veritatem, piè, justè, & diligenter quærentibus, inveniendi facultates defint.* Ergo nulli piè ac diligenter quærenti, facultates defunt quamcumque juris naturalis, etiam remotioris à primis principiis, veritatem inveniendi.

*Resp. nego conseq.* Tùm quia D. Aug. ibi loquitur de cognitione existentiae Dei, quæ est summa veritas in omnium hominum cordibus inscripta, & est primarium legis naturalis principium. Tùm quia si quid argumentum evinceret, æquè concluderet, vincibilem esse omnem juris positivi & facti ignorantiam, ac illam quæ est juris naturæ, quod nullus unquam asserere ausus est.

*Objicies*

*Objic. 2<sup>o</sup>.* Homo omnem ignorantiam cujuscumque juris naturalis vinceret, si vellet; ergo nulla est invincibilis.

*Prob. ant.* Ex isto Theologico effato: *Faciendi quod in se est, Deus non denegat gratiam*; ergo si homo illâ gratiâ uti vellet, orando, pulsando, &c. quamcumque vinceret ignorantiam juris naturalis.

*Resp. dist. axioma*: *Faciendi quod in se est, Deus non denegat gratiam ordinariam, conc. extraordinariam, nego axioma.* Itaque in hâc tenebrarum valle gratia ordinaria, quæ facienti quod in se est ex viribus gratiæ, non denegatur, sufficit ad cognoscenda præcepta legis naturæ intimata & promulgata, sed non sufficit ad omnes difficultates, quæ oriri possunt ex legibus & præceptis naturalibus, cognoscendas; ad harum difficultatum notitiam comparandam, necessaria sæpè foret gratia extraordinaria & miraculosa, quam Deus, juxta ordinem providentiæ suæ, conferre non decrevit, etiam justis in oratione perseverantibus, ut patet de DD. Thomâ & Bonaventurâ, quorum alter aliquid ad jus naturæ spectans ignoravit, licèt orationem assiduam non prætermiserit.

*Inst. 1<sup>o</sup>.* Ignorantia invincibilis aliquarum difficultatum legis naturæ abstrusarum, consequitur ignorantiam invincibilem ipsarum legum & præceptorum naturalium; atqui absurdum est dicere aliqua præcepta legis naturæ intimata & promulgata, posse invincibiliter ignorari; ergo.

*Resp. nego maj.* Cujus falsitas manibus contretatur in legibus humanis, quæ quando sufficienter promulgatæ sunt, omnibus innotescunt, aut

innotescere debent, licet difficultates, quæ super iisdem à peritioribus moventur, plures lateant; similiter Deus leges & præcepta omnibus intinavit, verum difficultates, & conclusiones harum abstrusas ac remotiores non omnibus denuntiavit, ob fines sibi notos, quod sic explicat D. Thom. 1. 2. quæst. 10. art. 1. dicens: *Quædam sunt in humanis actibus aded explicita, quod statim cum modicâ consideratione possunt approbari, vel reprobari per illa communia & prima principia. Quædam verò sunt ad quorum iudicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sed sapientium: sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes; sed ad solos Philosophos.* Et paulò infra subdit: *Quædam enim sunt quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda, vel non facienda: sicut, honora patrem tuum & matrem: &, non occides, non furtum facies: & hujusmodi sunt absolutè de jure naturæ. Quædam verò sunt, quæ subtiliori consideratione rationis à sapientibus judicantur esse observanda; & ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplinâ, quâ minores à sapientibus instruantur.*

*Inst. 2º.* Deus facienti quod in se est ex viribus gratiæ, non denegat gratiam ad vitandum peccatum; atqui quælibet actio contra difficultates legis naturæ magis abstrusas, & conclusiones à principiis magis remotas peccatum est; ergo.

*Resp. dist. maj.* Non denegat gratiam ad vitandum peccatum, formaliter sumptum, *conc.* ad vitandum peccatum, materialiter sumptum,



*nego maj.* & sic distinctâ minore, *nego conseq.* . . .  
Itaque ad illius effati Theologici verificationem, non necesse est, ut Deus det gratiam ad quodlibet, sed sufficit quòd det gratiam ad removendos salutis obices; peccatum autem materiale, quod ex ignorantia prorsus invincibili committitur, non est obex salutis.

*Inst.* 3<sup>o</sup>. Ergo mandata Dei plerumque sunt impossibilia, adimplere quippè non possumus, quod invincibiliter ignoramus; falsum conseq.

*Resp. nego illatum.* Debet enim distingui præceptum à consuetudinibus quæ ad hoc præceptum revocari possunt. Deus equidem legem suam & omnia præcepta clarè & sigillatim promulgavit, explicuit; lumen quo illa dignoscantur, infudit, & principia indidit, quibus facile ea dignosci valeant; & ideò verum est, quòd nulla lex Dei, nullum illius præceptum sit impossibile; verum hinc non sequitur, Deum debere communicare notitiam omnium conclusionum & difficultatum, quæ ex tali lege aut præcepto oriri possunt; aliàs ordinem providentiæ ordinariæ transilire deberet, & non rarò miracula patrare. Quando autem dicitur Deum impossibilia non jubere, intelligitur respectu illorum præceptorum, quæ secundum legem ordinariam, & citra miraculum cognosci possunt.

§. II. *An & quomodo ignorantia causet involuntarium.*

*Nota:* Lutherus in cap. 12. Gen. negavit ignorantiam, etiam invincibilem, juris naturalis excusare à peccato. *Scholastici dicunt*, inquit, *ignorantiam invincibilem reddere excusabiles: tanta est cæcitas in Papæ scholis & Ecclesiis.*

Janfenius l. 2. de ftatu nat. lapfæ , c. 2. & feq. docet ignorantiam invincibilem juris pofitivi , non verò ignorantiam juris naturalis invincibilem , excufare à peccato ; ratio difcriminis juxta eum hæc eft : quòd ignorantia juris naturalis , non verò ignorantia juris pofitivi , à peccato originali fluxerit , & in Adamo nobis voluntaria fuerit , quod ad peccatum actuale fufficere exiftimat. Idem docet Nicolius Differt. de probabilit. quæ reperitur poft 5<sup>am</sup>. Montaltii Epiftolam , feft. 3. §. 7.

### C O N C L U S I O I.

*Ignorantia antecedens & invincibilis , etiam juris naturalis , caufat involuntarium simpliciter , & ab omni culpâ eximit.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Quod fit abfque cognitione fingulorum in quibus eft actio , & contra voluntatis propenfionem , eft involuntarium simpliciter ; fed quod fit ex ignorantia antecedente & invincibili , fit abfque cognitione fingulorum , &c. aliàs non efferet invincibilis ; fit etiam contra voluntatis propenfionem , cum operans cenfeatur ita difpofitus , faltem habitualiter , ut , fi ignorantia abeffet , opus non præftaret ; ut patet exemplo Jacob fuprà adducto dicentis Laban , Genef. 29. v. 25. *Quid eft quod facere voluifti ? quare impofuifti mihi ?* ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Nullum eft peccatum , nifi fit voluntarium , juxta illud D. Aug. l. de verâ Relig. c. 4. *Ufque aded peccatum voluntarium eft , ut nullo modo fit peccatum , fi non fit voluntarium ; & hoc ita manifeflum eft , ut nulla doctõrum paucitas , nulla indoctõrum turba difsentiat.* Et illud D. Thom. q. 76. a. 2. *Nulla ignorantia invinci-*

*bilis, est peccatum.* Quæ particula *nulla*, omnem prorsùs cuiuscumque juris ignorantiam invincibilem, à ratione peccati excludit. Atqui quod fit ex ignorantia invincibili, est prorsùs involuntarium; ergo non est peccatum.

Undè Alex. VIII. damnavit hanc prop. *Tamet si detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ, non excusat à peccato formali.* prop. 2<sup>a</sup>.

*Confirm.* Erroneum est, & à Conc. Trid. damnatum, quòd Deus hominibus impossibilia præcipiat; atqui si ignorantia invincibilis non excusaret à peccato, Deus hominibus impossibilia præciperet; nam cùm voluntas nostra sit potentia cæca, non potest in objectum ferri, nisi illud ipsi ab intellectu exhibeatur; ergo ignorantia invincibilis excusat à peccato.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicit Jansenius* 1<sup>o</sup>. Ignorantia invincibilis juris naturæ, est voluntaria in suâ causâ, nempe in peccato originali, & voluntate Adami totius naturæ humanæ capitis; at hoc sufficit, ut actio quam causat fit mala & culpabilis; ergo.

*Prob. min.* Ad peccatum originale sufficit, quod sit voluntarium in capite, scilicèt in Adamo; ergo & ad peccatum actuale, seu personale.

*Resp. nego consequ.* cum D. Thom. in 4. dist. 30. q. 1. a. 2. dicente: *Ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, sicut patet in culpâ actuali; ad culpam verò naturæ (id est, ad originale peccatum) non requiritur nisi voluntas in illâ naturâ, hoc est, in capite illius naturæ.* Ergo ad rationem peccati personalis, requiritur actus à propria voluntate peccantis elicitus; aliàs mo-



tus indeliberati concupiscentiæ, & quidquid fit in phrenesi & amentia, essent peccata, cum illa omnia ex peccato originali proveniant.

Hinc Alex. VIII. hanc prop. damnavit; *In statu naturæ lapsæ, ad peccatum formale & demeritum, sufficit illa libertas, quæ voluntarium ac liberum fuit in causâ suâ, peccato originali & voluntate Adami peccantis. prop. 1<sup>a</sup>.*

*Objic. 2<sup>o</sup>.* Nonnulla facta ex ignorantia invincibili, quæ in Scripturâ appellantur peccata; ergo ignorantia invincibilis non excusat.

*Prob. ant. Genes. 20.* actio Regis Abimelech accipientis in uxorem, Saram quam invincibiliter ignorabat esse conjugem Abrahæ, dicitur grande peccatum. Item Luc. 12. dicitur: *Servus, qui non cognovit voluntatem Domini sui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis, &c.* Ergo.

*Resp. dist. ant. quoad primum:* Actio Abimelech vocatur grande peccatum, materialiter, quia erat illicita ex naturâ rei, *conc.* formaliter, *nego ant.* nam ob defectum cognitionis & scientiæ, non erat culpabilis; prætereà ignorantia Abimelech, erat facti.

*Resp. dist. etiam ant. quoad secundum:* Servus qui non cognovit voluntatem Domini, vincibiliter, vapulabit paucis, *conc.* invincibiliter, *nego ant.* cum D. Thom. in catenâ, in c. 12. Luc. qui hæc verba Theophilacti refert: *Cur punitur ignorans voluntatem Domini? quia cum ipse scire potuisset, noluit; sed pigritans ipse fuit ignorantia suæ causa.* Prætereà ignorantia illius servi, est ignorantia juris positivi, quam innocentem propugnat Jansenius, si sit antecedens & invincibilis.

*Inst.* 1<sup>o</sup>. Concil. Diospolitanum , teste Aug. l. de gestis Pelag. c. 36. damnavit hanc Pelagii sententiam : *Oblivio & ignorantia non subjacent peccato , quoniam non secundum voluntatem eveniunt , sed secundum necessitatem.* Ergo ignorantia causat peccatum , etiam quando evenit secundum necessitatem , & est invincibilis.

*Resp.* 1<sup>o</sup>. *Sic concludendo* : Ergo ignorantia juris positivi , etiam quando evenit secundum necessitatem & est invincibilis , causat peccatum ; quod tamen negant Jansenius & Nicolius.

*Resp.* 2<sup>o</sup>. *nego consequ.* Patres enim illius Concilii loquuntur de ignorantia vincibili , si non viribus naturæ , saltem viribus naturæ , contra Pelagium , qui contendebat eam solam ignorantiam culpæ imputari , quæ solis gratiæ viribus expelli potest ; aliam verò , quæ non nisi beneficio gratiæ , ( cujus necessitatem rejiciebat ) depelli potest , contendebat esse invincibilem.

*Inst.* 2<sup>o</sup>. Juxta Conc. Diospol. ignorantia invincibilis ipsa est peccatum ; ergo à fortiori , est causa peccati.

*Resp. dist. ant.* Ignorantia invincibilis , est peccatum , sumptum pro pœnâ & effectu peccati , *conc.* sumptum pro offensâ Dei , *nego consequ.* Quæ responsio ut clarè constet , notandum est , errorem capitalem Pelagianorum , fuisse negare peccatum originale ; quem errorem necessariò consequeretur alter , nullam scilicet ignorantiam subjacere peccato , id est , esse foetum originalis peccati. Contendebant ergo , ita necessariò ignorantiam consequi conditionem naturæ humanæ , ut , etiam Adamo non peccante , homines ignorantiae tenebris obvoluti forent ;

Patres autem Diospolitani, ut ab imis radicibus Pelagianorum evellerent errorem, docuere ignorantiam quamcumque, etiam invincibilem, subiacere peccato, id est, esse poenam & effectum peccati originalis. Et ne gratis hanc responsionem dare videar, affero textum D. Augustini, qui lib. 3. de libero arb. cap. 19. hæc scribit: *Nam illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, idè dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis ducunt originem; illud enim præcedens, meruit ista sequentia.* Et infra: *Non solum peccatum, illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberæ enim voluntate, & à sciente committitur; sed etiam illud, quod jam de illius supplicio consequatur necesse est. Sed etiam ipsam naturam aliter dicimus, (cùm propriè loquimur) naturam hominis, in quâ primus in suo genere inculpabilis factus est: aliter istam, in quâ ex illius damnati poenâ, & mortales, & ignari, & carni subditi nascimur.*

*Inst. 3<sup>o</sup>.* Ex Reg. juris: *Ignorantia facti, non juris excusat.* Ergo non omnis ignorantia excusat à peccato.

*Resp. 1<sup>o</sup>.* Retorqueri posse argumentum de juris positivi ignorantia.

*Resp. 2<sup>o</sup>. dist. Reg.* Ignorantia facti, non juris excusat, in foro externo, *conc.* Sic enim excusatur qui hominem occidit, putans esse feram: in foro interno, *nego.* Ratio est quòd in foro externo quis non præsumitur ignorasse inculpabiliter; quod debuit scire.

*Inst. 4<sup>o</sup>.* D. Aug. l. de grat. & lib. arb. c. 3. ait: *Illà ignorantia, quæ non est eorum qui scire*



*nolunt , sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt , neminem sic excusat , ut sempiterno igne non ardeat , si propterea non credidit , quia non audivit omninò quod crederet , sed fortassis ut minus ardeat ; non enim sine causâ dictum est : effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt ;* atqui ignorantia eorum qui simpliciter nesciunt , est ignorantia invincibilis omnis juris ; ergo ignorantia invincibilis juris naturalis non excusat à peccato.

*Resp. nego min.* D. Aug enim , eò loci , loquitur adversùs Pelagianos de ignorantia vincibili legis Evangelicæ , quam docet non excusare à toto peccato infidelitatis. Immediatè enim , ante laudatum à Janfenio textum , ait : *Aliud est enim nescisse , aliud scire noluisse. Voluntas quippè in eo arguitur de quo dicitur : noluit intelligere ut benè ageret. Sed & illa ignorantia , quæ non est eorum qui scire nolunt , &c.* ut suprâ. Distinguit ergo duplicem ignorantiam vincibilem , aliam affectatam , & hæc illorum est qui lumen positivè respuunt , de quibus dicitur : *Noluit intelligere ut benè ageret.* Alteram simplicem ; eorumque est , qui desidia omittunt addiscere præcepta , alioquin sibi obvia , & propter hanc asserit D. Augustinus damnandos esse qui legem Evangelicam ignorant , quia id nesciunt negligentia , quod adhibitâ diligentia scire potuissent. Ita hunc locum interpretatur Magister Sentent. in 2. dist. 22. Quam interpretationem confirmant , tum exemplum servi nescientis voluntatem Domini , quod D. Aug. ante verba relata , adducit : tum particula , *tanquam simpliciter* , quæ satis indicat sermonem non esse de ignorantia pror-

sus invincibili. Tùm quod cap. 11. ejusdem dicit: *Ipsa divina præcepta homini non prodesse, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret; sicut Dominus dicit de Judæis: si non venissem, &c. ergo excusationem habuissent, si promulgata non fuissent præcepta. Quapropter inexcusabilis asseritur eorum ignorantia, quòd promulgatam legem addiscere per superbiam neglexerint, ut immediatè ibidem addit: Quomodò dicit (Apostolus) inexcusabiles, nisi de illâ excusatione quâ solet dicere humana superbia: si scivissem, fecissem, idèd non feci, quia nescivi: aut si scirem, facerem: idèd non facio, quia nescio. Hæc eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur. Sed sunt homines, qui etiam de ipso Deo se excusare conantur.*

*Inst. 5º. D. Aug. ibi loquitur de ignorantia in genere; ergo tam comprehendit ignorantiam invincibilem, quàm vincibilem.*

*Resp. nego ant. D. enim Aug. agit de solâ ignorantia vincibili: nam disputat contra Pelagianos, qui contendebant nulla esse ignorantia peccata ob defectum libertatis, Quæ enim ignorantur, inquebant, liberè non eliguntur; quos arguit D. August. docens ignorantias esse peccata, eò quòd voluntariè & liberè scientia legis respuitur, ait enim cap. 11. ibidem: Si volueris observare mandata, conservabunt te; apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum tuam... ecce apertissimè videtur expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Si disputatio cum Pelagianis fuisset de invincibili & antecedente ignorantia, vana ac inutilis esset argumen-*

tatio D. Augustini ; nam planum est , ipso fatente Jansenio , ignorantiam invincibilem , auferre libertatem. Victoria ergo ex parte Pelagianorum fuisset , si Augustinus probandum suscepisset , ignorantiam invincibilem esse peccatum. Perspicuè ergo D. Aug. in hoc libro , evincit nullum esse peccatum actuale absque libertate propriâ personæ peccantis , quæ libertas non reperitur in eo qui agit ex ignorantia invincibili.

*Inst. 6º.* Atqui D. Aug. pluribus locis , ignorantiam , etiam invincibilem , vocat peccatum ; ergo.

*Resp. dist. ant.* Vocat peccatum , improprie , quatenus est pœna & effectus peccati originalis , conc. proprie , quatenus est culpa imputabilis , nego ant. & conseq. Sese explicat D. Aug. lib. 3. de libero arb. cap. 19. ubi hæc scribit : *Nam illud , quod ignorans quisque non rectè facit , & quod rectè volens facere , non potest , ided dicuntur peccata , quia de peccato illo liberæ voluntatis ducunt originem ; illud enim præcedens , meruit ista sequentia . . . . . Non solum , peccatum illud dicimus , quod proprie vocatur peccatum , liberâ enim voluntate , & à sciente committitur ; sed etiam illud , quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.* Docebat ergo D. Aug. cum aliis Patribus , ignorantiam quamcumque , etiam invincibilem , esse peccatum , id est , pœnam & effectum peccati , ut indè funditus evelleret errorem Pelagianorum , qui ut facilius negarent peccatum originale , contendebant ignorantiam ita necessario consequi ipsius naturæ conditionem , ut etiam Adamo non peccante , homines ignorantia tenebris circumfusi forent.



*Inst. 7<sup>o</sup>. D. Thom. quodlib. 3. q. 4. a. 2. ait : In iis quæ pertinent ad fidem & bonos mores , nullus excusatur , si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri ; ergo ignorantia invincibilis , &c.*

*Resp. nego consequ. Loquitur enim D. Thom. de eo , qui sequitur opiniones manifestè repugnantes Scripturæ , aut Ecclesiæ auctoritati ; addit enim : Qui assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium , aut contra id quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem , non potest ab erroris vitio excusari. Talis autem erronea opinio , est evidenter vincibilis & culpabilis.*

### CONCLUSIO II.

*Ignorantia consequens seu vincibilis affectata voluntarium & peccatum auget ; ignorantia verò non affectata facit opus simpliciter voluntarium , & involuntarium secundum quid , unde minuit voluntarium & peccatum.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p. Illud auget voluntarium & peccatum , quod procedit ex majori quâdam deliberatione & affectu liberiùs peccandi ; atqui ignorantia consequens affectata procedit ex majori deliberatione & affectu liberiùs peccandi ; cum sit peccatorum , cum contemptu formali , Deo dicentium : Recede à nobis , scientiam viarum tuarum nolumus , Job. 21. v. 14. Ergo auget voluntarium & peccatum , quod ideò est peccatum ex malitiâ.*

*Prob. 2<sup>a</sup>. p. Qui vult causam alicujus effectûs , vult in illâ causâ eundem effectum ; sed qui agit ex ignorantia consequente non affectatâ , vult saltem indirectè ipsam ignorantiam , quæ est causa peccati ; ergo vult peccatum ; ergo.*

*Prob. 3<sup>a</sup>. p.* Quod fit contra aliquam voluntatis inclinationem, est involuntarium secundum quid; sed effectus proveniens ex ignorantia purè consequente, fit contra aliquam voluntatis inclinationem: nam qui operatur ex ignorantia purè consequente, ita affectus esse censetur, ut si adesset scientia, non poneret effectum, undè adveniente scientia post illum effectum positum, tristatur; ut patet in eo, qui non factâ sufficienti diligentia, putans occidere feram, occidit amicum; ergo effectus proveniens ex ignorantia purè consequente, fit contra aliquam voluntatis inclinationem; ergo.

*Dices contra 2<sup>am</sup>. p.* Malitia effectus ex ignorantia purè consequente positi, non fuit cognita; ergo non fuit volita.

*Resp. dist. consequ.* Non fuit volita, directè & in se, *conc.* non fuit volita, indirectè & in causa, nempe in negligentia addiscendi, *nego consequ.* Talis enim negligentia potuit ac debuit vitari; undè meritò imputatur voluntati, quòd illam non vitaverit, adhibendo diligentiam debitam & possibilem ad discendum ea quæ homo scire tenetur: hinc

*Resolv.* Ignorantem quæ ad Judicis munus rectè obeundum necessaria sunt, peccare graviter, non solum cum suscipit munus Judicis, sed toties quoties propter ignorantiam legum particularium sui officii, fert sententiam injustam, quamvis putet esse justam; nam suæ sententiæ injustitiam potuit & debuit cognoscere, & sic ea ipsi meritò imputatur: idem dicendum de Advocato, Medico, Confessario, Opifice, &c.

*Ignorantia concomitans nec voluntarium , nec involuntarium facit , ideoque nec accusat , nec excusat.*

*Prob.* Quia nihil potest dici voluntarium , quod non est cognitum neque in se , neque in causâ ; nec involuntarium quod non fit contra voluntatis inclinationem : atqui quod fit cum ignorantia concomitante , non est sic cognitum , aliâs esset ignorantia consequens ; nec fit contra voluntatis inclinationem , imò potius fit cum magnâ , saltem habituali , voluntatis propensione , ut patet in eo , qui credens feram occidere , hostem suum occidit , quemque occidisse gaudet , ut rescivit ; ergo.

Hinc qui cum ignorantia concomitante occidit inimicum , non est reus homicidii , nec subiacet pœnis contra homicidas latis , licet propter affectum inordinatum reus existat.

*Dices :* Ignorantia concomitans non causat voluntarium ; ergo causat involuntarium. *Prob. conf.* Inter duo contradictoria non datur medium ; atqui voluntarium & involuntarium sunt duo contradictoria ; ergo.

*Resp. nego min.* Nam inter voluntarium & involuntarium positive , datur involuntarium negative , seu , ut ait D. Thom. *non voluntarium.*

Cæterum , quod de ignorantia dictum est , idem dicendum 1<sup>o</sup>. de *inadvertentiâ* , quæ est privatio attentionis actualis ; 2<sup>o</sup>. de *inconsideratione* , quæ est privatio debitæ inspectionis ; 3<sup>o</sup>. de *oblivione* , quæ est privatio recordationis rei aliâs notæ. Quare inadvertentia ( idem dic de



aliis ) excusat à toto peccato , si sit invincibilis ; excusat verò à tanto , sed non à toto , si sit vincibilis.

*Quær. Quandonam inadvertentia est vincibilis aut invincibilis ?*

*Resp. 1º.* Est *invincibilis* , quando non potuit nec debuit vitari ; talis est inadvertentia illius , qui habens cognitionem habitualement , est distractus , nec ullam suæ distractioni dedit causam.

*Resp. 2º.* Est *vincibilis in seipsâ* , cùm agens advertit opus quod aggreditur , plus mereri considerationis , nec tamen vult majorem adhibere.

*Resp. 3º.* Est *vincibilis in alio* , cùm agens vult aliud , quod cum seriâ rei faciendæ consideratione cohærere non potest ; v. g. quando vult sequi passionem ; vel cùm non exiit se defectu quodam qui advertentiam tollit , v. g. præcipitatione in agendo , negligentia in attendendo , &c.

## QUÆSTIO TERTIA.

*De voluntario libero , seu de libertate.*

*Nota I* Libertas , secundùm vim nominis , idem  
 1º. **L** est ac immunitas à servitute , & ideò totuplex est libertas , quotuplex est servitus ; atqui quadruplex est servitus , peccati scilicet , miseriæ , coactionis , & necessitatis simplicis ; ergo.

*Libertas à peccato* , habetur per gratiam , redditque hominem sanctum . . . *Libertas à miseriâ* , habetur per gloriam , redditque hominem beatum . . . *Libertas à coactione* habetur per spontaneitatem , redditque hominem spontè volentem . . . *Libertas à necessitate simplici* , habetur per indifferentiam voluntatis , redditque homi-

nem perfectè liberum : de duobus ultimis hic agimus.

*Libertas à coactione*, seu spontaneitatis, est immunitas ab omni violentiâ contra voluntatis propensionem, ab extrinseco illatâ. Hæc dicitur essentialis, quia est inseparabilis ab homine, cujus voluntas non potest cogi quoad actus suos internos, & convenit omni, qui non coactè, sed spontè agit, etiamsi necessariò agat; hoc sensu Pater in divinis liberè generat Filium.

*Libertas à necessitate simplici*, quæ etiam electionis, indifferentiæ, & arbitrii dicitur, eò quòd per illam unum præ alio eligi possit; & accidentalis, eò quòd in homine esse & ab homine abesse possit, vulgò definitur, *potentia activa, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest ex se agere, vel non agere, agere hoc vel illud, sive diversum, sive oppositum.*

Dicitur 1<sup>o</sup>. *Potentia activa*; voluntas nempe, quæ à Deo mota & excitata cooperatur assentiendo Deo vocanti & excitanti, ex Conc. Trid. sess. 6. can. 4.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *quæ positis omnibus, &c.* Si enim unum ex prærequisitis ad agendum desit, profectò in actum potentia prorumpere nequit.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *potest ex se*; id est, non ab alio determinante, sed ex suâ propriâ determinatione, cum voluntas sit potentia suorum actuum domina & arbitra.

Dicitur 4<sup>o</sup>. *potest agere, vel non agere*; v. g. amare, vel non amare, & est libertas contradictionis & exercitii.

Dicitur 5<sup>o</sup>. *agere hoc vel illud, sive diversum, v. g. hoc vel illud bonum; sive oppositum, v. g. bonum*

DE ACTIBUS HUMANIS. 81  
bonum vel malum , virtutem aut vitium , &  
est libertas *contrarietatis* seu *specificationis*.

Nota 2°. Libertati opponitur necessitas , quæ  
est determinatio ad unum , & multipliciter divi-  
ditur :

1°. In necessitatem antecedentem , seu abso-  
lutam , quæ etiam *consequentis* dicitur ; & in ne-  
cessitatem consequentem , seu conditionatam ,  
quæ etiam *consequentis* dicitur.

*Necessitas antecedens* , est ea , quæ vel ratio-  
nis & voluntatis usum antecedit , ut fit in *moti-  
bus primo-primis* , & dicitur involuntaria , seu in-  
deliberata ; vel quæ , licet fiat ex plenâ rationis  
advertentiâ , sic tamen voluntatis consensum in-  
declinabiliter antecedit , ut eum invincibiliter &  
insuperabiliter exprimat , sive immutabiliter ,  
qualis est necessitas amandi Deum intuitivè vi-  
sum ; sive mutabiliter & transitorie , qualis in  
sententiâ Jansenii , inducitur ex delectatione re-  
lativè superiori , sive ad bonum , sive ad malum ,  
cui voluntas nec unquam vult , nec velle potest  
resistere relativè , id est , in his in quibus ver-  
fatur circumstantiis.

*Necessitas consequens* , est ea , quæ liberam vo-  
luntatis determinationem sequitur ; tali necessi-  
tate necesse est me loqui , si ad loquendum me  
determinaverim.

2°. Dividitur in necessitatem *specificationis* ,  
& *exercitii*.

*Necessitas specificationis* , est determinatio fa-  
cultatis ad objectum , ita ut in oppositum ferri  
non possit ; sic Christus ita ad bonum erat de-  
terminatus , ut non potuerit peccare.

Hæc necessitas *specificationis* ad unum , non



impedit libertatem exercitii circa idem ; sic Christus , qui ratione suæ impeccabilitatis determinatus erat ad bonum , liber tamen fuit quoad exercitium in hoc vel illo bono prosequendo.

*Necessitas exercitii* , est determinatio facultatis ad actum , ita ut ab ipso actu non possit abstinere ; sic Deus ab amore suū non potest abstinere. Hæc necessitas exercitii circa unum , non impedit libertatem circa aliud , sic Deus liberè amat creaturas.

3°. Dividitur in necessitatem phisicam & moralem.

*Necessitas phisica* , est antecedens & naturalis ad unum determinatio , quâ voluntas ita vult unum , ut aliud hîc & nunc velle non possit.

*Necessitas moralis* , est summa difficultas , vel operandi bonum , vel abstinendi à malo , quæ tamen actu & de facto vinci potest , qualis ex inveteratis habitibus contrahitur.

*Nota* 3°. Totam & integram servari libertatem arbitrii cum indifferentiâ contradictionis , & contrarietatis ad diversum , demptâ indifferentiâ contrarietatis ad oppositum , sive ad malum , quæ ad naturam & perfectionem libertatis non pertinet , imò potiùs ad ejus defectum & imperfectionem , juxta illud D. Thom. q. 62. a. 8. ad 3. *Quòd liberum arbitrium eligat divertendo ab ordine finis , hoc pertinet ad defectum libertatis.* Nam Deus est liber erga creaturas , quamquàm malum agere non possit. Undè cum apud Scripturam & Patres liberum arbitrium describitur per indifferentiam ad bonum & malum , tunc non describitur per id quod est **essentiale** illi generatim sumptæ , prout nimirum

Deo, Angelis & hominibus convenit; sed per merum statum illi accidentalem, quem scilicet habet in omnibus viatoribus, quorum voluntas ad bonum & malum est flexibilis.

*Nota 4<sup>o</sup>.* Subjectum libertatis, aliud est immediatum, seu denominationis; & est omnis & sola natura intellectualis, cum liberum arbitrium supponat eminentem quemdam cognoscendi modum, qui non reperitur, nisi in naturis intellectualibus. Aliud immediatum, & est sola voluntas; nam liberum arbitrium ad illam solam facultatem pertinet, cujus est eligere, cum actus proprius liberi arbitrii sit electio; atqui solius voluntatis est eligere, eligere enim nihil aliud est, quam unum velle præ alio, vel unum velle potius quam nolle; ergo.

Potest tamen dici, quod libertas arbitrii sit in intellectu, non quidem formaliter, cum intellectus non sit facultas electiva, & actuum suorum domina; sed radicaliter, quatenus ad actum liberum requiritur indifferentia iudicii, hoc est, tale rationis iudicium quo voluntati objectum proponitur, ut non necessariò, sed liberè & indifferenter amandum, nempe propter varias boni & mali species, quæ nobis in propositis objectis permixtæ in hac vitâ repræsentantur, juxta D. Thom. q. 17. a. 1. ad 2. dicentem: *Ex hoc enim voluntas liberè potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni.* Sed

Quærent hîc Theologi, *Utrum voluntas à iudicio intellectus practicè practico determinetur?* ad quod:

*Resp. neg.* Nam ideò voluntas est libera, quia positus omnibus ad agendum prærequisitis, po-

test agere vel non agere, agere hoc vel illud; sed unum ex prærequisitis ad agendum, ipsum est iudicium practicè practicum, nam absque præviâ objecti cognitione, non solum voluntas non operatur, sed nec operari potest; ergo, vel voluntas non est libera, vel posito iudicio practicè practico, dictante conveniens esse hîc & nunc objectum amare, vel suspendere actum amoris, potest amare vel non amare; ergo.

*Nec dicas*, Voluntas numquam agit contra iudicium intellectûs practicè practicum; ergo ab illo determinatur.

*Resp. nego ant.* Posito enim quocumque antecedente iudicio, voluntas semper manet libera in eligendo.

*Inst.* Si voluntas posset quidquam eligere contra iudicium intellectûs practicè practicum, peccatum esset in voluntate sine errore in intellectu; atqui falsum consequens, ex isto Proverb. 14. *Errant, qui operantur malum; & ex isto effato, Omnis peccans, est ignorans.* Ergo.

*Resp. nego min.* Ad textum *dist.* qui operantur malum, errant, malè iudicando, *nego.* malè eligendo, *conc.* textum qui apertè loquitur de errore *malæ electionis*, ut ait D. Thomas 2. 2. q. 6. a. 3.

*Nota* 5°. Multi circa humanam libertatem erraverunt.

1°. Ex Veteribus, Stoïci qui ex fato, Astrologi qui ex syderum influxu, Manichæi qui ex concreatâ animæ duplici bonitate, vel malitiâ, omnia fieri docuerunt, hominibus liberum ademerunt arbitrium.

2°. Ex Novatoribus, humanæ libertati bellum



præcipuè indixerunt Lutherus, Calvinus, Baius & Janfenius, qui omnes in eo consentiunt, quòd rejiciant libertatem indifferentiæ, & solam agnoscant libertatem à coactione, quam libertatem sufficere ad liberum arbitrium contendit Janfenius, dicens l. 4. de statu nat. lapsæ, c. 24. *Satis est, quòd plenâ voluntate feratur in malum, sive ab istâ diligendi mali necessitate se expedire possit, sive non possit*; & sic liberum arbitrium voce tenus retinet, rem verò ipsam & dogma Catholicum rejicit: qui errores, ut statim configantur, quærendum nobis est

1<sup>o</sup>. Utrùm ad liberum arbitrium sufficiat libertas à coactione?

2<sup>o</sup>. Utrùm ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ, requiratur libertas à necessitate etiam simplici, seu libertas ab invincibili ad unum determinatione?

3<sup>o</sup>. Utrùm homo lapsus habeat libertatem à necessitate, & indifferentiam ad utrumlibet? His positis, sit

### C O N C L U S I O I.

*Ad liberum hominis arbitrium non sufficit libertas à coactione, sed requiritur libertas à simplici necessitate.* Est contra Janfenium. L. 6. de grat. per totum.

*Prob. 1<sup>o</sup>. Auctoritate summorum Pontificum, Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. à quibus damnatæ sunt hæ propositiones Baii: Quod voluntariè fit, etiamsi necessario fiat, liberè tamen fit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Ergo liberum hominis arbitrium non consistit in solo voluntario, seu quod idem est, ad libertatem arbitrii ad merendum vel demeren-

dum necessariam , non sufficit sola libertas à coactione.

*Prob. 2º.* Quia ea sola potentia est libera , libertate arbitrii , quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis , potest agere vel non agere , agere hoc vel illud ; ergo ea potentia libera non est libertate arbitrii , quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis , non potest actum suum suspendere , sed invincibili necessitate ad unum determinatur. Nec refert , quòd illa necessitas sit fluxa & transiens , quia perindè reddit suspensionem actûs impossibilem , ac si esset perpetua & immutabilis.

*Prob. 3º.* Liberum arbitrium , ex D. Thom. q. 61. a. 8. est *vis electiva mediolorum* ; sed vis electiva non potest subsistere cum antecedenti necessitate , & intrinsecâ ad unum determinatione , ex eodem D. Thom. q. 13. a. 2. dicente : *Cum electio sit præceptio unius respectu plurium qua eligi possunt , & ided in his quæ sunt determinata ad unum , electio locum non habet ; ergo liberum arbitrium non potest subsistere cum necessitate antecedente , etiam simplici & voluntariâ.*

*Prob. 4º.* Ad libertatem arbitrii essentialiter requiritur , ut agens sit dominus suorum actuum , juxta illud Apostoli 1. Cor. 7. *Non habens necessitatem , potestatem autem habens suæ voluntatis* : atqui per solam libertatem à coactione , voluntas non est domina suorum actuum , cum sit ad unum determinata ; nam ex D. Thom. l. 1. contra gentes , c. 68. *Dominium , quod habet voluntas supra suos actus , per quod in ejus potestate est velle vel non velle , excludit determi-*

*nationem voluntatis ad unum, & violentiam causæ exteriùs agentis. Et ex D. August. Hoc quisque habere in potestate dicitur, quod si vult, facit; si non vult, non facit. l. de Spiritu & litt. c. 31.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1º. cum Jansenio: Liberi arbitrii ratio in eo consistit, quòd actus nostros habeamus in nostrâ potestate; atqui actus purè spontanei, seu à solâ coactione immunes, sunt in nostrâ potestate; ergo.*

*Prob. min. Ex Aug. l. 2. de lib. arbit. c. 3. dicente: Illud nos habere in potestate dicimur, quod, cùm volumus, facimus; sed actus purè spontaneos & necessarios facimus cùm volumus; ergo sunt in nostrâ potestate.*

*Resp. dist. maj. Illud habemus in potestate, quod cùm volumus, facimus, ita ut possit non fieri, conc. maj. ita ut non possit non fieri, nego maj. atqui actus necessarios facimus cùm volumus, ita ut non possimus ipsos non facere, conc. ita ut possimus ipsos non facere, nego min. Itaque ad liberam volitionem non satis est, quòd fiat cùm volumus, sed requiritur ut possit non fieri, seu requiritur potestas ad oppositum; patet ex ipso Aug. c. 31. de Spir. & litt. dicente, *Hoc quisque habere in potestate dicitur, quod si vult, facit; si non vult, non facit.* Favet etiam communis & usitatus loquendi modus, secundùm quem cùm dicimur facere aliquid cùm volumus, aut si volumus, subintelligi solet, & non facere cùm volumus, aut si volumus, ita ut sit in nostrâ potestate facere aut non facere prout libet; hinc apprimè dici-*



mus Deum posse creare alterum mundum cùm volet, aut si volet; sed malè prorsùs diceremus Deum Patrem posse generare Filium si vult, aut cùm vult, quia nempe iste modus loquendi significat potestatem ad oppositum, quæ in prædicto exemplo deest; nam, ut ait D. Thom. q. 21. a. 2. ad 2. *Actus naturales non sunt in potestate naturalis agentis, cùm natura sit determinata ad unum.*

*Observa.* Ad solutionem objectionum. Multi Patres ac etiam Theologi, qui ante exortos Baii & Jansenii errores scripsêre, has voces: *necessitas & coactio; voluntarium, spontaneum, & liberum; cogi & necessitari*; sæpius confundunt & pro eodem sumunt; sed tunc per coactionem intelligunt necessitatem, etiam simplicem, nec violentam; per tò cogi, intelligunt necessitari, aliquandò violentè per coactionem, aliquandò non violentè per necessitatem simplicem. Per tò voluntarium & spontaneum, intelligunt liberum; imò quandoque sumunt liberum, pro voluntario necessario; quare voces illæ pro subjectâ materiâ ad illorum mentem sunt exponendæ.

*Inst.* 1º. D. Aug. ibidem asserit *nihil tam esse in nostrâ potestate, quàm ipsam voluntatem*; ergo actus est in nostrâ potestate, eo ipso quò est actus voluntatis; sed actus necessarius, est actus voluntatis; ergo,

*Resp. dist. ans.* Nihil tam est in nostrâ potestate, quàm ipsa voluntas, sumpta formaliter ut est voluntas, *conc. ant.* sumpta ut est natura, *nego ant.* & sic ad consequens. Itaque voluntas, formaliter sumpta ut est voluntas, est po-

tentia sui ipsius determinativa per electionem ; voluntas ut est natura , est eadem potentia quatenus est appetitus ad unum determinatus: utrumque distinguit D. Aug. agens cum Felice manichæo ; *Cum Dominus dicit , inquit , aut hoc facite , aut illud , potestatem ( id est , voluntatem ) indicat , non naturam : & D. Thom. q. 41. a. 2. Eorum voluntas est principium , quæ possunt sic , vel aliter esse ; eorum autem , quæ non possunt , nisi sic esse , natura est principium.*

*Inst. 2º.* Voluntas numquam agit per modum naturæ ; ergo libera est in omnibus actibus suis , etiam necessariis.

*Prob. ant.* Voluntas differt à naturâ , & contra illam distinguitur à SS. Patribus ; ergo.

*Resp. dist. ant.* cum D. Thom. q. 22. de verit. a. 5. ad 6. Voluntas , reduplicativè sumpta , differt à naturâ , & contra illam distinguitur formaliter , sicut animalitas hominis distinguitur à rationalitate ejusdem , *conc. ant.* voluntas realiter sumpta differt à naturâ , & contra illam distinguitur realiter , *nego ant. & conf.* Itaque voluntas & appetitus naturalis sunt una & eadem realiter potentia volendi , quæ ratione distinguitur propter duplicem operandi modum , unum per modum naturæ ad unum determinatæ ; alterum per modum facultatis activæ , indifferentis ad opposita , quæ voluntas propriè & strictè dicitur , ac proindè falsum est , quòd voluntas late dicta , seu potentia volendi , numquam agat per modum naturæ.

*Objic. 2º.* Sancti Patres asserunt solam coactionem officere libertati ; ergo.

*Prob. ant. 1º.* Ex D. Aug. L. de duab. animab.

c. 10. definiēte libertatem, *Motum animi cogente nullo.* 2°. Ex D. Bernardo L. de grat. & lib. arb. qui rationem reddens, cur consensus voluntatis sit liber libertate arbitrii, *Quia*, ait, *non cogitur, non extorquetur.* 3°. Ex D. Thom. in 2. dist. 25. q. unicâ, a. 4. dicente: *Liberum arbitrium dicitur ex eo quod cogi non potest.* Ergo ex Patribus, sola coactio officit libertati arbitrii.

*Resp. nego consequ.* Quia Sancti Patres has voces, *cogi & coactio*, non sumunt strictè pro violentiâ propriè dictâ, quæ repugnat actibus à voluntate elicitis; sed eas sumunt latè, pro quacumque necessitate antecedente ad unum insuperabiliter determinante: quod verò hæc interpretatio sit legitima,

Constat 1°. ex D. Aug. qui disput. 1. contra Fortunatum Manichæum, ait: *Quomodo habemus peccata, si natura contraria nos cogit facere quod facimus? qui enim cogitur necessitate aliquid facere, non peccat;* ubi tò cogitur, ex ejus interpretatione, sumitur pro tò cogitur necessitate, seu necessitatur.

Constat 2°. ex textu citato D. Bernardi; ait enim: *Aliud est voluntarius consensus, aliud naturalis appetitus, hunc communem habemus cum bestiis; consensus voluntarius nos discernit, est enim habitus liber sui secundum quod non cogitur, non extorquetur;* atqui si per consensum voluntarium, qui *non cogitur, non extorquetur*, intelligeret solam libertatem à coactione, nos non discerneret à bestiis; ergo per consensum voluntarium intelligit libertatem à simplici necessitate.

Constat 3°. ex D. Thom. in 2. dist. 25. a. 2. qui verbum *cogitur*, evidenter sumit pro *necessi-*



tatur, dicens: *Intellectus demonstrationis vi cogitur*, id est necessitatur ad assentiendum.

*Inst. D. Thom. 1. p. q. 82. a. 1. ad 1. ait: Necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis.* Ergo non censet necessitatem repugnare libertati arbitrii, cui sola repugnat coactio.

*Resp. dist. ant.* Necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis, ut est natura, *conc. ant.* ut est facultas sui ipsius determinativa per electionem, *nego ant.* Loquitur itaque D. Thom. de libertate spontaneitatis, cui utique sola coactio & violentia opponitur; nam huic objectioni ex D. Aug. L. 5. de Civit. Dei, desumptæ: *Quodd si aliquid est necessarium, non est voluntarium*, respondet: *Dicendum quodd verbum Augustini est intelligendum de necessario necessitate coactionis; necessitas enim naturalis non aufert libertatem voluntatis.*

*Objic. 3º.* Omnis actus perfectè voluntarius, tametsi necessarius, est liber libertate arbitrii; ergo sola coactio repugnat libero arbitrio.

*Prob. ant.* Actus perfectè voluntarius, fit à voluntate ex plenâ rationis advertentiâ & perfectâ intellectus cognitione; ergo.

*Resp. nego consequ.* Hoc enim non sufficit, ut actus voluntatis sit liber libertate arbitrii, sed requiritur insuper ut fiat à voluntate activè indifferente, & consequenter ut dirigatur iudicio rationis indifferenter proponentis objectum, hoc est, neque ut necessariò prosequendum, neque ut necessariò fugiendum, sed tale ut voluntas, pro suâ indifferentiâ activâ, possit illud vel prosequi, vel non prosequi.

*Inst. 1º.* Voluntas, in actibus perfectè volun-

tariis se ipsam movet ; ergo actus illi sunt liberi libertate arbitrii.

*Resp. nego ant.* Nam ex D. Thom. voluntas, strictè loquendo, non movet seipsam, nisi cum est domina sui actûs ; atqui voluntas non est domina sui actûs, nisi cum potest illum pro arbitrio exercere ; ergo non movet seipsam propriè, nisi cum agit sine ullâ necessitate antecedente.

*Inst. 2º.* Actus perfectè voluntarius, etiam necessarius, est actus humanus ; ergo est liber.

*Resp. dist. ant.* Est actus humanus, latè dictus, *conc. ant.* strictè & propriè dictus, *nego ant.* nam illæ solæ aciones vocantur propriè humanæ, quarum homo est dominus, & quæ ex voluntate deliberatâ procedunt ; atqui homo non est dominus eorum actuum, quos producit ex necessitate & sine præviâ deliberatione ; ergo,

*Inst. 3º.* Actus voluntatis necessarii, sunt in nostrâ potestate ; ergo sumus eorum domini.

*Resp. nego ant.* Illi enim soli actus sunt in nostrâ potestate, quos possumus pro arbitrio ponere, vel non ponere ; atqui non possumus pro arbitrio ponere, vel non ponere eos actus, quos ex antecedenti & ineluctabili necessitate intrinsecâ producimus ; ergo.

*Inst. 4º.* Amor beatificus, quo beatus necessariò diligit Deum, est in potestate beati ; ergo & actus nostri necessarii.

*Prob. ant.* Voluntas beati potest suspendere amorem beatificum ; ergo amor beatificus est in potestate beati.

*Prob. ant.* Si beatus non vellet amare Deum, non amaret ; ergo potest suspendere amorem beatificum.

*Resp. nego ant.* quod supponit falsum. Beatus enim non potest non velle amare Deum, cum à diligendo Deo temperare se, felici necessitate non possit; illudit ergo Jansenius cum dicit, *quòd possint illi ( beati ) volitionem suam mutare, si vellent.* L. de grat. Christi, c. 35.

*Objic. 4°.* Si libertas arbitrii posita esset in indifferentiâ agendi vel non agendi, habitus boni vel mali tollerent libertatem arbitrii; nam tollerent indifferentiam & inclinarent in unam partem contradictionis aut contrarietatis; falsum consequens.

*Resp. nego sequelam maj.* Quia habitus boni vel mali non tollunt, nisi indifferentiam propensionis; liberum autem arbitrium non consistit in indifferentiâ propensionis, quâ fit ut facultas sit in quodam æquilibrio, nec magis propendeat in unam partem quàm in aliam: sed consistit in indifferentiâ activâ ad agendum vel non agendum, quam facultatem non tollunt, nec minuunt habitus; quia sic inflectunt in unam partem, ut non determinent ad unum; ergo non tollunt, nec minuunt libertatem arbitrii.

## CONCLUSIO II.

*Ad merendum, vel demerendum, in præsentis statu naturæ lapsæ, requiritur libertas indifferentiæ, seu à simplici necessitate, nec sufficit libertas à coactione.*

Est fide, contra Jansenium, cujus hæc propositio: *Ad merendum & demerendum, in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione:* damnata est ab Innocentio X. ut hæretica; ergo nostra propositio, huic contradictoria, est de fide. Præive-



rant summi Pontifices, Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VI. qui damnarunt hanc Baii prop. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessarium facit.*

*Prob. 1<sup>o</sup>. Ex Script. Eccli. 31. v. 10. Beatus... qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: idè stabilita sunt bona illius in Domino.* Hic exprimit Scriptura libertatem requisitam ad laudabilitatem & rationem meriti, & illam constituit in eò quòd quis non transgrediatur mandata, cùm posset transgredi; nec mala faciat, cùm posset facere: hoc est, in eo, quòd sine antecedenti necessitate mandata servandi, & mala vitandi, mandata servet & mala vitet; ergo ad merendum requiritur libertas indifferentiæ.

*Prob. 2<sup>o</sup>. Ex Patribus, maximè ex D. Aug. quem unum pro cæteris omnibus habent Jansenius & discipuli; prob. inquam sic:*

D. Aug. excludit ab homine lapsò omnem necessitatem, ad bonum vel ad malum determinantem: nam

1<sup>o</sup>. Lib. de natura & gratia cap. 65. hæc verba D. Hieron. referens: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est: illa approbat, dicens: Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam? sed in rectè faciendo, idè nullum est vinculum necessitatis.*

2<sup>o</sup>. Contra Faustum, L. 2. c. 5. ait: *Liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè vivitur, propter justum judicium Dei, ab omni necessitatis vinculo vindicamus.*

3°. Lib. de grat. & lib, arb. cap. 4. ait : *Si dixerit ( homo ) volo servare præcepta , sed vincor à concupiscentiâ meâ : respondet Scriptura libero ejus arbitrio , noli vinci à malo , sed vince in bono malum.*

4°. L. 3. de lib. arb. cap. 18. *Quæcumque , inquit , ista causa est voluntatis , si non ei potest resisti , sine peccato ei ( causæ ) ceditur : si autem potest ( resisti ) non ei cedatur & non peccabitur ; quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest ? peccatur autem ; caveri igitur potest.*

Porro in citatis testimoniis , D. Aug. à libertate arbitrii excludit omnem prorsus necessitatem , ac proindè illam simplicem , quam Jansenius ex motione indeliberatâ vel dominantis gratiæ , vel dominantis cupiditatis oriri arbitratur.

*Prob. 3°. Ex D. Thom. quem ideò addo Augustino , quia Janseniani eum perpetuò adjungunt ipsi Augustino. Itaque*

*Quæst. 6. de malo , art. unico , ait : Quidam posuerunt , quòd voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum , nec tamen ponebant , quòd voluntas cogeret , non enim omne necessarium est violentum , sed solum id cujus principium est extrâ. Hæc autem opinio est hæretica , tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus ; non enim videtur esse meritorium vel demeritorium quod aliquis sic ex necessitate agit , quod vitare non possit : est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones ; quia non solum contrariatur fidei , sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis , sed ex necessitate movemur ad*

*volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, & laus & vituperium.*

Integrum hunc textum ideò retuli, quia decretorium prorsus est adversus errorem Jansenii; manifestè enim distinguit sanctus Doctor simplicem necessitatem, à coactione; contenditque esse hæresim admittere in voluntate talem necessitatem, quâ fiat, ut homo vitare aliquid non possit: sic enim omnis meriti vel demeriti ratio tollitur.

*Prob. 4<sup>o</sup>. ratione:* Quia, ut quis mereatur vel demereatur, debet habere dominium suæ actionis, & de eâ disponere prout vult; atqui agens ex necessitate, etiam simplici, non habet dominium suæ actionis, nec de eâ potest disponere prout vult, tanquam dominus; ergo agens ex necessitate, etiam simplici, non potest mereri nec demereri.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1<sup>o</sup>.* Ad merendum vel demerendum, in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas indifferentiæ, seu libertas à simplici necessitate; ergo.

*Prob. ant. D. August.* agnoscit in homine lapsio peccandi necessitatem; ergo.

*Prob. ant. L. 1. operis imperfecti, contra Julianum, cap. 105.* ait: *Cogitare te existimo quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vitâ, quanto labore dicatur. Qui autem hoc nesciunt, ipsâ boni appetendi malique vitandi ignorantia, patiuntur peccandi necessitatem; ergo.*

*Resp. dist. consequ.* Agnoscit necessitatem peccandi, consequentem, *conc.* antecedentem, *nego.* Nam loquitur D. Doctor de peccatis, quæ  
fiunt



fiunt ex ignorantia culpabili , quæ per diligentiam potuit vinci , nec tamen victa est , & ex quâ qui peccat , necessitate peccat , non quidem antecedente , sed consequente liberam positionem causæ peccati , nempe ignorantia ; atqui necessitas consequens non officit libertati , cum supponat liberam ipsius determinationem , & ex eâ oriatur ; ergo.

*Inst. 1º.* D. Aug. ibi agit de ignorantia invincibili ; ergo agnoscit in homine lapso peccandi necessitatem antecedentem.

*Prob. ant.* D. Aug. ibi agit de ignorantia , quæ est pœna peccati ; atqui talis ignorantia est invincibilis ; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quæ est pœna peccati , simul & peccatum , *conc. maj.* quæ est pœna peccati tantum , *nego maj.* atqui ignorantia , quæ est pœna peccati , est invincibilis , si sit pœna tantum , *conc.* si sit pœna simul & peccatum , *nego min. & conseq.* Loquitur itaque D. Aug. de ignorantia , sicut loquitur de cupiditate , quæ jam ita est peccatum , ut sit etiam pœna peccati. L. 1. retract. c. 15.

*Inst. 2º.* Aug. l. de naturâ & gratiâ , cap. 17. ait : *Aliud est non curasse scire , quæ negligentia peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari : aliud intelligere velle , & non posse ; & facere contra legem non intelligendo quid fieri velit ; ergo , ex Aug. homo peccat , non solum per ignorantiam vincibilem , sed etiam per invincibilem.*

*Resp. dist. conseq.* Homo peccat per ignorantiam invincibilem , peccato materialiter sumpto , *conc.* peccato propriè & formaliter dicto , *nego*  
MORAL. Tom. IV. G

*conseq.* nam ex D. Aug. L. 3. de lib. arb. c. 19. *Non tibi deputatur ad culpam quodd invitus ignoras, sed quodd negligis querere quod ignoras; ergo, ut ignorantia imputetur ad culpam, debet esse cum negligentia labe conjuncta.*

*Inst.* 3<sup>o</sup>. Lib. 1. operis imperfecti, cap. 106. ait: *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi; ergo ad demeritum non est necessaria libertas à necessitate.*

*Resp. dist. conf.* Non requiritur libertas à necessitate morali, *conc.* à necessitate antecedente phisicâ, *nego conseq.* Nam D. Aug. loquitur de necessitate morali, quæ vinci potest per gratiam Christi; addit enim: *Sed, ut non obsit ista necessitas, donat ille cui dicitur, de necessitatibus meis erue me.*

*Objic.* 2<sup>o</sup>. D. Thom. in 3. dist. 18. q. 1. a. 2. ad 5. ait: *Liberum arbitrium Christi, etiamsi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum (quod non facere non potest) tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti, quia in illud non coactè, sed spontè tendit, & ita est actus sui dominus. Ergo ad meritum sufficit libertas à coactione.*

*Resp. nego conseq.* Nam D. Thom. per tò *non coactè, sed spontè*, intelligit immunitatem à quâcumque necessitate antecedente, etiam eâ quæ simplex dicitur, & hoc apertè colligitur ex his ejus verbis: *& ita est sui actus dominus.* Certum est autem dominium in actum stare non posse cum simplici necessitate, cùm D. Thom. dicat: *Sumus domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc vel illud eligere . . . unde appetitus ultimi finis non est de his quorum domini sumus.*

*Inst.* 1<sup>o</sup>. Quærendo, quo sensu D. Thom. dicat voluntatem Christi, licet fuerit anteceden- ter determinata ad amandum Deum, tamen ex hoc non amisisse libertatem, neque rationem laudis & meriti circa actum diligendi Deum?

*Resp.* Quia Christus, ex actûs diligendi Deum imperio, potuit ad placendum Deo hos vel illos actûs exercere pro arbitrio, & absque anteceden- te ad unum potius quàm ad alium determina- tione, & ita *non coactè, sed spontè*, id est, non ex necessitate, sed ex electione tendebat in Deum, quem non poterat non amare; & sic voluntas Christi cum amore necessario, quo diligebat Deum, retinebat libertatem arbitrii, non qui- dem ad oppositum, sed ad diversum, quod suffi- cit ad libertatem & ad rationem laudis & meri- ti. Hæc responsio est D. Thomæ dicentis q. 19. de verit. a. 6. ad 1. *Licet anima Christi esset de- terminata ad unum secundum genus moris, scili- cèt ad bonum, non tamen erat determinata ad unum simpliciter; poterat enim hoc vel illud fa- cere & non facere, & idèd libertas in illo remane- bat quæ requiritur ad merendum.*

*Inst.* 2<sup>o</sup>. D. Th. q. 6. a. 2. ad 3. sic ait: *Laus & vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam voluntarii rationem, qualis non invenitur in brutis; ergo ad laudem & vitu- perium sufficit libertas à coactione.*

*Resp. nego conseq.* Quia per voluntarium secun- dum perfectam voluntarii rationem, intelligit illud quod fit ex præviâ deliberatione; sic enim men- tem suam explicat in corpore ejusdem articuli: *Perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scilicet appre-*



*henso fine, aliquis potest deliberans de fine, & de his quæ sunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri. Quod autem fit ex deliberatione, fit sine antecedente determinatione ad unum, ut docet ibidem ad 2. Ex hoc quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest.*

*Objic. 3<sup>o</sup>. Saltem in statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas quæ reperitur in causâ, nimiùm in peccato originali, & voluntate Adami peccantis; ergo licet homo lapsus à suâ concupiscentiâ necessitetur ad peccandum, verè imputabiliter peccat ac demeretur.*

*Resp. nego ant. Quia peccata personalia debent procedere à voluntate & libertate quæ sit phisicè nostra, non autem à voluntate & libertate quæ sit tantùm nostra moraliter; nam cum omne peccatum sit essentialiter liberum, peccatum personale debet esse liberum libertate personali & phisicè propriâ peccantis. Hinc Alex. VIII. an. 1690. damnavit hanc prop. In statu naturæ lapsæ, ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, quâ voluntarium fuit in causâ suâ, peccato originali & voluntate Adami peccantis.*

*Objic. 4<sup>o</sup>. Christus circa mortem subeundam non fuit liber à necessitate, cum non potuerit transgredi præceptum à Patre acceptum de morte subeundâ; atqui tamen Christus per mortem meruit, sibi quidem nomen quod est super omne nomen, Philip. 2. nobis verò gratiam & gloriam; ergo.*

*Resp. nego maj. Et dico Christum in morte subeundâ fuisse liberum, juxta illud Joan. 10. Ego*

*pono animam meam ut iterum sumam eam; nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso; nec tamen potuisse transgredi mandatum Patris. Ut enim verè fuerit liber, absque eo quòd præceptum transgredi posset, fatis est quòd mandati hujus dispensationem petere potuerit; atqui hanc petere potuit juxta illud Math. 26. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? Huic argumento abundè fuit responsum in Tract. de Incarn. ubi de libertate Christi.*

### CONCLUSIO III.

*Homo lapsus, est liber ad bonum & malum, non solum libertate à coactione, sed etiam à necessitate simplici antecedente.*

Est contra Jansenium, qui docet in præsentì statu naturæ lapsæ, hominem nunquam bonum aut malum operari ex propriâ determinatione, sed solum spontè, & non coactè, prout à delectatione cœlesti ad benè, vel à delectatione terrenâ ad malè agendum prædeterminatur. Idem prius docuerant Lutherus & Calvinus; itaque

*Prob. 1º. Ex Script. Genes. 4. v. 6. ubi Deus sic Cain alloquitur: Quarè iratus es, & cur concidit facies tua? nonne si bene egeris, recipies? (mercedem boni operis) sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit; sed sub te erit appetitus ejus, scilicèt peccati, & tu dominaberis illius, certè appetitûs. Undè Targum Jerosolymitanum ità vertit: In manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ tuæ, & tu dominaberis ei, sive ad bonum, sive ad malum.*

*Eccli. 15. v. 14. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Ad-*

*jecit mandata & præcepta sua : si volueris mandata servare , conservabunt te . . . apposuit tibi aquam & ignem : ad quod volueris porrigere manum tuam . Ante hominem vita & mors , bonum & malum , quod placuerit ei , dabitur illi .* Eò loci , vera exprimitur libertas à necessitate , etiam simplici & voluntariâ ; atqui hic locus non debet restringi ad Adam ante lapsum , ut restringitur à Calvino ; nam Ecclesiasticus Judæos tunc viventes increpat , quòd dicerent , per Deum stare quominus ipsi benè ac sapienter vitam instituerent : *Non dixeris , inquit , per Deum abest ; quæ enim odit , ne feceris .* Undè S. Aug. post relata Ecclesiastici verba statim addit : *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium .* L. de grat. & lib. arb. cap. 2.

Deut. 30. v. 19. Moyses Israëlitas sic alloquitur : *Testes invoco hodiè cælum & terram , quòd proposuerim vobis vitam & mortem , benedictionem & maledictionem ; elige ergo vitam , ut & tu vivas & semen tuum .* Ex quo sic argumentor : homo lapsus potest eligere vitam vel mortem ; ergo est liber ab omni necessitate antecedente , etiam simplici & voluntariâ . Dicat enim Jansenius quomodo potest vitam vel mortem eligere , qui ad alterutrum determinatur necessitate profluente ex delectatione superiori , eaque indeliberatâ ?

*Prob. 2<sup>o</sup> .* Ex Aug. L. 2. de Actis cum Felice c. 3. dicente : *Esse liberum arbitrium , atque inde peccare quemque si velit , non peccare si nolit . . . . audi Dominum dicentem : aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum , aut facite arborem malam & fructum ejus malum ; cum ergo*



*dicit, aut hoc facite, aut illud facite, potestatem (id est libertatem) indicat, non naturam... habet unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.*

*Prob. 3<sup>o</sup>. Ex Conc. Trid. sess. 6. can. 5. deficiente: Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum & extinctum esse dixerit... anathema sit. Quo Can. percellitur sententia Lutheri & Calvinii; atqui Lutherus & Calvinus asseriebant amissam esse libertatem à necessitate simplici, nec unquam negarunt inesse homini lapsò libertatem à coactione, ut constat ex Lutero, L. de servo arb. fol. 434. dicente: Merâ lubentiâ, pronitate, ac sponte suâ vult & facit voluntas nostra; & Calvino, L. 2. cont. Pighium: Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium, & fateor, & constanter assevero; si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, & violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur suâ, nihil moror. Ergo liberum arbitrium, quod Concilium definit non esse amissum, est libertas ab omni necessitate simplici antecedente intrinsecâ, etiam voluntariâ, non autem libertas à coactione.*

Confirmatur ex præcedenti conclusione: si enim ad merendum vel demerendum, in statu naturæ lapsæ, necessaria est libertas indifferentiæ; cum aliundè certum sit, fide divinâ, quòd homo in statu præsentis possit mereri & demereri, & reipsâ mereatur & demereatur, ut fiant adversarii; sequitur quoque esse certum, fide divinâ, quòd homo in præsentis statu habeat libertatem indifferentiæ.

*Objic.* 1<sup>o</sup>. Ille non est liber, libertate indifferentiæ, qui non habet in potestate vias suas; atqui homo lapsus non habet in potestate vias suas, juxta illud Jerem. 10. v. 23. *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, & dirigat gressus suos; ergo.*

*Resp. dist. min.* Homo lapsus non habet in potestate vias suas, quoad executionem & successum suarum actionum. *conc. min.* quoad productionem operum salutarium, *subdist.* non habet, &c. solus & sine Dei auxilio, *conc.* cum auxilio & gratia Dei, *nego min.* & *conseq.* Ratio est, quia homo ad opera gratiæ debet excitari, præveniente gratiâ Dei.

*Inst.* 1<sup>o</sup>. Ille, nullo sensu, vias suas habet in potestate, qui captivatur sub lege peccati; atqui homo lapsus captivatur sub lege peccati, juxta illud Rom. 7. v. 23. *Vidzo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati.* Ergo.

*Resp. dist. min.* Homo captivatur sub lege peccati, seu concupiscentiæ, quoad sensum, *conc. min.* quoad consensum, *nego min.* Loquitur itaque Apostolus de motibus concupiscentiæ in-deliberatis, quos necessariò quidem experimur, & sic sub eis captivamur; sed eis non necessariò obsequimur, & sic non necessariò peccamus.

*Inst.* 2<sup>o</sup>. Ille captivatur, etiam quoad consensum, qui non facit quod vult, facit verò quod non vult; atqui homo lapsus non facit quod vult, juxta illud Apost. Rom. 7. v. 15. *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.* Ergo.

*Resp. dist. min.* Homo non facit quod vult, quoad sensum, *conc.* sentit enim motus concupiscentiæ, quos sentire nollet. Non facit quod vult, quoad consensum, id est, consentit necessario, *nego. min.* addit enim Apostolus: *Si quodd nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Undè patet motus illos non imputari ad peccatum.

*Inst. 3º.* Ille non facit quod vult, etiam quoad consensum, cujus non est velle, nec currere; atqui ex Apost. Rom. 9. v. 16. *Non est volentis, neque currentis;* ergo.

*Resp. dist. min.* Non est volentis neque currentis solius, *conc. min.* non est volentis cum gratiâ Dei, *nego min.* Equidem homo eget gratiâ Dei ad bonum supernaturale, at huic gratiæ potest consentire vel dissentire si velit, ut definiit Conc. Trid. Sess. 6. can. 4.

*Objic. 2º.* D. Aug. multis locis, docet arbitrium voluntatis post peccatum, ex libero factum esse concupiscentiæ prædominantis servum. *Quomodo libera est voluntas,* ait Epist. 93. ad Hilarium, *cui dominatur iniquitas?* ergo.

*Resp. dist. conseq.* Non est liber, libertate à servitute peccati, *conc.* non est liber libertate arbitrii oppositâ necessitati, *nego conseq.* Fatemur ultrò ab istâ libertate nos excidisse, qui servi sumus peccati, neque posse nos ab eâ servitute liberari nisi per gratiam medicinalem redemptoris, quâ præsentè ac movente, stat libertas arbitrii ad faciendum bonum vel malum. Itaque his locis D. Aug. gratiæ necessitatem rectè demonstrat adversùs Pelagianos, sed indifferentiam arbitrii sub gratiâ minimè lædit.



*Inst.* 1<sup>o</sup>. D. Aug. Enchiridii, cap. 30. ait : *Liberò arbitrio male utens homo , & se perdidit & ipsum.* Et in Epist. ad Vitalem , *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus ; ergo ex D. Aug. per peccatum primi parentis amissum est liberum arbitrium.*

*Resp. dist. conseq.* Per peccatum amissum est liberum arbitrium , sumptum pro libertate à peccato & miserîâ , *conc.* sumptum pro libertate indifferentiæ , *subdist.* amissum est quoad modum illum perfectionis , quem habebat in statu integritatis & innocentîæ , *conc.* quoad substantiam , seu facultatem agendi vel non agendi , *nego conf.*

Itaque quando D. Aug. dicit liberum arbitrium primi parentis peccato periisse , non intelligit libertatem arbitrii quoad substantiam , sed intelligit

1<sup>o</sup>. Libertatem à servitute peccati , à miserîâ , aliisque infirmitatibus hujus statûs , quibus caruit status innocentîæ : nam , ex Aug. eodem modo homo perdidit liberum arbitrium quo seipsum perdidit ; atqui non perdidit seipsum quoad substantiam , ità ut desierit esse homo ; sed tantùm quoad plenam cum immortalitate justitiam , quam habuit in illo statu felicitatis , & quæ consistebat in dono integritatis , in immunitate à morte , à concupiscentiâ inordinatâ , & ab ignorantîâ ; ergo. Ita seipsum exponit D. Aug. L. 1. ad Bonifac. c. 2. dicens : *Quis nostrum dicat , quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere ? libertas quidem periit per peccatum ; sed illa quæ in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam , propter quod natura humana divinâ indiget gra-*

*tiâ*, ut libertas aliquid boni supernaturalis elicere possit.

2°. Per liberum arbitrium, quod primi parentis peccato fuit amissum, intelligit D. Aug. libertatem sanam ac robustam, quâ summâ cum facilitate, poterat homo innocens bonum operari, quod liberum arbitrium dicit amissum, quoad illam facilitatem; ideò *nunc*, addit D. Doctor, *postea quam illa magna peccati merito est amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas*. L. de corrept. & grat. c. 12.

*Inst.* 2°. Atqui homo per peccatum amisit libertatem quoad substantiam; ergo.

*Prob. subs.* Libertas quoad substantiam importat indifferentiam ad bonum & malum in homine lapsio; atqui homo per peccatum hanc amisit indifferentiam ex Augustino; ergo.

*Prob. min.* Ille ad bonum & malum non est indifferens, qui per peccatum duram contraxit necessitatem peccandi; atqui ex August. *homo quia peccavit, secuta est peccantem peccandi dura necessitas*, L. de perfect. justic. cap. 5. Ergo.

*Resp. dist. min.* Homo, ex Aug. per peccatum contraxit duram necessitatem peccandi, peccato materialiter dicto, *conc.* peccato formaliter dicto, *iterum dist.* vago & indeterminato, *conc.* hoc vel illo singulari peccato, *subdist.* contraxit necessitatem peccandi antè gratiam, *conc.* cum gratiâ, *iterum subdist.* peccandi necessitatem moralem, *conc.* necessitatem phisicam & absolutam, *nego min. & consèq.*

Ut hæc distinctio rectè concipiatur, pensanda est controversia, quam D. Augustinus habuit cum Pelagianis: Pelagiani namque

1<sup>o</sup>. Docebant hominem , nascendo , non contrahere peccatum originale , quos ut refelleret D. Aug. contrahi peccatum originale probat ex ejus effectibus , ignorantia nempè & concupiscentia , quibus necessario subjicimur , & quas peccata vocat ; 1<sup>o</sup>. Quia sunt pœnæ peccati originalis quod supponunt , & hoc sensu vocantur ab Aug. peccata necessaria , quia eis carere nobis non est liberum in hac vita. *Multum erras* , ait D. Aug. L. 1. oper. imperf. c. 105. alloquens Julianum , *qui vel necessitatem nullam putas peccandi , vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam , quod nullâ necessitate commissum est ; si enim nulla necessitas peccandi est . . . quid patiebatur , quæso , ( Apostolus ) ut diceret : non quod volo bonum , hoc facio , sed quod nolo malum , hoc ago.* 2<sup>o</sup>. Quia sunt causæ peccatorum , & quatenus tales , dicuntur ab Aug. inducere quamdam necessitatem peccandi , non quidem physicam , sed moralem , hoc est , summam difficultatem , quam homo lapsus , inter tot & tantas tentationes , patitur , ut à peccato abstineat , quâ difficultate caruit homo innocens. Ita se explicat Aug. L. de nat. & grat. c. 67. dicens : *Potest ei causæ , quæcumque illa sit , resisti : potest plane. Nam ad hoc , adjutorium postulamus dicentes , & ne nos inducas in tentationem ; quod adjutorium non posceremus , si resisti nullo modo posse crederemus.*

Item , quatenus ignorantia & concupiscentia sunt causæ peccatorum , dicuntur ab Augustino inducere quamdam necessitatem peccandi vagam & indeterminatam ; quia fieri moraliter non potest , ut habitâ ratione infirmitatis humanæ inter



tot & tantas tentationes, homo non peccet, licet nullum sit in particulari peccatum, quod vitare liberè non possit; quæ peccata meritò pronuntiat Aug. L. 1. oper. imperf. c. 105. à Deo imputari, quia nempe singula caveri possunt, & omninò liberè committuntur. Ita nodum solvit D. Thom. q. 24. de verit. a. 12. ad 7. qui cum sibi objecisset quædam peccata esse necessaria, juxta illud Psalmistæ, *De necessitatibus meis erue me, Domine*; sic respondet: *Dicendum, quod peccata dicuntur necessaria, in quantum non possunt vitari omnia, quamvis possint vitari singula.*

2º. Pelagiani, rejectâ necessitate gratiæ, docebant hominem lapsum tam liberum esse ad omnia vitanda peccata, quàm fuerat Adamus innocens; contrà probat S. Aug. ex peccato primi parentis inductam esse quamdam peccandi necessitatem, quæ non nisi per gratiam mediatoris reparari potest. *Non est igitur, ait D. Doctor, impunitatis securitas in necessitate peccandi; sed ut non obsit ista necessitas, donat ille cui dicitur: de necessitatibus meis erue me.* Ibid. c. 106.

---

## CAPUT TERTIUM.

### *De moralitate Actuum Humanorum.*

*Nota 1º.* **A**ctus humanus potest spectari secundum duplex esse, scilicet esse *phisicum*, & esse *morale*.

Actus humanus secundum suum esse *phisicum*, est actus à voluntate hominis deliberate procedens; de actibus humanis sub eo respectu hucusque egimus.

Actus humanus secundum suum *esse morale*; est actus humani ad regulas morum relatio vel conformitatis, vel difformitatis, vel indifferentiæ objectivæ; undè

Actus moralis rectè definiri potest: *Actus humanus, conformis, vel difformis regulis morum, aut ab eis permissus.* Ex quâ definitione

Sequitur moralitatem non consistere in solâ libertate, cùm actus concipiatur liber antequàm sit moralis: est enim liber prout deliberatè à voluntate procedit; moralis verò prout elicitur consentaneè, vel dissentaneè ad regulas morum.

*Nec dicas:* In eo sita est moralitas, quo posito ponitur, & quo sublato tollitur; atqui positâ libertate ponitur moralitas, & eâ sublatâ tollitur: v. g. positâ libertate, actus imputatur in malum, qui eadem sublatâ, desinit imputari; ergo.

*Resp. dist. maj.* In eo sita est moralitas, quo posito, tanquam rei essentiâ, ponitur, *conc.* quo posito, tanquam prærequisito, *nego maj.* Itaque ad morale prærequiritur liberum; undè sublato libero, tollitur morale, sicut sublato voluntario tollitur liberum, quia ad liberum prærequiritur voluntarium: non magis tamen morale in solo libero consistit, quàm liberum in solo voluntario; quia sicut voluntarium & liberum diversis conceptibus objectivis concipiuntur, sic liberum & morale diversis repræsentantur idæis; undè remanente eâdem libertate, potest variari moralitas; v. g. si actus, qui in primo instanti erat bonus, quia permissus, in secundo fiat malus, quia adveniente lege, est prohibitus.

*Nota 2<sup>o</sup>.* De moralitate sic explicatâ quæri potest;

- 1<sup>o</sup>. Quot & quænam sint species moralitatis?
- 2<sup>o</sup>. Quot & quænam sint moralitatis principia?
- 3<sup>o</sup>. Quænam sint ejusdem affectiones?
- 4<sup>o</sup>. Quænam sit moralitatis primaria regula?

### Q U Æ S T I O P R I M A.

*Quot , & quænam sint species moralitatis ?*

*Nota.* **T**Res vulgò distinguntur moralitatis species; scilicet *indifferentia*, quam lex permittit; *bonitas*, quam imperat; & *malitia*, quam prohibet: circa indifferentiam quaeritur, an reperiatur in actibus humanis? circa bonitatem & malitiam simul, an augeantur per actum externum? Itaque sit

### A R T I C U L U S I.

*Utrum detur actus humanus indifferens, id est, qui nec bonus, nec malus sit moraliter?*

*Nota.* **A**ctus deliberatus, de quo solo hic agitur, potest considerari, vel in specie, vel in individuo.

Actus humanus in specie, est actus spectatus in ordine ad solum objectum, ad quod ex se tendit.

Actus humanus in individuo, est actus spectatus, non solum in ordine ad objectum, sed etiam in ordine ad circumstantias & ad finem operantis.

### C O N C L U S I O I.

*Dantur actus humani indifferentes in specie.*

*Prob.* Tales sunt actus in specie spectati, quale est objectum ad quod tendunt, siquidem actus speciem suam ab objecto sumit; atqui varia sunt objecta, quæ ex se intrinsecè, nec bona sunt,



nec mala, sed planè indifferentia ad bonitatem vel malitiam, ut sunt ambulare, levare festucam, &c. ergo actus humani, spectati in ordine ad objecta illa sola, sunt indifferentes in specie.

*Dices 1º.* Inter privativè opposita non datur medium; sed actus bonus, & actus malus ex objecto, sunt privativè opposita; ergo.

*Resp. nego min.* Nam privatio est absentia formæ in subjecto capace illius formæ, sic homo dicitur cæcus, non verò lapis, qui dicitur simpliciter non videns; atqui objectum indifferens, ex se non est capax bonitatis vel malitiæ; ergo non dicitur illis privari, sed simpliciter dicitur esse non bonum, non malum.

*Dices 2º.* Si datur actus indifferens in specie, nunquam poterit esse bonus vel malus; falsum consequens.

*Prob. seq. maj.* Quod est essentialiter tale, non potest non esse tale; (quia essentialiter rerum sunt immutabiles) atqui quod est indifferens secundum suam speciem, est essentialiter indifferens; ergo quod est indifferens secundum suam speciem, non potest non esse indifferens, & consequenter nunquam poterit esse bonum, vel malum.

*Resp. dist. maj.* Quod est essentialiter tale, non potest non esse tale, secundum illud per quod est essentialiter tale, *conc.* secundum illud quod potest illi advenire, *nego maj.* & concessâ minore, *dist. consequ.* quod est indifferens secundum speciem, non potest non esse indifferens secundum speciem, *conc.* secundum aliquam circumstantiam ei advenientem, *nego consequ.* Itaque actus indifferens ex objecto, non potest

non

non esse ex objecto indifferens; sed actus, ex objecto indifferens, potest esse bonus vel malus ex aliquâ novâ superveniente circumstantiâ bonâ vel malâ.

## CONCLUSIO II.

*Nulli dantur actus indifferentes in individuo (a).*

*Prob. 1<sup>o</sup>.* Actio indifferens, est ea quæ nec bona est, nec mala moraliter; atqui nulla hujusmodi actio debet admitti in individuo, imò ex Aug. Epist. 82. *Cavendum est, ne sicut Philosophi, facta quædam hominum media dicamus inter rectè factum & peccatum, quæ neque in rectè factis, neque in peccatis numerentur.* Nam actus humanus, sumptus in individuo, includit, non tantum objectum ad quod proximè tendit, sed etiam finem quem operans sibi proponit; atqui nullus actus, spectatus secundum finem quem operans sibi proponit, est indifferens: finis enim cujuslibet actûs deliberati, est bonum, vel jucundum, vel honestum; nam bonum utile, cum propter se non appetatur, non habet rationem finis; atqui si finis actûs sit bonum honestum, actus est bonus, si finis sit bonum jucundum, actus est malus: neque enim licitum est homini, in suis actibus deliberatis, propter solam delectationem operari, ut definivit Innoc. XI. in damnatione hujus prop. quæ est 8. *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui, id est, conquirere in actibus suis, non referendo illos ad finem honestum; ergo.*

(a) Ita D. Thom. Thomistæ, Suares, Bellarm. Valentia, Tournely, Paulus à Lug. contra Scotum, D. Bonaven. Vasq. &c.

*Prob. 2<sup>o</sup>. Ratione D. Thom. q. 18. a. 9. quæ sic proponi potest : omnis actio otiosa est moraliter mala , siquidem de verbo otioso reddent homines rationem in die judicii , ait Christus Math. 12. Atqui omnis actio , quæ ad debitum finem non ordinatur , est otiosa : quia actio non dicitur otiosa , eò quòd malum finem habeat ; ergo ideò solùm otiosa dicitur , eò quòd careat debito fine ; nam ut ait D. Bernardus L. de triplici custodiâ : Otiosum verbum est , quod nullam rationabilem causam habet. Ergo pariter actio otiosa est ea quæ debito fine caret ; ergo.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1<sup>o</sup>. D. Hieronim. Epist. 89. ad Aug. ait : Bonum est continentia , malum est luxuria , inter utrumque indifferens est ambulare ; ergo.*

*Resp. dist. ant. Ambulare consideratum in specie , est indifferens , conc. consideratum in individuo , nego ant. D. enim Hieron. sumit tò ambulare , prout abstrahit tùm à fine , tùm à circumstantiis.*

*Inst. D. Hieronim. addit : Sivè enim feceris , sivè non feceris , nec justitiam habebis , nec injustitiam ; ergo loquitur de ambulatione sumptâ in individuo.*

*Resp. dist. ant. Sivè feceris , sivè non feceris , nec justitiam , nec injustitiam habebis ex tali actione , spectatâ ratione objecti , conc. ratione finis , nego. Hanc esse mentem D. Hieron. patet ex ejus Epist. ad Ctesiphont. ubi his Pelagii verbis : Audite , quæso , audite sacrilegium : si voluero curare digitum , stare , ambulare . . . semper auxilium Dei mihi necessarium erit. Sic respondet : Audi , ingrate , imò sacrilege , Apostolum prædi-*



*eanthem: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ergo vult sanctus Doctor, ut omnia opera ad Dei gloriam referantur.

*Objic. 2º.* Dantur actus indifferentes in specie; ergo & in individuo.

*Prob. conseq.* Nulla datur species sine individuo rationem speciei participante; ergo, si dantur actus indifferentes in specie, dantur etiam in individuo.

*Resp. nego conseq.* Quia non datur species actuum indifferentium; aliud enim est dari speciem actuum indifferentium, aliud dari actus indifferentes in specie: nam dari speciem actuum indifferentium, est dari naturam communem actuum liberorum, qui neque boni, neque mali sunt moraliter sub ullo respectu, qualis nulla esse potest. Dari verò actus indifferentes in specie, est dari actus, qui neque boni, neque mali sunt præcisè ratione objecti, licet boni vel mali sint ratione finis & circumstantiarum; ergo.

*Inst. 1º.* Actus qui fiunt præcisè ad sublevandam levem naturæ indigentiam, ut ambulare ad juvandam digestionem, alvum purgare, spuerè, ad ignem frigoris abigendi causâ accedere, &c. nullam neque ex objecto, neque ex fine contrahunt bonitatem, vel malitiam; ergo sunt indifferentes in individuo.

*Resp. nego ant.* Vel enim illi actus, qui sunt media, fiunt propter solam voluptatem, & tunc sunt venialiter mali, quia homo, utpotè rationalis, operari tenetur propter finem excellentiorem, quàm bruta; vel fiunt ad sanitatis conservationem, debitam sustentationem, & rectam

Hij

corporis consistentiam, & tunc sunt moraliter boni: quod enim est conforme naturæ rationali, quâ rationali, est honestum; atqui debitè conservare ac sustentare corpus, est conforme naturæ rationali, quâ tali, cum sit actus charitatis propriæ nobis à Deo ipso imperatæ; ergo.

*Inst. 2º.* Delectatio moderata corporis vel animi, non est mala moraliter; ergo potest esse finis licitus.

*Resp. nego conseq.* Delectatio moderata non est quidem malum objectum, cum licitè percipi possit; sed est malus finis, quatenus agens rationale non potest licitè delectationem appetere propter se, sed tantum propter finem honestum, v. g. ut corpus functionibus suis magis habile fiat, & ideò mens promptius ea quæ officii sui sunt peragat; & tunc sortitur bonitatem à fine quem operans ultimè intendit.

*Inst. 3º.* Sunt aliquæ operationes per se tantum ordinatæ ad oblectandum, v. g. visio pulchri, ad oculos oblectandos, olfactio odoris, ad oblectandas nares, &c. ergo saltem istæ poterunt propter solam delectationem licitè exerceri.

*Resp. nego ant.* Nulla enim operatio ad solam delectationem, ut ad ultimum finem, ordinatur; sed ultrà semper tendit ad finem ulteriorem, nimirum ad operationes humanas exercendas: sic olfactio odoris ordinatur finaliter ad cerebrum confortandum; visio pulchri ad excitandos spiritus, qui deserviunt ad operationem humanam ritè exercendam, &c. His ergo vitæ deliciis ac voluptatibus uti debemus, non frui, cum illas assumere debeamus, non ut finem, sed ut media ad finem debitum.

*Inst.* 4°. Nemo tenetur ad impossibile; atqui, in nostro statu naturæ corruptæ, impossibile est omnes actus nostros deliberatos ad Deum, tanquam ad ultimum finem, referre; ergo.

*Resp. dist. min.* In statu naturæ lapsæ impossibile est omnes actus nostros deliberatos ad Deum referre, actualiter, *conc. min.* virtualiter, *nego min.* Neque enim opus est, ut finem honestum actu intendamus in singulis actibus, sed sufficit ut illum intendamus virtualiter, qualiter censeatur intendere ut plurimum, qui ordinatè & christianè vivit. *Hoc ipsum*, ait D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 9. ad 3. *quod aliquis agit ordinatè ad sustentationem vel quietem sui corporis; ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis; & idem patet in aliis.*

*Inst.* 5°. Si prædicti actus possent esse boni, possent voveri; item si possent esse mali, posset Sacerdos illis impendere absolutionem qui tantum se accusant, quòd prædictos actus in finem honestum non retulerint; absurdum utrumque consequens; ergo.

*Resp.* 1°. *nego* 1<sup>am</sup>. *sequel.* Quia non omne bonum voveri potest, sed id tantum quod est melius; porrò licèt bona sit ambulatio, v. g. ad sublevandam levem naturæ indigentiam, tamen ejus omissio non est melior; ergo non potest voveri.

*Resp.* 2°. *dist.* 2<sup>am</sup>. *partem min.* Absurdum est Sacerdotem absolutionem impendere illis, qui solum se accusant, quòd prædictos actus deliberatos in finem honestum non retulerint, quando non constat quòd non retulerint, *conc.* quando certò constat, *nego.* Ita respondet Gonet his



verbis : *Quia similes actus ut plurimum sine deliberatione ex solâ imaginatione fiunt , & si fiant cum deliberatione rationis , ad sanitatem vel honestam recreationem , vel naturæ quietem & solatium , virtualiter referuntur , regulariter sunt materia dubia , & ided prudens Sacerdos raro debet his solum absolutionem impendere , sed monere pœnitentem , ut de aliis , licet jam confessis , quæ certò sunt peccata , se accuset.*

*Objic. 3<sup>o</sup>.* Nullum est præceptum obligans hominem ad referendum omnes suas actiones deliberatas in finem honestum ; ergo non extat talis obligatio.

*Prob. ant.* Si datur tale præceptum , vel est naturale , vel positivum ; neutrum dici potest ; ergo.

*Resp. nego min.* Et dico illud præceptum esse naturale , nam lumen naturale dicitur , ut agens rationale , in omnibus suis actibus deliberatis , tendat ad bonum consonum naturæ rationali , quâ rationali , quod est bonum honestum.

*Inst. 1<sup>o</sup>.* Præceptum naturale , est notum omnibus , saltem eruditis ; atqui præceptum referendi omnes suas actiones deliberatas in finem honestum , non est notum omnibus , etiam piis & eruditis , cum D. Bonaventura , Scotus , &c. illud negent ; ergo.

*Resp. dist. maj.* Præceptum naturale , quod habet rationem primi principii , vel conclusionis immediatè ex principio deductæ , est notum omnibus , *conc.* præceptum naturale , quod est conclusio à primo principio remota , *nego maj.* Porro tale est præceptum , de quo hic.

*Inst. 2<sup>o</sup>.* Præcepta naturalia Decalogo conti-

DE ACTIBUS HUMANIS. 119  
nentur; atqui illud præceptum referendi, &c.  
non continetur Decalogo; ergo.

*Resp. dist. maj.* Præcepta naturalia, quæ à principiiis immediatè deducuntur, continentur Decalogo, *conc.* quæ remotè deducuntur, *nego maj.* Itaque præceptum referendi, &c. remotè deducitur ex præcepto dilectionis Dei super omnia, vi cuius tenemur habere Deum pro fine ultimo, & consequenter referre in ipsum omnes nostras actiones, saltem mediatè, quod fit ordinando eas ad aliquem finem honestum.

*Inst. 3º.* Præceptum illud, si extet, est affirmativum; ergo non obligat pro semper.

*Resp. dist. ant.* Est affirmativum, purè, *nego ant.* est affirmativum, non purè, *conc. ant.* Continet enim implicite præceptum negativum, quo scilicèt prohibemur ne creaturis fruamur. Undè in hoc Decalogi præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* istud negativum implicite continetur: *Non sistes ultimatè in creaturá; eamque si diligas, amorem illius in Dei dilectionem, saltem mediatè, referas.*

*Objic. 4º.* Concilium Constantiense damnavit hanc prop. Joannis Hus: *Nulla sunt opera indifferentia; sed hæc est divisio immediata humanorum operum, quòd sint vel virtuosa, vel vitiosa.* Atqui si non darentur actus indifferentes in individuo, illa prop. immeritò damnata fuisset; ergo.

*Prob. min.* Si non sint aliqui actus indifferentes in individuo, quælibet humana opera erunt, vel virtuosa, vel vitiosa in individuo; ergo.

*Resp. dist. ant.* Quælibet opera humana erunt, vel virtuosa, vel vitiosa in individuo, in sensu

Joannis Hus, *conc. ant.* in sensu Catholicorum & Patrum Concilii, *nego ant.* Itaque hæc propositio non fuit in se & absolutè damnata, sed tantùm relativè ad sensum Joannis Hus, qui contendebat omnia quæ fiunt ab homine in statu peccati mortalis existente, esse peccata; quæ verò fiunt à justo, esse virtutis actus, ut patet ex verbis propositionem immediatè sequentibus; Quia, inquit Joan. Hus, *si homo est vitiosus, & agat quidquam, tunc agit vitiosè; & si est virtuosus, & agat quidquam, tunc agit virtuosè: quia sicut vitium, quod crimen dicitur, sive peccatum mortale, inficit universaliter actus hominis vitiosi; sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi, quod est falsum; certum est quippè justos, non amisâ justitiâ, peccare venialiter, & impios, in statu peccati remanentes, actus informes fidei & spei posse elicere.*

## ARTICULUS II.

*Utrum Actus externus, actus interni bonitatem, vel malitiam augeat; ita ut melior sit actio illius qui eleemosinam dat de facto, quam ejus qui eam dare vult, & non potest defectu facultatis, vel occasionis?*

## CONCLUSIO.

**A**ctus externus per se non auget bonitatem, aut malitiam actus interni efficacis; sed auget per accidens. Ita Thomistæ contra Scotistas.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* argumento deducto ex Scripturâ & Patribus: Si actus exterior per se auget bonitatem vel malitiam moralem, voluntas efficax benè, vel malè agendi, nunquam reputaretur pro facto; atqui apud Deum voluntas pro facto



reputatur : nam Abrahamo mactare filium parato , licet sacrificium opere non compleverit , dixit Deus Genes. 22. v. 12. *Quia fecisti hanc rem , & non pepercisti filio tuo unigenito propter me , benedicam tibi.* Et Math. 5. v. 28. dixit Christus : *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam , jam mœchatus est eam in corde suo.* Quæ verba expendens D. Bernardus , ait Epist. 77. *Quid planius , quodd voluntas pro factò reputatur , ubi factum excludit necessitas.* Et D. Aug. 1. 1. de lib. arb. cap. 3. *Si cui non contingat , inquit , potestas concumbendi cum conjuge alienâ , planum tamen aliquo modo sit , id eum cupere , & si potestas detur , facturum esse ; non minus reus est , quam si in ipso factò deprehenderetur ; ergo.*

*Prob. 2<sup>o</sup>.* ratione Theologicâ : Illud per se non auget bonitatem aut malitiam actûs interni , quod per se nullam habet bonitatem , nullam malitiam ; atqui actus externus per se nullam habet bonitatem , nullam malitiam : nam ratio bonitatis vel malitiæ moralis sumitur à libertate ; atqui actus externus , per se , ut distinctus ab actu interno , nullam habet libertatem , aliàs & dormiens per actus suos mereretur vel demereretur ; ergo actus externus nullam per se habet , &c. ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>.* p. Illud per accidens auget malitiam actûs interni , quod nonnunquam actum internum reddit intensiorem aut diuturniorem ; atqui actus externus , experienciâ operis , nonnunquam actum internum reddit intensiorem aut diuturniorem ; sic v. g. actualis voluptas , quæ ex fornicatione misere percipitur , fornicationis affectum intensiorem efficere solet ; ergo.

Præterea, ex actu exteriori malo multoties generatur scandalum; incurritur excommunicatio, vel irregularitas, aut obligatio ad restitutionem, quæ per solum actum interiorem non inducuntur; ergo actus externus per accidens, ratione scilicet illorum malorum, quæ ex eo nonnunquam sequuntur, auget malitiam actûs interni.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1<sup>o</sup>.* Illud Aug. dicentis: *Malâ voluntate, vel solâ, quisque miser efficitur; sed miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis impletur.* Atqui non ob aliud fit miserior per actum externum, quàm quòd actus externus augeat malitiam actûs interni; ergo.

*Resp. nego min.* Ideò fit miserior, quia actus externus hominem ad malum propensio-rem facit, generat scandala, ingenii acumen obtundit, & mentem magis ineptam reddit ad operum spiritualium saporem; quod non præstat actus interior.

*Objic. 2<sup>o</sup>.* Actus internus & actus externus mali, diversis præceptis prohibentur, nempe *non mæchaberis: non concupisces.* Ergo actus externus diversam habet malitiam à malitiâ actûs interni.

*Resp. nego consequ.* Non enim ideò ponuntur diversa præcepta de actibus interioribus & exterioribus, quòd in exterioribus sit diversa malitia, cùm propter idem motivum prohibeantur; sed ideò ponuntur, quia periculum erat, ne homines carnales legem observasse sibi viderentur, si à solis actibus externis abstinerent, quamvis interioribus præberent consensum, sicut

quidam ex Judæis asseruerunt, quos redarguit Christus, his verbis: *Audistis quia dictum est, non mæchaberis; ego autem dico vobis: omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mæchatus est eam in corde suo.*

*Inst. 1º.* Qui martyrium reipsâ subit, qui Sacramenta realiter suscipit, majorem recipit gratiam, & consequenter magis meretur, quàm qui efficaciter ista desiderat; ergo actus externus auget bonitatem & meritum actûs interni.

*Resp. dist. ant.* Majorem gratiam recipit, ex opere operato, *conc.* ex opere operantis, *nego ant.* Hic autem loquimur de merito producto ex opere operantis, quod tantum potest esse in eo qui martyrium, vel Sacramenta efficaciter desiderat, quantum in eo, qui actu martyrium subit, vel Sacramenta re suscipit; imò potest esse majus, si ex majori charitatis affectu desideret.

*Inst. 2º.* Si opus externum novam malitiam non adderet, sequeretur 1º. frustranea esse opera externa; 2º. nos non teneri actus externos confiteri, quia, declarato actu interiori, tota actûs malitia sufficienter declareretur; 3º. frustra fideles Deo gratias agere pro subtractâ operis exterioris occasione; atqui hæc tria falsa sunt & absurda.

*Resp. nego triplicem maj. sequelam.* 1º. Enim opera externa non sunt frustranea; tum quia, si non fiant dum adest facultas, tunc actus interni non sunt efficaces; tum quia opus externum plerumque est præceptum; tum quia opus externum est satisfactorium, non verò opus internum, quod non est pœnale.



2°. Tenemur confiteri actus externos ; tùm quia ex ipsis colligitur voluntatis efficacia ; tùm quia sæpè augment actus internos per accidens ; tùm quia actus exterior facit unum per se peccatum cum interno.

3°. Non frustrà fideles Deo gratias agunt pro substractâ operis exterioris occasione ; quia , eâ substractâ , subtrahitur occasio augendæ , continuandæ , & multiplicandæ malæ voluntatis internæ.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Quot & quænam sint moralitatis principia ?*

*Nota.* **N**omine principiorum moralitatis ; ea omnia intelliguntur , per quæ actus humanus habet ut sit bonus , vel malus ; & tria sunt , scilicet objectum , finis , & circumstantiæ , de quibus agemus distinctis articulis.

### ARTICULUS I.

*An & quomodò actus humanus moralitatem desumat ex objecto ?*

*Nota* **O**bjectum hîc , non sumitur pro eo omni quod voluntati objicitur , sic enim comprehenderet etiam finem & circumstantias ; sed sumitur strictè pro omni re , aut personâ , quæ primò & per se attingitur ab actu ; hoc sensu res aliena , est objectum furti ; proximus , homicidii.

*Nota* 2°. Objectum potest dupliciter concipi , nempè vel secundùm esse phisicum , vel secundùm esse morale.

Objectum secundùm esse phisicum , est objectum secundùm se materialiter spectatum.

Objectum secundùm esse morale , est objec-

tum prout ab agente attingitur modo rectæ rationi consentaneo, vel dissentaneo. Porrò manifestum est objectum, à quo actus moralitatem suam desumit, non accipi secundum esse physicum, sed secundum esse morale. Sic v. g. objectum, à quo adulterium suam malitiam sumit, non est foemina, præcisè ut foemina, cum, ut sic, possit esse objectum adulterii & actus conjugalis; sed est foemina, prout cognoscitur contra prohibitionem rectæ rationis.

*Nota 3<sup>o</sup>.* Per objectum, à quo quærimus utrum actus humanus desumat moralitatem, intelligimus objectum, quod de se bonum est, vel malum: nam si objectum sit indifferens, non potest conferre bonitatem aut malitiam, cum neutram habeat; sed illius bonitas vel malitia repetenda est, vel à fine, vel à circumstantiis, quæ objectum formaliter determinant ad rationem boni vel mali objectivè. His positis, sit

### C O N C L U S I O.

*Specifica actuum humanorum moralitas, & quidem primaria, desumitur ab objecto, secundum esse morale spectato.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. pars:* Ab eo sumitur specifica moralitas actuum humanorum, ratione cujus quædam virtutes, & quædam vitia à se invicem specie differunt; atqui quædam virtutes, quædam vitia à se invicem specie differunt ratione objecti circa quod versantur; sic virtutes Theologicæ specie differunt à moralibus, quòd Theologicæ habeant immediatè Deum pro objecto, non autem morales; sic etiam homicidium & adulterium specie differunt, eò quòd eorum objecta specie differant; ergo spe-

ctica actuum humanorum moralitas desumitur ex objecto. Hinc dicit Oseas, c. 9. v. 10. *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.*

*Prob. 2<sup>a</sup>. pars :* Illa est primaria actûs humani moralitas, sine quâ actus humanus non potest concipi; atqui actus humanus non potest concipi sine moralitate ab objecto sumptâ, licet possit concipi sine aliis: sic v. g. furtum, quod quis in loco sacro committit ad se inebriandum, licet possit concipi sine malitiâ sacrilegii & intemperantiæ, non potest tamen concipi sine malitiâ injustitiæ; ergo primaria actûs humani moralitas desumitur ab objecto.

*Dices :* Actus humanus primam suæ moralitatis speciem desumit ab eo quod primò respicit; sed finis est id quod primò respicit, cum objectum non sit volitum nisi propter finem; ergo actus humanus primam suæ moralitatis speciem, non ab objecto, sed à fine desumit.

*Resp. dist. maj.* Actus humanus primam moralitatis speciem desumit ab eo quod primò respicit, intrinsecè & essentialiter, *conc.* extrinsecè & accidentaliter, *nego.* Itaque actus humanus intrinsecè & essentialiter respicit finem operis, qui dicitur intrinsecus, quia coincidit cum objecto; sed extrinsecè tantùm & accidentaliter respicit finem operantis, qui dicitur extrinsecus, quia tendentia ad hunc, vel illum finem operantis accidit actui humano, putà quòd elemosyna, v. g. fiat propter vanam gloriam, vel ad satisfaciendum pro peccatis.

*Inst.* Odium Dei, est actus pessimus; atqui habet objectum optimum nempe Deum; ergo actus odii Dei non desumit moralitatem ab objecto.



*Resp. dist. min.* Odium Dei habet objectum optimum, si spectetur secundum esse physicum, *conc.* si spectetur secundum esse morale, *nego min.* Sic enim spectatum, est Deus prout attingitur per odium, qui modus tendendi in Deum est rectæ rationi quàm maximè dissonum.

ARTICULUS II.

*An & quomodò actus humanus moralitatem desumat à fine operantis?*

*Nota:* **D**uplex est finis, intrinsecus scilicèt, seu operis, & extrinsecus, seu operantis.

Finis intrinsecus, est is in quem tendit opus ex naturâ suâ; sic finis intrinsecus eleemosynæ est sublevatio pauperis.

Finis extrinsecus, est is in quem tendit agens, seu est id propter quod aliquid fit. . . . Dicitur extrinsecus, quia sublato tali fine, actio adhuc manet integra. Itaque.

CONCLUSIO.

*Moralitas actuum humanorum desumitur etiam à fine extrinsecò operantis.*

*Prob.* Ab eo desumitur moralitas actûs, quod actum facit ex indifferente bonum vel malum; ex malo pejorem; ex bono meliorem, vel malum; atqui finis facit actum, 1<sup>o</sup>. ex indifferente bonum vel malum, sic studium ad vanam gloriam est malum, & studium ob lucrum animarum est bonum; 2<sup>o</sup>. facit actum ex malo pejorem, ut si quis furetur ad mœchandum; 3<sup>o</sup>. facit actum ex bono malum, ut si quis det eleemosynam ob vanam gloriam; 4<sup>o</sup>. facit actum ex bono meliorem, ut si quis det eleemosynam ad

redimenda peccata ; ergo moralitas actûs desumitur etiam à fine extrinsecò operantis : hoc certum est apud omnes , sed

Quæres : *Utrum actus ad finem extrinsecum ordinatus , desumat moralitatem specificam & essentialem à fine extrinsecò ?* pro cujus resolutione ,

*Nota:* Actus ad finem extrinsecum ordinatus potest spectari dupliciter , 1<sup>o</sup>. ut est imperatus à fine extrinsecò , proceditque ab intentione efficaci finis ; 2<sup>o</sup>. ut est elicitus à voluntate : v. g. volitio dandi eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis , est actus imperatus à pœnitentiâ , & actus elicitus à misericordiâ. Hoc prænotato ;

*Resp.* *Actus à fine extrinsecò imperatus , spectatus reduplicativè ut imperatus , essentialem & specificam moralitatem desumit à fine operantis ; spectatus verò ut elicitus eadem desumit ab objecto.*

*Prob.* Actus essentialem & specificam moralitatem desumit ab eo quod præcipuè & essentialiter respicit ; atqui actus spectatus prout est imperatus , præcipuè & essentialiter respicit finem operantis , siquidem voluntas ex efficaci finis intentione movetur ad objectum ; spectatus verò ut elicitus , præcipuè & essentialiter respicit solum objectum , illi enim in esse specifico jam constituto advenit finis extrinsecus operantis ; ergo actus spectatus reduplicativè ut imperatus , essentialem & specificam moralitatem desumit à fine operantis ; spectatus verò ut elicitus , essentialem & specificam moralitatem ab objecto desumit.

*Dices:* Plures actus habent speciem essentialem

lem solo fine extrinseco; ergo eam non habent ab objecto quatenus sunt elicit, & à fine extrinseco quatenus imperati.

*Prob. ant.* Actus quo amatur Deus propter se & actus quo amatur proximus propter Deum, sunt actus ejusdem speciei, nempe charitatis; atqui non sunt ejusdem speciei, nisi quia specificantur à solo fine extrinseco; ergo.

*Resp. nego min.* In quâ assignatur pro fine extrinseco operantis, illud quod est reverà finis intrinsecus & operis; cum enim objectum & finis intrinsecus charitatis, sit amare Deum propter se, & proximum propter Deum, manifestum est intentionem operantis pertinere ad objectum charitatis.

*Resolves 1<sup>o</sup>.* Unicum actum posse pertinere ad virtutes specie diversas, potest enim ab unâ elici, & imperari ab alterâ; ut patet in exemplo adducto eleemosynæ datæ ad satisfaciendum pro peccatis, quæ elicitur à misericordiâ & imperatur à pœnitentiâ.

*Resolves 2<sup>o</sup>.* Posse in uno eodemque actu reperiri duplicem moralitatem ejusdem speciei, unam quidem ex parte operis, seu objecti; alteram autem ex parte operantis: moralitas ex parte objecti magis est præcipua, si actus, prout est externus consideretur; moralitas verò ex parte operantis principem locum tenet, si actus, prout est internus perpendatur; quo sensu dixit Aristoteles 5. Æthic. 2. *Qui furatur ad mœchandum, est magis mœchus, quàm fur.*





*An & quomoddò actus humanus moralitatem  
desumat ex circumstantiis ?*

Nota 1°. **C**ircumstantia actûs definitur , *Accidens quoddam , moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse , tum phisico , tum morali.*

Dicitur 1°. *accidens* ; quia est quid extrinsecum entitati actûs , quæ sine tali accidente concipi & subsistere potest , talis est circumstantia loci sacri in furto.

Dicitur 2°. *moraliter afficiens* ; id est , modificans actum in conformitate , vel difformitate ad rectam rationem ; & ideò conferens ipsi aliquid bonitatis , vel malitiæ accidentalis ; alioqui poterit quidem esse circumstantia actûs humani , quâ phisicus est , sed non quâ moralis : sic , v. g. eleemosynam dare inimico , est circumstantia moralis quæ actionem facit magis Deo acceptam ; sed dare eleemosynam manu dextrâ , vel sinistrâ , est circumstantia actûs quâ phisicus est , quæ nihil ad mores confert.

Dicitur 3°. *Actum humanum jam constitutum in suo esse morali* ; quia objectum actûs dat ipsi primam moralitatem , & idcirco circumstantia quâ talis , non nisi secundam & accidentalem dare potest.

Dixi : *Circumstantia quâ talis* ; quia aliquando circumstantia transit in ipsum objectum , seu est præcipuum operantis objectum , quando nimirum primariò & per se intenditur ab operante , & tunc dat actui primam & essentialem moralitatem ; id patet in eo qui , determinatus ad

ſacrilegium , in loco ſacro furatur ut impium conſilium executioni mandet ; eo enim in caſu , malitia quæ ex loci ſacri circumſtantiâ oritur , eſt actui eſſentialis ; tuncque furtum eſt circumſtantiæ mediæ , ſeu *quibus auxiliis*.

*Nota 2º.* Circumſtantiæ , alia eſt formalis , alia objectiva.

Circumſtantiæ formalis , eſt ea quæ ſe tenet ex parte actûs ; tales ſunt , *intenſio , duratio , libertas , &c.*

Circumſtantiæ objectiva , eſt ea quæ ſe tenet ex parte objecti ; tales ſunt circumſtantiæ loci , temporis , perſonæ , majoris vel minoris quantitatis , &c. De his ſolis hic agitur , cum certum ſit actum à circumſtantiis formalibus aliquam moralitatem bonitatis , vel malitiæ ſumere. Itaque ſit

### C O N C L U S I O.

*Moralitas actuum humanorum deſumitur etiam à circumſtantiis.*

*Prob.* Circumſtantiæ ſubjacent regulis morum : vel enim ab eis præcipiuntur , vel prohibentur ; atqui quæ ſubjacent regulis morum , actibus humanis moralitatem conferunt ; ergo circumſtantiæ actibus humanis moralitatem , bonitatis vel malitiæ , conferunt. Circa quod

Quæres 1º. *Quamnam moralitatem actibus humanis circumſtantiæ conferant ?* Ante reſponſionem

*Nota :* Alias eſſe circumſtantiæ , quæ ſpeciem mutant ; alias , quæ aggravant vel minuunt.

Circumſtantiæ *mutans ſpeciem* , eſt ea , quæ actum humanum trahit in ſpeciem diverſam ab eâ quam ab objecto ſuo immediato deſumit ; v.

g. si furtum fiat in loco sacro, circumstantia loci mutat speciem.

Circumstantia *aggravans, vel minuens speciem*, est ea, quæ minuit vel auget bonitatem aut malitiam actûs intrâ eandem speciem; v. g. incestus in primo vel quarto gradu, furtum majoris vel minoris quantitatis: ubi tamen diligenter advertere, quòd circumstantia quæ transfert peccatum de veniali in mortale, licet non mutet speciem moralem, mutat tamen speciem Theologicam & demeritoriam; sic furtum grave non mutat quidem speciem moralem furti levis, cum eidem virtuti justitiæ opponatur, sed mutat speciem Theologicam & demeritoriam, quatenus furtum grave meretur gratiæ & gloriæ privationem, non autem furtum leve. Hoc prænotato

Resp. *Circumstantia mutans speciem, non verò circumstantia solum aggravans speciem, confert actui humano moralitatem specie diversam à moralitate quæ provenit ex objecto.*

Prob. Circumstantia, quæ importat ordinem convenientiæ, vel disconvenientiæ ad rectam rationem, diversum ab eo quem importat objectum, confert actui humano moralitatem specie diversam ab eâ quæ provenit ex objecto; atqui circumstantia mutans, non verò aggravans tantum, hoc præstat, non enim solum est disconveniens rectæ rationi furari, sed etiam furari in loco sacro; ergo circumstantia mutans speciem, non verò aggravans, confert actui humano moralitatem specie diversam ab eâ quæ provenit ex objecto.

Dices 1<sup>o</sup>. Circumstantia moraliter afficiens



objectum, transit in rationem objecti; ergo nulla circumstantia, quæ talis, dat bonitatem vel malitiam actui.

*Prob. ant.* Quod est volitum, habet rationem objecti; atqui nulla circumstantia dat moralitatem actui, nisi sit volita; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quod est volitum, per se, immediatè, & primariò, habet rationem objecti, *conc.* quod est volitum, secundariò tantùm & per modum accessorii, *nego. maj.* Circumstantiæ autem morales non sunt volitæ, nisi secundariò & per modum accessorii supervenientis: undè sunt tantùm quid circumstans objectum, seu objectum secundarium; & sic intelligendus est D. Thom. 1. 2. q. 19. a. 2. dicens: *Bonitas & malitia voluntatis non dependent ex circumstantiis, sed ex solo objecto.*

*Dices 2º.* Circumstantiæ, ut plurimùm, sunt extrinsecæ actui humano, ut locus & tempus; ergo non possunt illi dare moralitatem intrinsecam.

*Resp. nego conseq.* Nam objectum dat actui moralitatem intrinsecam, & tamen est actui extrinsecum; ergo quemadmodùm actus humani desumunt ab objecto bonitatem vel malitiam intrinsecam, quia ordo quem ad illud dicunt est intrinsecus; ita similiter desumunt bonitatem vel malitiam intrinsecam à circumstantiis propter ordinem intrinsecum quem habent ad circumstantias.

*Quæres 2º.* Quando nam circumstantia speciem mutet?

*Resp.* Ut id perfectè cognoscatur, traduntur duæ regulæ.

1<sup>a</sup>. *Regula* : Quando circumstantia efficit ut actus opponatur alicui virtuti , cui alioquin non opponeretur , aut efficit ut ei sit conformis , mutat speciem actûs humani , ut patet in furto quod quis in loco sacro perpetravit. Ratio est , quia ubi est conformitas aut difformitas ad plures virtutes , ibi sunt plures conformitates vel difformitates cum rectâ ratione.

*Resolv.* Qui Sacrum omittit die Dominicâ , in quâ incidit festum , unum tantum peccatum committit ; quia una est tantum oppositio ad virtutem religionis , propter quam Missa est audienda ; econtrâ qui Sacrum omittit die Dominicâ , in quâ auditio Missæ à Confessario fuit imposita , duo peccata committit , quia est oppositio ad virtutem religionis & poenitentiae.

2<sup>a</sup>. *Regula* : Quando circumstantia efficit , ut actus diverso modo eidem virtuti sit conformis vel difformis , mutat speciem actûs humani ; quia ubi est diversus modus conformitatis vel oppositionis cum eadem virtute , tunc sanè diversa est conformitas vel disconvenientia cum rectâ ratione.

*Resolv.* Qui jejunium perfringit per duplicem coenam , & per carniû comestionem , duplex peccatum committit ; quia licet hic actus uni temperantiae virtuti opponatur , diverso tamen modo opponitur ; ergo duplex est peccatum.

Quæres 3<sup>o</sup>. *Utrum circumstantiæ debeant esse cognitæ & volitæ , ut ad peccatum imputentur ?*

*Resp.* Circumstantiæ , quæ se tenent ex parte objecti , ut res sacra in furto , debent esse cognitæ & volitæ , saltem interpretativè , ut ad peccatum imputentur ; hoc est , quòd agens illas

cognoscere debuerit ac potuerit; ratio est, quia aliàs actus non esset deliberatus quoad circumstantiam incognitam.

Dixi: *Circumstantiæ, quæ se tenent ex parte objecti*: quia eæ quæ se tenent ex parte actûs, ut intensio, duratio, libertas, &c. vel ex parte qualitatis agentis, per ipsummet actum deliberatè elicitedum satis superque cognitæ sunt & volitæ, proindeque peccaminosæ.

Quæres 4<sup>o</sup>. *Quot sint circumstantiæ actuum humanorum in particulari, & quomodo ab ipsis suam moralitatem desumant?*

*Resp.* Sunt septem, hoc versû contentæ:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

*Quis*: Non designat personam ipsam agentem secundum se; sed denotat qualitatem & conditionem accidentalem personæ operantis, v. g. quod operans sit Sacerdos, conjugatus, voto obstrictus, ad aliquid ex officio vel justitiâ obligatus, &c.

Hæc circumstantia mutat speciem, quoties efficit, ut actus impugnet diversas virtutes; sic luxuria, ultra propriam malitiam, impugnat in Religioso religionem, undè est sacrilegium; in conjugato impugnat justitiam, undè est adulterium.

Aggravat verò speciem, quoties causat majorem ad eandem virtutem oppositionem; sic gravior est incestus in secundo, quàm in tertio gradu.

*Quid*: Denotat qualitatem aut quantitatem objecti: v. g. an persona, quæ fuit objectum luxuriæ, sit consanguinea, vel voto castitatis



obstricta? an res furto ablata, sacra sit vel prophana, gravis an levis? &c.

Hæc circumstantia mutat speciem, quoties efficit, ut objectum, ratione specificè diversâ, sit prohibitum; hinc diversum à fornicatione crimen committit, qui cum conjugatâ, moniali, consanguineâ fornicatur.

Aggravat verò quoties causat majorem oppositionem ad eandem virtutem; sic gravius peccat, qui tres aureos furatur, quàm qui unum.

*Ubi*: Denotat qualitatem loci: v. g. si locus sit publicus, vel sacer.

Hæc circumstantia mutat speciem, 1<sup>o</sup>. cùm peccatum commissum est in loco publico, habet enim rationem scandali. 2<sup>o</sup>. Cùm peccatum in loco sacro commissum, ipsum polluit, nam actus ultrâ propriam malitiam, habet malitiam sacrilegii. Polluitur autem locus sacer per voluntariam sanguinis & seminis effusionem, etiam occultam.

Aggravat verò quodcumque aliud peccatum, sive externum, sive internum in loco sacro commissum; quia qui Deum in loco, suo nomini dicato, offendit, majorem ipsi injuriam infert.

*Quibus auxiliis*: Denotat media & instrumenta quibus operans usus est ad operandum.

Hæc circumstantia mutat speciem, quando media specialem habent cum aliquâ virtute repugnantiam; v. g. si quis ope dæmonis expressè, vel tacitè invocati, aliquid consequi voluerit; si rem sacram ad usus prophanos adhibuerit.

Aggravat verò duntaxat, si media sint ejusdem speciei cum fine intento; ut si quis scalam unius furetur, ut alterius pecuniam furetur.

*Cur* : Denotat finem extrinsecum operantis , de quo sufficienter egimus , articulo præcedenti.

*Quomodo* : Denotat accidentalem modum , quo fit actio : v. g. an ex malitiâ , aut ignorantia , aut infirmitate ?

Hæc circumstantia mutat speciem , quando modus est specie diversus ab actione ; sic furtum , cum violentiâ factum , habet rationem rapinæ.

Aggravat verò duntaxat , quando modus est ejusdem rationis cum actione : ut actûs intensio , duratio , consuetudo , &c.

*Quando* : Denotat durationem & qualitatem temporis accidentariam :

1<sup>o</sup>. Duratio temporis non mutat speciem , sed potest esse tanta , ut eam notabiliter aggravet : v. g. si distractio voluntaria per totum Officium duret.

2. Qualitas temporis aggravat speciem ; ut cum quis die Communionis ebrietatibus , vel fornicationibus vacat ; sed an mutet speciem ? est quæstio controversa , quæ commodius expendetur ubi de præceptis Ecclesiæ.

### QUÆSTIO TERTIA.

*Quædam sint affectiones moralitatis ?*

*Nota* : **P**Ræcipua moralitatis affectio , est ejus multiplicatio in eodem actu , de quâ variæ instituuntur quæstiones , paucis solvendæ. Itaque

Quæres 1<sup>o</sup>. *An actus , ex objecto malus , in finem bonum relatus , desinat esse malus ?* v. g. an peccet qui mentitur ad vitam innocentis conservandam ?

*Resp.* hunc actum esse simpliciter malum. Ratio

est, quia ad malitiam moralem, satis est, ut desit vel unicum eorum quæ debentur actui, secundum istud Theologiæ effatum: *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu*; ergo ubi medium est malum, actus simpliciter malus est. Undè Apost. Rom. 3. docet *non esse facienda mala, ut eveniant bona.*

*Dices.* Math. 6. v. 22. dicitur: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*; ubi per oculum intelligitur intentio, per corpus verò actio; ergo si finis sit bonus, tota actio erit bona.

*Resp. dist. conseq.* Erit bona, si objectum sit bonum, vel saltem indifferens, *conc.* si objectum sit malum, *nego.* Aliàs Christus Joan 16. eos non damnasset, qui Apostolos persequebantur, existimantes *obsequium se præstare Deo.*

Quæres 2º. *Utrum saltem intentio boni finis minuat malitiam actûs ex objecto mali?*

*Resp. minuit per se.* Ratio est, quia gravitas peccati desumitur ex affectu ad peccatum; atqui, qui actum ex objecto malum ordinat in finem bonum, minorem habet ad peccatum affectum; ergo minùs peccat. Undè D. Aug. lib. contra mendacium, cap. 8. ait: *Pejor est qui concupiscendo, quàm qui miserando, id est, misericordiæ voluntate furatur, tametsi horum duorum non ideo est quisquam bonus, quia pejor est unus.* Cui consonat D. Thom 2. 2. q. 110. a. 2. dicens: *Quantò bonum intentum est melius, tantò magis minuitur culpa mendacii.*

Dixi, *per se*; Quia per accidens potest fieri, ut qui furatur, v. g. ad dandam eleemosynam, novum peccatum actui adjiciat; tùm quia peri-



culo nunquàm restituendi se committit; tùm quia in peccatum inducit eum cui bona furatus est; hoc sensu dixit Aug. hom. 7. inter 50. *Etiam si fur totum pauperibus tribuat quod abstulerit, addit potius peccatum, quàm minuit.*

Quæres 3<sup>o</sup>. *An unus idemque actus, ( v. g. eleemosyna propter vanam gloriam ) possit esse bonus ex objecto bono, & malus ex fine malo?*

*Resp. negat.* Sed est simpliciter malus.

*Prob. 1<sup>o</sup>.* Ex Script. Math. 6. v. 1. *Attendite ne justitiam vestram, id est, opera vestra bona, faciatis coram hominibus ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in cælis est.* Atqui si illa opera remanerent bona, non forent absque mercede; ergo.

*Prob. 2<sup>o</sup>.* Si actio illius, qui ob vanam gloriam dat eleemosynam pauperi, esset bona, utique ratione objecti, atqui hæc actio nequidem ratione objecti est bona: nam illa actio non est bona ratione objecti, cujus objectum est malum; atqui objectum eleemosynæ, ob vanam gloriam erogatæ, est malum: quod enim consideratur reduplicativè ut ordinatum ad malum, est malum; atqui objectum eleemosynæ ob vanam gloriam erogatæ, non est eleemosyna simpliciter, sed eleemosyna, prout ad malum finem ordinata; undè D. Thom. in 2. dist. 38. q. 1. a. 4. ait: *Cum aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, & hic actus totus est malus, licet non ab eo omni, quod in eo est, malitiam habeat; ergo.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1<sup>a</sup>.* Qui dat eleemosynam indigenti ob vanam gloriam, implet præceptum charitatis; atqui implere præceptum est bonum opus; ergo.

*Resp. dist. maj.* Implet præceptum charitatis, materialiter, *conc. maj.* formaliter & in ratione objecti specificantis, *nego. maj.* atqui implere præceptum, formaliter & in ratione objecti specificantis, est bonum opus, *conc. min.* materialiter & in esse entis, *nego min. & conseq.* Itaque, qui ex malo fine dat eleemosynam indigenti, non facit satis præcepto formaliter, quia non facit actum justitiæ; sed satisfacit præcepto materialiter, quia subtrahitur præcepti materia, ex quâ nascebatur ejus obligatio, & ideò manet liber ab obligatione præcepti.

*Inst. 1º.* Qui dat eleemosynam ex malo fine, melius facit, quàm qui nihil dat; atqui si eleemosyna ejus ex malo fine vitaretur, non melius ageret, quàm alter; ergo.

*Resp. dist. min.* Melius facit, comparativè, id est, minùs peccat, *transcat*; melius facit, absolutè, quasi faceret bonum formaliter, *nego maj.*

Dixi, *transcat*: quia cum neuter faciat bonum formaliter, comparativum *melius*, est de non supponente.

*Inst. 2º.* Malitia finis non destruit objecti bonitatem; ergo non impedit quominùs actio sit bona quoad objectum.

*Prob. ant.* Quod est extrinsecum objecto, non destruit objecti bonitatem; atqui finis est quid extrinsecum objecto; ergo.

*Resp. dist. min.* Finis est quid extrinsecum objecto, in genere entis, *conc.* in genere moris, *nego min.* Quod enim transit in rationem objecti specificantis, non est extrinsecum objecto; atqui finis transit in rationem objecti specificantis, nam objectum intenditur ut medium, adeò-

que ut habens ordinem ad malum finem, cui positivè applicatur, & subservit velut ancilla dominæ.

*Objic. 2º.* Ex opinione nostrâ, sequitur hominem justum, qui martyrium ex vanæ gloriæ motu subiret, omni cariturum esse merito, imò peccaturum; absurdum consequens; ergo.

*Resp. nego min.* Talis enim non esset verè martyr, juxta illud D. Hieron. in cap. 1. Epist. ad Gal. *Martyrium ipsum, si idè fiat, ut admirationi & laudi habeamur à fratribus, frustrà sanguis effusus est.* Ratio est, quia verum martyrium est effusio sanguinis propter Christum, fideive aut alterius virtutis defensionem.

*Quæres 4º.* *An circumstantia venialiter mala, actui bono adveniens, totam ejus bonitatem auferat, & meritum?*

*Dixi, Actui bono adveniens:* cum nempe circumstantia non est finis & intentio agentis, sed irrepit duntaxat in decursu operis de se boni, & in bonum finem directi; v. g. si quis, inchoato bonum in finem jejunio, gloriam inanem inter jejunandum concipiat, vel aliquo veniali tædio, impatientiâ, &c. afficiatur. Itaque

*Resp. negativè.* Ratio est, quia circumstantia, de quâ loquimur, nullo modo influit in actum bonum, neque ut causa efficiens, neque ut causa finalis, sed eum tantummodò extrinsecè comitatur; atqui quod nullo modo influit in actum bonum, illum vitare non potest; ergo circumstantia, actui bono adveniens, totam ejus bonitatem non potest auferre.

*Dices:* Idem actus non potest esse meritorius simul & demeritorius; atqui si circumstantia,



adveniens actui bono, totam illius bonitatem non auferret, idem actus esset meritorius simul & demeritorius; ergo circumstantia, adveniens actui bono, totam illius aufert bonitatem.

*Resp. nego min.* Quia hic sunt duo actus; circumstantia enim, de qua loquimur, non tam est circumstantia, quam actus plane diversus qui secundum se malus est, dum alter secundum se bonus est, licet hocce consortio minuatur ejus bonitas; meritum autem stare potest cum veniali.

### QUÆSTIO QUARTA.

*Quænam sit moralitatis prima regula?*

*Nota* **D**Uæ sunt regulæ bonitatis & malitiæ  
 1<sup>o</sup>. **D** actuum humanorum, scilicet primaria, seu remota, & secundaria, seu proxima, quæ vel est interna, & est conscientia: vel externa, & est lex; de conscientia & legibus agemus infra.

*Nota* 2<sup>o</sup>. Cùm actus humanus, ut sit bonus debeat esse conformis, tum naturæ rationali prout rationalis est, id est, prout est intellectiva & volitiva cum libertate; tum lumini rationis ab æternâ ratione nobis cœlitus derivato, ad justum ab injusto discernendum; tum voluntati divinæ & legi æternæ, quæ est ratio Dei dirigens omnes creaturas in suum finem; curiosius inquirunt Theologi, quodnam ex his assignari debeat pro regulâ primariâ & remotâ actuum nostrorum: verùm cùm hæc quæstio sit purè speculativa, in ipsâ discutiendâ non immorabimur, ut ad utiliora & practica progrediamur, & resolvamus, utrùm & quomodo homo te-

neatur voluntatem suam conformare voluntati divinæ, pro cuius solutione

*Nota 3º.* Duplex est in Deo volitum, materiale scilicet & formale.

Volitum materiale, est objectum, quod Deus vult.

Volitum formale, est motivum, quo Deus vult objectum materiale.

Porro voluntas creata potest conformari voluntati divinæ.

1º. *In volito materiali tantum* : sic Deus & Judæi mortem Christi intendebant; sed Deus ex charitate, Judæi ex odio.

2º. *In volito formali tantum* : sic parens vult vivere infantem suum ut salvetur, quem Deus vult mori ob idem motivum, nempe *ne malitia mutet intellectum ejus*.

3º. *In volitio materiali & formali simul* : sic Deus voluit pati Christum ad redimendum genus humanum, & Christus voluit pati ob eandem rationem.

*Nota 4º.* Voluntatem nostram posse voluntati divinæ conformari dupliciter; 1º. *positivè*, per actum expressum; 2º. *negativè*, per non repugnantiam, seu per approbationem. His notatis:

### C O N C L U S I O I.

*Tenemur voluntatem nostram voluntati divinæ, tam in volito materiali, quam in formali, conformare; positivè, dum agitur de præcepto; negativè verò, dum agitur de consilio.*

*Prob. simplici expositione* : Tenemur positivè diligere proximum, quod est materiale volitum; & diligere proximum propter Deum, quod est volitum formale; sed non tenemur

velle positivè , seu amplecti virginitatem , quam Deus nobis tantùm consulit ; benè quidem tenemur eam velle negativè , id est , tenemur eam approbare , esseque dispositi illam amplecti , si Deus vellet , & sub eodem quo vellet motivo ; ergo.

### C O N C L U S I O I I.

*Semper & in omnibus tenemur voluntatem nostram voluntati divinæ negativè conformare in voluto formali , non tamen semper in voluto materiali.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Homo non potest non approbare motivum agendi æquissimum ; atqui motivum agendi in Deo , est æquissimum , nempè manifestatio suæ gloriæ , justitiæ , & aliorum attributorum ; ergo homo non potest non approbare tale motivum , quod est negativè se conformare Deo in voluto formali.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Voluntati divinæ non tenemur conformari contra voluntatem divinam ; atqui plura vult Deus , quæ non vult nos velle , nisi saltem voluntate conditionatâ , nempè si ipse voluerit ; v. g. Deus , ut causa prima & universalis , vult bella , pestes , mortem parentum , damnationem peccatorum , &c. quæ tamen non vult nos velle , & quæ sunt mala respectivè ad nos , ad quos non pertinet communis ordo universi , aut divinæ justitiæ manifestatio ; ergo non tenemur nos conformare Deo in voluto materiali. Undè D. Aug. in enchiridio , c. 101. ait : *Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid , quod Deus non vult ; tanquam si bonus filius patrem velit vivere , quem Deus bonâ voluntate vult mori.*

*Dices : Dicimus in Oratione dominicâ : fiat voluntas*



*voluntas tua , sicut in cælo , & in terrâ ;* atqui in cælo beati conformantur voluntati divinæ , non solùm in voluto formali , sed etiam in materiali ; ergo & in terrâ viatores id debent præstare.

*Resp. dist. maj.* Petimus ut fiat voluntas Dei *sicut in cælo & in terrâ* , quoad præcepta , *conc.* quoad omnia à Deo volita , *nego.* Itaque per eam orationem petimus à Deo ut in omnibus obtemperemus præceptis divinis , sicut beati in cælo semper obediunt Deo in omnibus ; ità ex Aug. exponit D. Thom. 2. 2. q. 82. art. 9. ad 1. *Quodd autem dicitur , fiat voluntas tua ,* inquit , *rectè intelligitur , ut obediatur præceptis tuis sicut in cælo & in terrâ , id est , sicut ab Angelis , ita ab hominibus.*



## DISSERTATIO II.

### *De Conscientiâ.*

*Nota :* **L**icèt aliqui conscientiam cum syndereſi confundant , differunt tamen tanquam actus ab habitu. *Syndereſis* enim , est habitualis cognitio & conservatio primorum principiorum moralium ; *conscientia* verò , est eorumdem actualis applicatio alicui materiæ particulari , undè

Conscientia definitur : *Actus intellectûs practici , dictantis quid hîc & nunc , spectatis omnibus circumstantiis , faciendum sit ut bonum , vel omittendum ut malum.*

Dicitur 1<sup>o</sup>. *Actus* , non verò potentia , nec habitus ; non potentia , quia potentia est invariabilis , conscientia verò sæpe mutatur de bonâ in malam : non habitus , quia habitui non con-

veniunt conscientiae proprietates, nimirum testificari, accusare, remordere, dirigere, &c. Restat ergo, ut sit actus applicans synderesim ad actionem particularem, ex cujus principiis generalibus concludit quid hinc & nunc, spectatis omnibus circumstantiis, amplectendum, vel fugiendum sit.

*Nec dicas*: In dormientibus remanet conscientia, nec tamen remanet actus; ergo conscientia non est actus.

*Resp.* In dormientibus remanet conscientia, radicaliter in suo principio, nempe synderesi; & virtualiter, virtute nimirum præcedentis actus, per actum contrarium non revocati, *conc.* formaliter, & actu, *nego*.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *Actus intellectus*: quia conscientia ad eam facultatem pertinet, cujus est de agendis, vel non agendis judicare; atqui solius est intellectus de agendis, vel non agendis judicare; ergo.

*Dices cum Durando*: Conscientia dicitur bona, vel mala; atqui attributa bonitatis & malitiae non intellectui, sed voluntati conveniunt; ergo conscientia est actus voluntatis.

*Resp. dist. maj.* Conscientia dicitur bona vel mala directivè & regulativè, quatenus nimirum benè vel malè, ex cognitione agentis dirigit, *conc. maj.* formaliter, *nego maj.* Habere autem bonitatem vel malitiam directivè, ad intellectum, non ad voluntatem pertinet, quæ, utpotè potentia cæca, debet non dirigere, sed dirigi.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *Intellectus practici*: quia conscientia non versatur circa actiones humanas, ut eas cognoscat, sed ut eas dirigat, non solum in genere, ut facit prudentia generalis, sed in par-

triculari ; ideò ejus judicium vocatur practicè practicum, ut distinguatur à prudentiâ generali, cujus judicium vocatur speculativè practicum, quia immediatè non dirigit actionem, sed mediante conclusione, seu ultimo conscientia dictamine.

Dicitur 4<sup>o</sup>. *Dictantis quid hęc & nunc, &c.* per quod iterùm differt, tùm à synderesi, quæ versatur circa prima morum principia ; tùm à prudentiâ generali, quæ ex primis principiis deducit conclusiones generales, abstrahentes scilicèt à circumstantiis ; conscientia verò prima principia applicat ad hoc, vel illud in particulari, hoc est, cum omnibus suis circumstantiis consideratum : v. g. synderesis dictat, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris* ; ex quo prudentia generalis concludit generaliter, *Ergo non est retinendum id quod est alteriùs*, idemque lex docet : undè conscientia subsumit : *Atqui hæc pecunia, quam casu inveni, est aliena* ; deindè concludit, *Ergo eam retinere non debeo*. Ideò conscientia vocatur à D. Antonino *scientia concludens*.

*Nota 2<sup>o</sup>.* Conscientia dividitur, 1<sup>o</sup>. in veram & erroneam, 2<sup>o</sup>. in certam & dubiam, 3<sup>o</sup>. in scrupulosam & latam, 4<sup>o</sup>. in probabilem & improbabilem. De quibus agemus totidem Capitibus.

---

## CAPUT PRIMUM.

*De Conscientiâ verâ & erroneâ.*

*Nota 1<sup>o</sup>.* **C**onscientia vera, seu recta, est ea quæ dictat aliquid esse licitum vel illicitum, quod reverâ licitum est vel illicitum,

K ij



quia est reipsâ conforme legi æternæ , vel difforme.

Conscientia erronea , seu falsa , est ea quæ dicit aliquid esse licitum , vel illicitum , quod reverâ non est tale ; & duplex est , scilicèt invincibiliter , & vincibiliter erronea.

Conscientia invincibiliter erronea , est ea ; cujus error , omni adhibitâ diligentîâ , depelli non potuit , aut non debuit : quocircâ conscientia hæc inculpata est.

Conscientia vincibiliter erronea , est ea , cujus error , diligentîâ necessariâ adhibitâ , depelli potuit ac debuit : & hæc , vel est affectata , vel crassa , pro ratione scilicèt ignorantîæ quam importat , & ex quâ nascitur.

Nota 2°. Nemini dubium esse potest , quin conscientia vera , sit certissima morum regula ; cùm sit recta tùm synderesis , tùm legis sive naturalis , sive positivæ applicatio ad actum particularem hîc & nunc agendum , & consequenter quicumque , contra illam aliquid sub præcepto imperantem , vel vetantem , operatur , peccat absque dubio ; cùm conscientia recta , sit proxima regula ad quam conformanda est omnis actio nostra. Sed

Dubium est , utrùm conscientia erronea sit morum regula , & utrùm peccet qui contra eam operatur ? quod ut solvatur. Sit

### C O N C L U S I O I.

*Conscientia invincibiliter erronea non est per se morum regula ; est tamen per accidens.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. pars.* Morum regula per se , est debita synderesis & legis applicatio ad actum particularem ; atqui conscientia invincibiliter erro-

nea per se non est debita legis & synderesis applicatio ad actum particularem, imò falsa est omninò; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. pars.* Regula morum per accidens, est id quod inculpatè & firmiter, hoc est, sine formidine partis oppositæ, existimatur verum; atqui talis est conscientia invincibiliter erronea; ergo.

*Dixi; Invincibiliter erronea:* quia conscientia vincibiliter erronea, est peccaminosa, cum possit & debeat deponi, & consequenter non potest esse morum regula, nequidem per accidens; econtrà conscientia invincibiliter erronea, cum non possit, atque adeò nec debeat deponi, est inculcata, & consequenter regula morum per accidens.

*Dices:* Conscientia vincibiliter erronea est sequenda, juxta illud D. Thomæ, q. 17. de veritate, art. 4. *Quamvis ergo talis conscientia, quæ est erronea, deponi possit, nihilominus tamen, dum manet, obligatoria est; quia transgressor illius, de necessitate peccatum incurrit; ergo est regula morum per accidens.*

*Resp. nego conseq.* Quia, ut dictum est, debet & potest deponi; undè D. Thom. ibidem addit: *Conscientia erronea non ligat, nisi secundum quid, & sub hac conditione, si talis conscientia duret.*

*Inst.* Debitum deponendi conscientiam vincibiliter erroneam, & debitum eam, si persistat, sequendi, sunt duo pugnancia; ergo si sit debitum eam persistentem sequendi, non est debitum eam deponendi, & consequenter non minùs est morum regula per accidens quàm conscientia invincibiliter erronea.

*Resp. nego ant.* Hæc duo enim ex diversis oriuntur principiis ; debitum enim deponendi conscientiam vincibiliter erroneam , oritur ex præcepto naturali adhibendi necessariam diligentiam ad abigendum errorem , & veritatem inveniendam. Debitum verò sequendi conscientiam vincibiliter erroneam , proficiscitur ex ipsius conscientia dictamine , proponente legem exequendam ; undè D. Thom. q. 17. de veritate , concludit : *Si contrarium , tali conscientia manente , agere disponat ( homo ) ex hoc ipso habet voluntatem legem Dei non observandi : undè moraliter peccat.*

### CONCLUSIO II.

*Peccat qui agit contra conscientiam sive vincibiliter, sive invincibiliter erroneam, dictantem aliquid hic & nunc esse præceptum, vel prohibitum.*

*Prob. 1º.* Ex Apóst. Rom. 14. v. 22. qui loquens de iis , qui ex errore conscientia putabant non licere sibi vesci cibus lege vetitis , ait : *Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat ;* id est , ait D. Thom. hic lect. 3. *cujus conscientia eum non reprehendit , vel condemnat. Qui autem discernit cibum quasi illicitum à licito , si manducaverit id quod discernit quasi illicitum , damnatus est , quia non ex fide ; omne autem quod non est ex fide , id est , ex dictamine conscientia , & persuasione quòd liceat , peccatum est ;* ergo. Hinc cap. litteras , *de restitutione spoliatorum* , dicitur : *Quidquid fit contra conscientiam , ædificat ad gehennam.* Ratio D. Thomæ 1. 2. q. 19. art. 2. ad 2. est quia , *quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei ,*



*tunc idem est contemnere dictamen rationis , & Dei præceptum.*

*Prob. 2º. ratione.* Velle peccatum , semper est peccatum ; sed qui agit contra conscientiam , sive vincibiliter , sive invincibiliter erroneam , vult peccatum , cum id faciat quod judicat esse peccatum ; objectum enim voluntatis est bonum vel malum , non quodcumque , sed prout ab intellectu proponitur ; ergo.

*Objic. 1º.* Actio operantis contra conscientiam erroneam dictantem aliquid esse malum , quod tamen est bonum , est conformis legi æternæ ; ergo non est peccatum.

*Resp. nego ant.* Hæc enim actio est difformis dictamini rationis , quod est legis naturalis expressio & intimatio , ut docet D. Thom. in 2. dist. 39. q. 3. a. 3. ad 3. *Jus naturale continetur primò in lege æternâ , secundariò verò in naturali judicatorio rationis humanæ.*

*Prob. ant.* Lex æterna dictat prædictam actionem esse bonam & licitam , ergo illa actio est conformis legi æternæ.

*Resp. dist. ant.* Lex æterna dictat actionem istam esse bonam & licitam , si secundum se consideretur , *conc.* si consideretur , ut est actio operantis contra conscientiam erroneam , *nego ant.* Lex enim æterna dictat omnem actionem , quæ non fit ex persuasionem quod sit bona & licita , malam esse & illicitam.

*Inst. 1º.* Actio specificatur ab objecto ; ergo si objectum agentis contra conscientiam erroneam sit intrinsecè bonum , quantumvis judicetur malum , actio erit bona.

*Resp. dist. ant.* Actio specificatur ab objecto ;

prout ab intellectu proponitur, *conc.* prout est in se, *nego ant.* Ideò cum ille qui agit contra conscientiam erroneam non depositam, feratur in objectum, quod ab intellectu proponitur tanquam malum, sequitur quòd actio ejus sit mala.

*Inst.* 2°. Licet agere contra conscientiam, quæ nec vera est, nec recta; atqui conscientia invincibiliter erronea, nec est vera, nec recta; ergo.

*Resp. dist. maj.* Licet agere contra conscientiam, quæ nec vera, nec recta est, tam practicè quàm speculativè, *conc.* quæ nec vera, nec recta est speculativè, est tamen vera & recta practicè, *nego maj.* atqui conscientia invincibiliter erronea, nec est vera, nec recta speculativè, *conc.* practicè, *nego min. & conseq.* Porro ut conscientia sit vera & recta practicè, sufficit ut ejus objectum inculpate ac firmiter existimetur verum, ut advenit in eo qui conscientiam laborat invincibiliter erroneam: sic qui invincibiliter putans diem jejunii, non esse diem jejunii, manducat carnes, habet conscientiam veram practicè; quia benè concludit se hic & nunc posse manducare carnem, ex suppositione speculativè falsam non esse diem jejunii.

*Objic.* 2°. Deus non potest esse auctor conscientiam erroneam; ergo non tenemur eam sequi.

*Resp. dist. ant.* Deus non potest esse auctor conscientiam erroneam, quatenus dicitat prohiberi à Deo quod ab eo non est prohibitum, *conc.* quatenus dicitat parendum esse legi, sive veræ, sive falso apprehensæ ut veræ & à Deo latæ, *nego ant.* Itaque duo cum Salmanticensibus, tract. 17. de fide, disp. 11. distinguenda sunt ju-

dicia in conscientiâ erroneâ : unum , quo judicatur aliquid à Deo prohiberi , quod non est prohibitum ; alterum , quo judicatur obtemperandum esse legi , sivè veræ , sivè falsò apprehensæ ut veræ & à Deo latæ. Primum iudicium falsum est , & consequenter in Deum , qui est summa veritas , referri non potest. Secundum iudicium verum est , & in Deum refertur , ut præcipientem obediendum esse suæ legi tanquam propositæ per intellectum practicum , qui est veluti præco intimans ac promulgans legem quamlibet , quo sensu D. Thom. q. 19. a. 5. ad 2. dicit : *Si aliquis cognosceret , quodd præceptum Proconsulis esset præceptum Imperatoris , contemnendo præceptum Proconsulis , contemneret præceptum Imperatoris.*

Quæres 1<sup>o</sup>. *In quâ specie erit peccatum agentis contra conscientiam erroneam ?*

*Resp.* Erit in eâ specie , & contra illam virtutem , ex cuius motivo actio putatur præcepta vel prohibita ; sic qui falsò existimans tali die esse obligationem jejunii , non jejunat , peccat mortaliter contra temperantiam : ratio est , quia vult interpretativè malitiam formalem oppositam temperantiæ.

Quæres 2<sup>o</sup>. *An operans contra conscientiam , ex errore dictantem aliquid esse præceptum , vel prohibitum sub aliquâ censurâ , incurrat censuram ?*

*Resp. neg.* Quia pœnæ humanæ non imponuntur , nisi ob transgressionem legis de facto existentis : hinc qui percutit laicum , putans eum esse Clericum , non incurrit excommunicationem.



*Non peccat qui operatur secundum conscientiam invincibiliter erroneam, quâ judicat aliquid hîc & nunc licitum esse, quod reverâ illicitum est; peccat verò, si conscientia sit vincibiliter erronea.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Quia conscientia invincibiliter erronea, sicut & ignorantia invincibilis quam importat, excusat operantem ex eâ; ergo non peccat, qui eam sequitur. Hoc certum est; sed

*Quæres: An teneamur sequi conscientiam invincibiliter erroneam?*

*Resp.* Tenemur eam sequi in iis quæ dicitur esse præcepta vel prohibita: Ratio est, quia cum deponi nequeat, non sequendo ejus dictamen, ageremus contra illam, quod nunquam licere supra probavimus. Hinc qui per errorem judicat diem Jovis jam esse diem Veneris, in quâ est obligatio jejunii, non minùs tenetur jejunare, quàm si reverâ esset dies Veneris.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Quia error vincibilis excusare non potest operantem ex eo, sicut nec ignorantia vincibilis ex quâ oritur, cum utrumque sit saltem indirectè, & in causâ (nempè in negligentia inquirendi veritatem) voluntarium; ergo.

Hinc cum quis peccet, sequendo conscientiam vincibiliter errantem, peccet etiam contra eam agendo, sequitur quòd necessariò deponi debeat per rationem contrariam probabiliorem & efficacior.

*Objic.* Si laborans conscientia vincibiliter erronea, peccet eam sequendo, peccet etiam

eam non fequendo, neceffariò peccabit; abfur-  
dum confeq.

*Resp. dift. fequelam maj.* Neceffariò peccabit, neceffitate hypotheticâ, fi nimirum concien-  
tiam non deponat, quam debet & potest de-  
ponere, utpotè vincibilem, *conc.* neceffitate  
fimplici & abfolutâ, *nego.* Tota ergo, quæ huic  
homini incumbere videtur, peccandi neceffitas,  
planè eft voluntaria; quia rem fedulius perpen-  
dere, doctiores confulere ut errorem depo-  
neret, minimè dignatus eft.

Quòd ñ præceptum urgeat, & non fuppetat  
fatis temporis ad confulendum & inquirendum,  
tunc eliciendus eft actus contritionis de priori  
ignorantiæ peccato, eaque pars eligenda in quâ  
minùs apparet effe mali, & fic culpa ulterior  
non imputabitur; quia error è vincibili fiet  
invincibilis, cum caufa ejus retractata fuerit per  
contritionem, & quantum fieri potest à pec-  
cato difcedatur, eligendo partem in quâ minus  
malum apparet.

*Inf. 1º.* Qui ita perplexus eft, ut utrumque  
opporitorum putet effe peccatum, nec fe ex tali  
errore expedire queat, judicat eligendo fe pec-  
care; ergo peccat.

*Resp. nego confeq.* Nam peccatum non confe-  
quitur ad judicium intellectûs tantum, fed ad  
actum liberæ voluntatis, perplexus autem hu-  
jufmodi non eft liber.

*Inf. 2º.* Talis perplexus unum liberè eligit;  
ergo eft liber.

*Resp. dift. confeq.* Eft liber, libertate phificâ,  
ratione actûs, *conc.* eft liber, libertate morali,  
ratione peccati, *nego confeq.* Licèt enim ifte ho-

mo cognoscat objectum ut malum, non peccat, quia non cognoscit ut vitabile: porro licet ad libertatem physicam satis sit quod homo valeat illud objectum exequi, vel omittere; tamen ad libertatem moralem necesse est ut voluntas possit in hoc genere moris vitare objectum, quia ad peccatum, cum sit in genere moris, requiritur libertas in eodem genere moris; talis autem libertas non reperitur ubi est ignorantia omninò invincibilis in hoc genere moris, ut fit in casu proposito.

Hinc qui graviter ægroto assistens, putat se mortaliter peccaturum contra charitatem, si infirmum deserat ut Missam audiat die festo; putat simul se mortaliter etiam peccaturum contra præceptum Ecclesiæ, si Missam non audiat, neque ullum habeat quem consulat, non peccat si impleat illud præceptum quod magis urgens sibi videtur: ex quo plures casus similes solvi possunt.

Quæres: *Utrum gravius sit agere contra conscientiam vincibiliter erroneam, quam eam sequi?*

*Resp.* Gravius est, absolute & cæteris paribus, agere contra, quam sequi conscientiam vincibiliter erroneam. Ratio est, quia qui contra conscientiam agit, scienter operatur; qui eam sequitur, peccat ex ignorantia; ignorantia porro minuit peccatum, inquit D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 8.

*Resolutio aliquarum difficultatum circa conscientiam erroneam.*

Quæres 1º. *Quale sit peccatum contra conscientiam agere, an mortale? an veniale?*



*Resp.* Tale esse, quale à conscientia existimatur; Ratio est, quia hujusmodi peccata specificantur, non ab objecto ut est in se, sed ab objecto ut apprehenditur; ergo si voluntas feratur in actum, quem intellectus proponit tanquam mortalem, erit peccatum mortale; si proponat ut actum venialem, erit peccatum veniale; si proponat ut peccatum mortale dubium, erit etiam peccatum mortale, quia qui voluntarie se committit periculo peccandi mortaliter, mortaliter peccat; atqui qui agit quod voluntas proponit ut peccatum mortale dubium, voluntarie se committit periculo peccandi mortaliter; ergo. Ita omnes Theologi.

*Quæres 2º. Quale sit peccatum agere contra conscientiam erroneam, quæ dicat quidem aliquid esse malum, sed non determinat sitne mortaliter malum an venialiter duntaxat?*

*Resp. cum distinctione:* Is qui contra talem conscientiam agit, vel ita dispositus est, ut absolute vellet agere, sive de re gravi ageretur, sive non. Vel est sic dispositus, ut nollet agere, si dubium occurreret quod actio possit esse mortalis.

*Si 1º.* procul dubio peccat mortaliter, quia habet affectum ad mortale; sed qui habet affectum ad mortale, peccat mortaliter; ergo.

*Si 2º.* peccat tantum venialiter, quia non censetur habere affectum ad mortale; unde à mortali excusantur simplices & idiotæ, qui nonnulla agunt opera, quæ sub ratione generali mali apprehendunt, nec discernunt, sed anxii manent an mortalia sint, an venalia.

*Quæres 3º. Utrum pœnitens teneatur obedire.*

*Confessario, Parocho, Superiori, cum præcipiunt, ut conscientiæ dictamen tanquam erroneum contemnatur?*

*Resp. ordinariè teneri.* Ii enim sunt lumen à Deo concessum, quod deficiente rationis nostræ lumine, sequi debemus, juxta illud Math. 5. v. 14. *Vos estis lux mundi.*

*Dixi, Ordinariè:* quia si pœnitens sit timorata conscientiæ, & aliundè noverit se scientiam habere scientiæ Confessarii, Superioris, &c. parem, aut superiorem, non tenetur, nec debet sententiam illicò mutare, sed debet actionem suspendere, donec studio, oratione & plurimorum consilio rem diligentius indagaverit.

*Quæres 4<sup>o</sup>. An Confessarius monere teneatur pœnitentem, qui conscientiam laborat vincibiliter erroneam?*

*Resp. semper tenetur:* Ratio est, quia erga pœnitentem duplex munus peragit, doctoris nimirum & medici; quatenus doctor, ipsum erudire tenetur; quatenus medicus, morbos ejus præfentes curare, & futuros, quantum potest, præcavere debet; atqui nisi Confessarius moneat pœnitentem, neutrum præstabit; nam si pœnitens non moneatur, semper peccabit ex ignorantiam vincibili, quæ à peccato non excusat; ergo. Et hoc verum est, etiamsi Confessarius prævideat monitionem suam pœnitenti profuturam non esse; quia eadem etiam urget ratio, nimirum quòd non monitus semper peccabit ex ignorantiam vincibili.

Hinc debet moneri pœnitens, 1<sup>o</sup>. cum interrogat Confessarium, an talis actio sit peccatum, necne: quia qui Confessarium interrogat

aliquod habet de licitate actionis dubium ac proinde laborat ignorantia tantummodo vincibili. 2°. Cùm error versatur circa prima juris naturalis principia, vel circa eorum proximas conclusiones; quia circa ea, ignorantia est tantum vincibilis, ut supra probatum est.

Quæres 5°. *Utrum Confessarius teneatur monere pœnitentem, qui conscientia invincibiliter erroneâ laborat?*

*Resp.* Aliquando debet eum monere, aliquando non debet.

1°. Debet eum monere, si error invincibilis in boni communis dispendium vergat, quidquid sit de monitionis successu. Ratio est, quia bonum publicum particulari præferendum est. Hinc invalidè ordinatus moneri debet.

2°. Debet eum monere, si error sit in præjudicium tertii, particularis, v. g. si per ignorantiam retineat pecuniam alienam, quia nocenti stricta obligatio incumbit innocentem redere indemnem. Prætereà vix potest quis invincibiliter ignorare se contractus injustos, vel usuras, &c. exercuisse.

3°. Debet eum monere, si error sit de necessariis ad salutem necessitate mediis; v. g. si quis erroneè judicet solam confessionem sine dolore sufficere ad obtinendam remissionem peccatorum. Ratio est, quia sine horum observatione pœnitens non potest salvari.

4°. Debet eum monere, si spes emendationis affulgeat; quia Confessarius tanquàm doctor, pœnitentem debet, quantum potest, ab erroris viâ ad semitam veritatis revocare; & tanquàm medicus debet eum à peccatis, etiam materialibus, retrahere.



5°. Non debet eum monere, si monitio nociva magis quàm utilis, futura esse prævideatur, quia nempè periculum est ne pœnitens, qui hæctenùs materialiter tantùm peccavit, formaliter postea sit peccaturus, monitionem Confessarii spernendo. Hinc

*Resolv.* Non esse monendum pœnitentem de nullitate matrimonii, 1°. Si sit moralis certitudo, quòd eâ cognitâ, dispensationem non sit petiturus, sed perrecturus maritaliter habitare cum eâ quam uxorem suam non esse cognoverit. 2°. Si sit fundamentum moraliter certum præsumendi eum, non sine prolis periculo, & proximi offensione, ab uxore sibi invisâ discessurum esse; ita docent Coll. Andegav. de matrim. tom. 2. pag. 168. edit. novæ.

*Nota:* Circa opinionem non monendi pœnitentem de matrimonii nullitate; quòd si necessitas non urgeat suscipiendi Sacramentum, tunc potest pœnitens, non revelato impedimento, remitti, donec impetratâ dispensatione matrimonium perficiatur, juxta modum quem, cum omnibus Theologis, tradidi, in fine tractatûs de matrimonio. Hæcque praxis, quæ est magis tuta & facilis (cùm gratis hæc dispensatio obtineatur à sacrâ Pœnitentiariâ) pluries mihi prosperè successit in sacro Tribunali.

Dixi: Si necessitas suscipiendi sacramentum non urgeat: quia cùm urget, Confessarius his pressus angustiis, post requisitum à pœnitente propositum universale observandi omnia mandata, poterit eum absolvere, si aliunde sit dispositus.

Quæres 6°. *Ex quibus signis colligere potest Confessarius*

*Confessarius conscientiam pœnitentis , erroneam esse vincibiliter , aut invincibiliter ?*

*Resp.* Conscientiam esse erroneam invincibiliter potest Confessarius colligere ex quinque signis.

1<sup>o</sup>. Si pœnitens sit vir probus , ac timoratae conscientiae.

2<sup>o</sup>. Si advertens se per ignorantiam violasse præceptum , dolet atque tristatur.

3<sup>o</sup>. Si nunquam scrupulus , aut dubium aliquod præcessit.

4<sup>o</sup>. Si res ignorata sit juris humani , vel Divini positivi.

5<sup>o</sup>. Si res ignorata , sit quidem juris naturalis , sed difficillima vel inter ipsos doctores ; tales sunt conclusiones quæ remotè ex primis principiis naturalibus deducuntur.

Econtrà , si homo sit latae conscientiae , ac criminibus deditus ; si scrupulus , aut dubium aliquod præcessit ; si res ignorata sit primorum principiorum naturalium , aut conclusionum immediate ex eis deductarum , tunc prudenter judicare poterit Confessarius conscientiam fuisse vincibiliter erroneam.

## C A P U T S E C U N D U M .

*De Conscientiâ scrupulosâ & latâ.*

*Nota* 1<sup>o</sup>. **C**onscientia scrupulosa dicitur à *scrupulo* , quia sicut scrupulus est lapillus asper itinerantis pedem lædens , & obfistens progredienti ; ita conscientia scrupulosa anxietatem animi sine fundamento parit , & animæ paci reluctatur ; undè

MORAL. Tom. IV.

L

Conscientia scrupulosa , est ea quâ mens , levibus nixa fundamentis , cum anxietate judicat aliquid subesse mali ; vel timet , ne aliquid mali subsit in actione bonâ vel indifferenti.

Conscientia lata , est ea quâ mens , ex levissimis , & quidem cupiditati faventibus rationibus , licitum esse putat , quod malum esse faciliè deprehendi potest ; aut pro levi peccato habet , quod grave communiter reputatur ; hæc utraque conscientiæ species ad erroneam pertinet.

Nota 2<sup>o</sup>. Nomine scrupulosi , hîc non intelligitur , sicut à multis , qui salutis suæ sollicitus , & timore filiali ductus , sicut Job c. 9. veretur omnia opera sua , ne fortè in aliquo Deum offendat , vel offenderit ; ille enim , non scrupulosus , sed timoratus dicendus est : sed is solùm scrupulosus judicandus est , qui ex motivo parvi vel nulliûs momenti , judicat aliquid prohibitum esse vel præceptum , quod tale non est , adeoque qui illîc trepidat timore , ubi non est timor. Psal. 13. his positis.

Quæres 1<sup>o</sup>. An conscientia scrupulosa & lata sint morum regula ?

Resp. negativè : Nam conscientia improbabilis & imprudens , non est morum regula ; atqui conscientia scrupulosa & lata , sunt conscientiæ improbabiles & imprudentes , cùm vanis & futilibus nitantur rationibus , quæ homines prudentes movere non possunt ; ergo.

Hinc Scrupulosus debet conscientiam scrupulosam deponere , non quidem disputando , aut rationes intrinsecas opponendo , sic enim nunquàm finire posset ; sed utendo rationibus extrinsecis , quæ scilicet ex autoritate Confes-



sarū, Pastoris, Doctoris, &c. desumuntur; atque id eò verius est, quòd supradictorum error, (si quis hìc irreperet) non imputaretur scrupuloso, qui obediendo facit quod in se est, quodque Deus ab eo exigit, ut desinivit Innocentius III. *cap. inquisitioni. de sent. excom.* Sed

Quæres 2<sup>o</sup>. *An scrupulosus possit ac debeat contra scrupulos agere?*

*Resp. cum dist.* Vel per scrupulum, intelligitur verum iudicium de malitiâ operis, tametsi futilibus innixum rationibus; vel intelligitur timor ne aliquid mali subsit in opere, junctus cum iudicio absoluto & practico de licitate actionis.

*Si 1<sup>um</sup>.* Non potest scrupulosus contra scrupulum non depositum agere: quia non licet agere contra conscientiam practicè erroneam, actu retentam; atqui scrupulus sic sumptus, est conscientia practicè erronea; ergo non licet contra eam non depositam agere; ergo debet deponi.

*Si 2<sup>um</sup>.* Potest scrupulosus & debet contra scrupulos operari, ipsos contemnendo ac negligendo: quia potest & debet scrupulosus operari contra timorem vanum & improbabilem de illicitate actionis, ut obtemperet iudicio vero & certo de licitate ejusdem; atqui timor ne aliquid mali subsit in opere, junctus cum iudicio practico de licitate actionis, est improbabilis & vanus; ergo potest & debet contra scrupulos sic intellectos, etiam non depositos, operari.

*Dices:* Scrupulosi rationes suas magnificiunt; ergo non possunt contra agere.

*Resp. dist. conseq.* Non possunt contra agere,

si scrupulus sit tantum timor de illicitate actionis, junctus cum judicio pratico de licitate ejusdem, *nego.* si sit verum judicium de illicitate actionis, *subdist.* quandiu non est depositum, *conc.* quando est depositum, *nego.* Porro scrupulosi tenentur hoc judicium deponere ex judicio Confessarii, vel alterius prudentis; & tunc licet agant contra judicium speculativum, non tamen agunt contra judicium practicum, quia judicant se posse, contra suum judicium, sequi judicium alterius.

Quæres 3°. *Quænam sint causæ scrupulorum?*

*Resp.* Aliæ sunt ab intrinseco, aliæ ab extrinseco.

Causæ ab intrinseco sunt :

1°. Ignorantia & defectus judicii, tentationem à consensu, veniale à mortali non secernentis.

2°. Frigida & melancholica, ideòque formidolosa complexio.

3°. Cerebri infirmitas, vel naturalis, vel ex morbo, vel ex immoderatis jejuniis & vigiliis contracta.

4°. Superbia occulta, & obstinatio mentis, quæ abjectis saniorum consiliis, non putat posse esse directorem suum magis idoneum, quam seipsum, cum tamen sanctus Bernardus Epist. 85. ad Ogerium, dicat : *Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.*

Causæ scrupulorum ab extrinseco sunt :

1°. Conversatio cum scrupulosis.

2°. Lectio librorum, aliquid terribile continentium.

3°. Astutia dæmonis, qui jugum Dei suave, aggravare studet, ut illud penitus excutere scrup.

**DE ACTIBUS HUMANIS. 165**  
pulosus persuadeat; illosque conjiciat in amen-  
tiam vel desperationem.

4°. Permissio Dei, qui peccata hominis præ-  
terita plectere, futura augere præmia, super-  
biam ex talentis nascituram moderari curat.

Quæres 4°. *Quænam sunt scrupulorum reme-  
dia?*

*Resp.* Multa assignantur.

1<sup>um</sup>. *Se scrupulosum agnoscere*; quod indè  
cognoscet 1°. Si contra commune timoratorum  
judicium, vel etiam ipsius Confessarii, inquietus sit. 2°. Si sapientium consilio non nisi cum  
timore & anxietate acquiescat. 3°. Si in confes-  
sionibus, sincerè factis, semper aliquid defuisse  
credat. 4°. Si variis inquietetur cogitationibus  
circa fidem, castitatem, religionem, & alias  
virtutes, contra quas, datâ occasione, peccare  
nollet. 5°. Si ex levibus apparentiis judicium fre-  
quenter mutet, v. g. circa recitatum, vel non  
recitatum versiculum, vel Psalmum.

2<sup>um</sup>. *Cavere otium*, & labori sedulò incum-  
bere; labor enim à similibus inutilibus specula-  
tionibus distrahit.

3<sup>um</sup>. *Directoris pii ac periti consilium sequi  
sine examine*; item eum non mutare facilè;  
neque alios interrogare, an benè, vel malè ca-  
sum solverit.

4<sup>um</sup>. *Resistere scrupulis*, non quidem positivè  
contra eos disputando; sed negativè, eos nem-  
pè contemnendo, & contra illos, utpotè con-  
temptibili motivo nixos, efformando prudens  
ac rectum judicium de licitate actionis oppositæ.

5<sup>um</sup>. *Sentire de Deo in bonitate*: quia, licèt  
sit justus, non est tamen crudelis exactor, sed  
misericors & benignus Dominus.



6<sup>um</sup>. *Scrupulorum causas evertere*, ità ut ignarus instruatur; melancholicus Medicorum arte atram bilem expellat; superbus prudentiæ suæ non innitatur, &c.

Quæres 5°. *Quomodò Confessarius cum scrupuloso se gerere debeat?*

*Resp.* 1°. Debet scrupulorum causas explorare, & remedia, ex allatis, magis utilia adhibere.

2°. Non debet pati, ut scrupulosus sæpiùs ad se recurrat, econtrà debet eum, etiam non auditum, dimittere; quia frequentes illi recursus & colloquia, nova sunt scrupulorum propago.

3°. Debet inculcare scrupuloso necessitatem obedientiæ cæcæ, quæ præcipuum est tanti mali remedium. Porrò, ad persuadendam scrupuloso necessitatem istius obedientiæ, Confessarius ipsi proponat sequentia motiva. 1°. Quòd scrupulosus, in tali statu, idoneus non sit, qui seipsum dirigat, cum oculos mentis obnubilatos habeat, levique de causâ frequenter perturbatos. 2°. Quòd iudicium suum directoris iudicio præferre, animi sit superbi, iudicium proprium (tametsi stultum) velut idolum adorantis. 3°. Quòd propter mentis obnubilationem, & cerebri læsionem, sibi præ cæteris dicat Spiritus sanctus, Prov. 3. v. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne sis sapiens apud teipsum.* 5°. Quòd per obedientiam cæcam, quidam discipulus S. Bernardi curatus fuerit; cum enim, ob scrupulos, non auderet celebrare, & à S. Bernardo audivisset: *Vade frater, & in fide meâ celebres*: acquievissetque isti iussioni, à scrupulis continuò liberatus fuit.

4°. Moneat scrupulosum , quòd ei sufficiat examen valdè mediocre , si tanta sit anxietas ut timeatur periculum lædendi cerebrum , vel ad desperationem aut insaniam redigendi , quamvis aliqua hinc omitti contingeret ; nam ad materialem confessionis integritatem non tenetur cum tanto incommodo.

5°. Non permittat scrupuloso timorato repetere confessiones præteritas , circa quas veretur ne aliquid omiserit , aut circumstantias debitè expresserit , nisi , post mediocre examen , defectum certò deprehenderit.

6°. Cum scrupuloso benignè agat , ne afflicto addatur afflictio nova ; quandoque tamen austeritatem addat , quâ ejus animi frangatur pertinacia.

7°. Non permittat eum abstinere à frequentandis , ut decet , Sacramentis , ne privetur gratiâ sacramentali , quæ pacandis conscientiis plurimum inservit.

8°. Caveat , ne pœnitens transeat ab uno extremo ad aliud , conscientiamque latam sibi efformet.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Conscientiâ certâ & dubiâ.*

Nota 1°. **C**onscientia certa , est *judicium firmum , & sine formidine , saltem rationabili , de bonitate aut malitiâ operis hîc & nunc agendi* : sic Jacob accedens ad Liam , quam prudenter judicabat esse suam uxorem , habuit conscientiam certam de bonitate actûs conjugalis cum Liâ habendi.

Conscientia dubia, est *suspensio iudicii circa bonitatem aut malitiam operis hęc & nunc agendi*: vel quia pro neutrà parte rationes occurrunt suadentes, dùm quis v. g. caret rationibus, quibus iudicet contractum aliquem non esse usurarium; diciturque *dubia negativè*, vel potius mera nescientia: vel quia occurrunt pro utrâque parte rationes æquè ponderantes, diciturque *dubia positivè*, & est conscientia probabilis in concursu æquè probabilis.

*Nota 2º.* Dubium, aliud est juris, aliud facti.

Dubium *juris*, est illud quo dubitatur an aliquid sit præceptum, necne; v. g. an lex extet, quæ jejunium tali die præcipiat.

Dubium *facti*, est illud quo quis, de lege certus, dubitat an eam adimpleverit; v. g. cum quis certus de voto, dubitat an illud adimpleverit, & an rursus adimplere teneatur.

*Nota 3º.* Dubium pertinens ad mores, aliud est speculativè practicum, & aliud practicè practicum.

Dubium *speculativè practicum*, est illud, quo quis dubitat, an aliqua actio, vel ommissio in genere, sit licita, vel non; v. g. an in die festo liceat pingere, vel non.

Dubium *practicè practicum*, est illud, quo dubitatur, an actio aliqua hęc & nunc, cum omnibus suis circumstantiis, sit licita; v. g. utrùm hoc die festo, ad exornandam Ecclesiam, mihi liceat pingere.

Porrò conscientia potest esse practicè certa, & speculativè incerta; cum nempe, stante dubio speculativè practico, advenit aliqua circumstantia particularis, ob quam agens, de



DE ACTIBUS HUMANIS. 169  
actionis vel omissionis licitate est certus: sic in exemplo allato, potest quis dubitare, utrum pingere sit opus servile, cui diebus festis vacare non licet, qui tamen certus est hinc & nunc sibi licitum esse pingere, quia nempe gravis urget necessitas exornandæ Ecclesiæ; econtrâ nullus dubitare potest practicè de re hinc & nunc faciendâ, quin de eâ speculativè dubitet, cum dubium practicum ex speculativo oriatur; sic v. g. nemo dubitat utrum hinc & nunc pingere sibi liceat, nisi quia dubitat, utrum pingere sit opus servile.

De conscientia dubiâ, sic expositâ, quæritur 1°. an sit regula morum? 2°. quo principio deponi possit? 3°. Nonnullos casus circa dubiâ resolvemus.

## ARTICULUS I.

*An Conscientia dubia sit regula morum?*

### CONCLUSIO.

**C**onscientia practicè dubia, sive dubio negativo, sive positivo, non est regula morum; & idè qui, eâ prudenter non depositâ, operatur, peccat.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Regula morum debet determinare ad assensum; atqui conscientia dubia non determinat ad assensum, est enim suspensio iudicii circa bonitatem aut malitiam operis hinc & nunc agendi; ergo non est regula morum.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Qui operatur cum conscientia dubiâ, non depositâ, non agit ex fide, seu ex certâ persuasione quòd actio sua sit licita; atqui quod non est ex fide, peccatum est, Rom. 14. ergo

qui operatur cum conscientia dubia, non deponitur, peccat.

*Confirm.* Qui se exponit periculo peccandi, peccat, peccato ejusdem speciei & gravitatis cui se exponit; atqui, qui exercet opus de quo, spectatis omnibus, practice incertus est, utrum sit peccatum, necne, se exponit periculo peccandi; ergo peccat.

*Dices:* Impossibile est in moralibus habere certitudinem, unde Job cap. 9. v. 28. dicit: *Verebar omnia opera mea, &c.* ergo ad non peccandum non requiritur conscientia certa.

*Resp. dist. ant.* Impossibile est in moralibus habere certitudinem, metaphysicam, aut physicam, *conc.* certitudinem moralem, *nego ant.* Talis autem sufficit in moralibus, & requiritur, alias homo sine illa operans, se exponeret periculo peccandi, faciendo id quod malum esse posse cognosceret; talem habuit Job de objecto suarum actionum, sed verebatur ne, qua par est intentione, illas non perficeret.

*Inst.* Pastor in dubio, potest & debet infirmo in extremis posito, Sacramenta ministrare; ergo non requiritur certitudo moralis.

*Resp. dist. ant.* In dubio, de effectu Sacramenti, *conc.* in dubio, de licitate suae actionis, *nego ant.* Pastor enim in casu posito, certus est media salutis dubia adhiberi posse, ubi certa non suppetunt; cum iis neglectis, salus desperata videatur, & iis adhibitis, spes aliqua salutis affulgeat.



## ARTICULUS II.

*Quo principio conscientia dubia possit deponi,  
& fieri moraliter certa?*

*Nota 1<sup>o</sup>.* **Q**ui conscientiam habet negativè dubiam, an actio hìc & nunc licita sit, si omnibus, ut decet, ponderatis, nullam probabilem detegat auctoritatem, quâ actionem hanc illicitam esse constet, potest dubium suum, tanquàm malè fundatum deponere, & actionem hanc operari; quia nullas habet rationes non agendi, aut saltem tam leves habet, ut eas tanquàm inanes scrupulos abjicere debeat, ut tradit Innoc. III. *cap. Inquisitioni, de sent. excomm.*

*Nota 2<sup>o</sup>.* Circa dubium positivum, tria sunt principia juris, de quibus dubitatur utrùm requirantur, vel sufficiant ad conscientiam dubiam deponendam & certam efformandam. 1<sup>um</sup>. *In dubio melior est conditio possidentis.* 2<sup>um</sup>. *Pro eo standum est, pro quo stat præsumptio.* Porro præsumptio habetur ab eo quod ut plurimùm accidit, juxta hanc 45. regulam juris: *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerùmque fieri consuevit.* 3<sup>um</sup>. *In dubiis pars tutior est eligenda.*

*Nota 3<sup>o</sup>.* Certum & ab omnibus receptum est hanc regulam, *in dubiis melior est conditio possidentis*, valere in materiâ justitiæ, quia hoc statutum à jure habetur, reg. 65. Ratio hujus dispositionis est, quia meritò præsumitur meum esse, quod apud me est; etsi enim contrarium evenire possit, tamen communiùs evenit quòd unusquisque, non apud alios, sed apud se, rem suam conservet: sed utrùm hoc principium lo-



cum habeat in aliis materiis, gravis est controversia mox dirimenda.

*Nota 4<sup>o</sup>.* Auctores, qui contendunt principium istud, *melior est conditio possiden is*, in omnibus, extra justitiam, materiis locum habere, duplicem distinguunt possessorem, legem scilicet, & hominis libertatem. Possessio, inquiunt, stat pro lege contra libertatem, dum constat de lege, & dubium est utrum lex fuerit impleta; econtrà possessio stat pro libertate contra legem, dum constat de libertate, & dubium est de lege. Hinc, juxta illos, qui dubitat utrum votum emiserit, illud implere non tenetur, quia possessio stat pro libertate: econtrà, qui dubitat utrum votum certò emissum adimpleverit, ipsum implere tenetur, quia possessio stat pro lege. Hic positus, sit

### C O N C L U S I O.

*Regula juris, in dubio melior, &c. nullius est utilitatis ad deponendam conscientiam positivè dubiam, & certam efformandam, in aliis, præter justitiam, materiis; undè ad istam, pro eo standum est, &c. recurrendum est: & si pro neutrà parte præsumptio stare clarè videatur, tunc pars tutior est eligenda.*

*Prob. 1a. p. ratione fundamentali:* Si regula juris, *in dubio melior &c.* esset alicujus utilitatis ad deponendam conscientiam positivè dubiam, & certam efformandam, in aliis, præter justitiam materiis, maximè quia in dubio de lege, extra materiam justitiæ, possessio aliquandò stare posset pro libertate; atqui falsum consequitur. Nam possessio libertatis, est jus quod habet homo faciendi quidquid è duobus libuerit; atqui,

in dubio de lege, homo nunquam habet jus faciendi quidquid è duobus libuerit: nam qui dubitat de lege, eo ipso dubitat an sit obligatus ad id quod lex præcipit, obligatio enim est proprietas essentialis legis; sed qui dubitat an sit obligatus ad id quod lex præcipit, non habet jus faciendi quidquid libuerit; alioquì se exponeret periculo non faciendi id ad quod est obligatus; ergo qui dubitat de lege, non habet jus faciendi quidquid è duobus libuerit; ergo non est verè possessor libertatis; ergo axioma, quod possessori attribuit meliorem conditionem, vanum est ad deponendam conscientiam dubiam, & certam efformandam.

*Confirm.* Qui cum fundamento dubitat utrùm castitatem voverit, dubitat profectò utrùm sibi licitum sit matrimonium contrahere, vel non; sed qui dubitat utrùm sibi licitum sit matrimonium contrahere, non possidet libertatem matrimonium pro libitu contrahendi; ergo qui dubitat de lege, dubitat etiam de libertate; ergo libertatem non possidet; ergo.

*Dices 1º.* Hæc regula, in dubio &c. valet in materiâ justitiæ; ergo & in aliis materiis.

*Resp. nego consequ.* Disparitas est, 1º. quòd in materiâ justitiæ, hæc regula, in dubio melior est, &c. concurrat cum hac aliâ, pro eo standum est, &c. quia legitimè præsumitur possessorem alicujus rei, quam apud se habet, esse verum illius dominum, quatenus communiùs evenit, ut qui possidet, rem suam jusque suum possideat, licèt aliter aliquando evenire possit. Econtrà, in aliis materiis, quæcumque fingatur possessio, nullam præsumptionem libertati faventem fa-

cere potest; sic v. g. qui dubitat an voverit virginitatem, & ex consequenti, an sibi licitum sit matrimonium contrahere, vel non; quantumvis fingatur suæ libertatis possessor, nullam tamen inde habet præsumptionem, ex quâ inferre possit se non vovisse . . . Disparitas est 2<sup>o</sup>. quòd in materiâ justitiæ, hæc regula, *in dubio melior est conditio possidentis*, conciliari possit cum hac alterâ regulâ, *in dubio tutior pars est eligenda*: v. g. Petrus bonâ fide agrum possidet, postea titulus possessionis in dubium venit, nec post serium examen, jus aliquod occurrit quod uni parti præ alterâ faveat; tunc illa pars quæ ultra æqualitatem juris cum alterâ parte, fruitur possessione, evadit tutior, & sic melior est conditio possidentis, quæ cum æqualitatem juris tollat, agrum asserit possessori.

*Dices* 2<sup>o</sup>. Qui post contractum matrimonium, dubitat de ejus valore, debet comparti petenti debitum reddere, ut definit Lucius III. *cap. Dominus, de secundis nupt.* atqui hoc ideò solum potest, quia est in possessione libertatis; ergo ad deponendum dubium valet hæc regula, *in dubio melior est, &c.*

*Resp. nego min.* Aliàs non solum possiet debitum reddere, sed & exigere, quod tamen Lucius III. ibidem prohibet. Vera ergo ratio Ecclesiæ resolutionis est, quia conjux dubitans, debitum reddendo minus malum eligit: nam debitum reddendo, se tantum exponit periculo lædendi castitatem; denegando verò, se committit periculo violandi justitiam, quòd est majus malum; atqui qui minus malum eligit, partem tutiorem eligit; ergo conjux dubitans, non petendo de-



bitum, sed petenti reddendo, partem tutiorem eligit.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Qui prudenter agit, licitè agit; sed qui in dubiis, pro eâ parte stat, pro quâ stat præsumptio, prudenter agit; nam agit ex prudenti judicio, quòd hîc & nunc operando non peccet; ergo qui in dubiis pro eâ parte stat, pro quâ stat præsumptio, licitè agit; ergo hoc principio, *pro eo standum est, &c.* uti possumus ad deponendum dubium.

*Prob. 3<sup>a</sup>. p.* Ex Script. dicente: *Quasi à facie colubri fuge peccata*, Eccli. 21. v. 2. & Eccli. 3. v. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit*; sed qui in dubio, in quo pro nullâ parte stat præsumptio, non eligit partem tutiorem, non fugit peccatum tanquàm à facie colubri; item se exponit periculo peccandi; ergo peccat; ergo in dubiis tutior pars est eligenda.

*Confirm.* Ex summis Pontificibus, qui principium istud, *In dubiis tutior pars est eligenda*, naturali ratione cognitum, suâ divinitus acceptâ auctoritate confirmârunt, illudque tanquàm principium suarum definitionum sæpiùs tradiderunt, ut constat ex variis capitulis juris. *Cap. ad audientiam. Cap. significâsti, de homicidio. Cap. illud, de Clerico excommunic. &c.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1<sup>o</sup>.* Regulam 11. Juris. *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs quàm aëtori*; ubi nomine aëtoris, intelligitur ille qui agit ut obligatio alteri imponatur; nomine rei, intelligitur ille cui obligatio imponitur; ergo in dubio de lege, judicandum est in favorem libertatis.

*Resp. nego conseq.* Prædicta enim regula de solis pœnis intelligi debet, hocque unum præscribit, ut judex absolvat reum, si dubium sit eum esse nocentem, cum, ut ait Justinianus l. absentem, ff. de pœnis, *satiùs sit impunitum relinqui facinus, quàm innocentem damnare*; quòd est longè tutius, juxta regulam 104. Juris civilis: *In re dubiâ benigniorem interpretationem sequi, non minùs justum est, quàm tutum.* Ratio est, quia de duobus malis necessariis tutius est minus malum eligere; porrò minus malum est reum absolvere, quàm innocentem damnare.

*Objic. 2º.* Regulam 15. ejusdem juris: *Odia restringi, favores convenit ampliari*; ergo in dubio de lege, homo non manet obligatus.

*Resp. dist. Reg.* *Odia convenit restringi*, quando non agitur de licito vel illicito, *conc.* quando de licito vel illicito agitur, *nego.* Porrò glossa hìc intelligit regulam de privilegiis odiosis, quæ non debent ampliari, & de decimis in feudum concessis laïco, cui non debent accrescere decimæ novalium; quia quòd decimæ possideantur à laïco, est odiosum.

*Objic. 3º.* Reg. 30. juris: *In obscuris minimum est sequendum*; ergo non est sequendum tutius.

*Resp. nego conseq.* Hìc enim tò *minimum*, & tò *tutius*, sunt unum & idem; nam per tò *minimum*, intelligitur id quod minimum habet periculi; quod autem est *tutius*, minimum habet periculi, cum à violandæ legis periculo avertat; ergo.

*Objic. 4º.* Canones, qui dicunt in dubiis partem tutiorem esse amplectendam, sunt tantum consilii, non præcepti; ergo ex iis non potest colligi

colligi hominem dubitantem teneri partem eligere tutiorem.

*Resp. nego ant.* 1°. Quia Canones illi his constant terminis : *Via tutior est eligenda. Semitam debemus eligere tutiorem. Quod certius existimamus, tenere debemus* ; atqui verba hæc, si quæ unquam, sunt præceptiva ; ergo. 2°. Quia illi Canones gravi feriunt pœnâ eos, qui in dubio partem tutiorem non elegerint ; sic *cap. illud, de Clerico excomm.* deponitur Episcopus, qui in dubio an esset excommunicatus, sacris operam dederat ; atqui tanta pœna non decernitur pro solâ consilii transgressione ; ergo illi Canones non sunt tantum consilii, sed præcepti naturalis, quò quilibet tenetur vitare periculum peccati. Undè Clerus Gallic. an. 1700. hanc interpretationem damnat his verbis : *Neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scripturâ : qui amat periculum, in illo peribit.*

*Inst.* Illi Canones intelligendi sunt de dubiis facti, non juris ; ergo non in omni dubio tutior pars est eligenda.

*Resp. nego ant.* 1°. Quia illi Canones præcipiunt, ut pars tutior eligatur, eò quòd *in altero nullum, in reliquo verò magnum* (peccandi) *periculum timeatur*, ut dicitur *cap. 18. de homic.* atqui periculum peccati tam timendum est in dubio juris, quàm in dubio facti ; ergo. 2°. Quia Innoc. III. *cap. illud, de Clerico excommunic.* hæc regulâ utitur in hac quæst. *An sententia à delegato, non præmissâ moritione, & ante intimationem, liget, necne ?* atqui hæc quæstio est juris ; ergo.

*Objic.* 5°. Lex dubia non potest certam parere



obligationem ; atqui si in dubio de licitate actionis , ab eâ esset abstinendum , lex dubia certam pareret obligationem ; ergo.

*Resp. dist. maj.* Lex dubia non potest certam parere obligationem , petitam ex parte ipsius legis de quâ dubitatur , *conc.* petitam ex parte legis naturalis , quæ vetat ne quis se exponat periculo peccandi , *nego.* Undè cum dubito de aliquâ lege , teneor ab actione ipsi contrariâ abstinere , non quidem vi illius legis quæ est dubia ; sed vi legis naturæ , quæ præcipit , non solum ut obediam Superioribus , sed etiam ut me non exponam evidenti periculo eorum leges transgrediendi.

### A R T I C U L U S I I I .

*Nonnulli casus circa dubia resolvuntur ex suprâ dictis principiis.*

*Nota.* **F**acillimè resolvi possunt omnia dubia circa materiam justitiæ ex isto principio , *in dubio melior est conditio possidentis* ; sed diligenter advertendum est quis possideat : id patebit duplici exemplo.

1°. Qui dubitat utrùm res quæpiam , ( v. g. hortus quem hætenùs bonâ fide tanquàm suum possedit ) sua sit , vel aliena ; si post sufficientem diligentiam , ad cognoscendum verum ejus dominum , adhibitam , remanet in eodem dubio , licitè potest rem illam retinere , donec verus dominus comparuerit ; quia cum sit in ejus possessione , melior est ejus conditio.

2°. Debitor , dubitans utrùm æs alienum à se contractum solverit , tenetur totum solvere , licet pecuniam solvendam possideat. Ratio est ,

quia dubium non versatur circa ipsam pecuniam cuius sit, sed circa jus exigendi debitum an adhuc sit; cum autem jus illud certò extiterit, nec constat de ejus extinctione, creditor possidet durationem illius juris, undè melior est ejus conditio; nisi similiter dubitet de solutione, tunc enim debitor non ad integram, sed ad partem solutionis, pro dubii qualitate, tenetur.

Quæres 1<sup>o</sup>. *Quænam dubia resolvi possint ex isto principio*: Pro eo standum est, pro quo stat præsumptio?

*Resp.* Possunt resolvi sequentia.

1<sup>o</sup>. Si quis dubitat an delectationi mortiferæ consenserit, judicare debet consensisse, si non sit timorata conscientia, soleatque his tentationibus consentire, quia pro consensu stat præsumptio; econtrà, si sit timorata conscientia, soleatque his tentationibus resistere, judicare debet non consensisse, quia pro resistentiâ stat præsumptio.

2<sup>o</sup>. Si quis dubitet, utrùm præceptum Superioris sit de re licitâ, vel an excedat præcipientis potestatem, tenetur obedire; quia præsumptio stat pro Superioris auctoritate, ad cuius mandatum, dubium est deponendum.

3<sup>o</sup>. Si quis dubitet, utrùm intentionem habuerit consecrandi, baptisandi, &c. præsumendum est habuisse; quia rarissime contingit eos, qui seriò conficiunt Sacramenta, intentionem non habere. Idem dicendum de eo qui dubitat utrùm formam consecrationis debite pronuntiaverit.

4<sup>o</sup>. Qui certus est se causam damni alicujus dedisse, v. g. commodatum, vel depositum ami-

fisse, sed dubitat an id culpâ suâ contigerit, tenetur proximi damnum resarcire; quia præsumitur hæc & similia non amitti, nisi culpâ custodientis, cum id sæpius, imò ordinariè contingat.

Ad instar horum casuum cætera possunt solvi.

Quæres 2<sup>o</sup>. *Quænam dubia possunt solvi ex isto principio*, In dubiis tutior est pars eligenda, ubi nulla contraria exurgit prudens præsumptio?

*Resp.* Innumera possunt resolvi.

1<sup>o</sup>. Qui dubitat, an lex existat; vel an sit usu recepta, vel an sit abrogata, vel an ab illâ lege eximatur, tenetur ad illam implendam.

2<sup>o</sup>. Qui dubitat, an comederit aut biberit post mediam noctem, non potest sacram synaxim percipere.

3<sup>o</sup>. Qui dubitat an annum 21 expleverit, tenetur ad jejunium.

4<sup>o</sup>. Qui dubitat, an annum 22 inchoaverit, non potest sacros ordines suscipere.

5<sup>o</sup>. Qui dubitat an voverit, tenetur adimplere votum; an voverit sex vel octo jejunia, tenetur ad octo.

6<sup>o</sup>. Qui dubitat, an incurrerit censuras, debet abstinere ab iis à quibus abstinere debent ii qui eandem censuram incurrerunt.

7<sup>o</sup>. Qui dubitat, an peccatum mortale perpetraverit, tenetur illud confiteri.

8<sup>o</sup>. Qui dubitat, utrùm confessio peccati mortalis fuerit irrita, tenetur iterare confessionem.

9<sup>o</sup>. Qui dubitat de validitate matrimonii contracti, non potest debitum petere, potest tamen reddere, ut statuit jus. *Cap. Dominus de secund. nuptiis.* Quòd si uterque conjux dubitet, neuter potest petere, nec reddere.



## CAPUT QUARTUM.

*De Conscientiâ, seu opinione probabili & improbabili.*

*Nota* **C**onscientia probabilis, est *actus, quo*  
 1<sup>o</sup>. **I**n intellectu, ob *motivum grave, quamvis absolutè fallibile, judicat actionem hîc & nunc exercendam, esse licitam vel illicitam.* Undè probabilitas, est verisimilitudo.

Dicitur 1<sup>o</sup>. *Actus, quo intellectus judicat:* opinio enim verum mentis iudicium importat, nisi suspendatur per majorem, aut saltem per æqualem, ex alterâ parte, verisimilitudinem.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *Ob motivum grave:* id est, ob motivum, quod licèt non sit convincens & infallibile, est tamen ita verisimile, ut post diligentem veritatis inquisitionem, possit meritò ac prudenter approbari ut verum.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *Quamvis absolutè fallibile:* quia licèt illud motivum, relativè ad operantem, sit verum, potest tamen absolutè & in se esse falsum; equidem idoneum est ad viros pios & prudentes determinandos ad assensum, sed non sine formidine partis oppositæ: per quod differt, tum à scientiâ, tum à fide divinâ.

Porrò, ut opinio sit verè probabilis, requiritur ut, nec Scripturæ, nec Traditioni, nec communi Patrum sensui, nec Ecclesiæ definitionibus, nec communi Doctorum sententiæ, nec evidenti rationi adversetur.

Conscientia improbabilis, est *actus, quo intellectus, ob motivum nullius vel levis momenti, ju-*

*dicat actionem hęc & nunc exercendam esse licitam vel illicitam.*

*Nota 2°.* Opinio, alia est probabilis intrinsecè; alia est probabilis extrinsecè.

Opinio probabilis *intrinsecè*, est ea cujus probabilitas, seu verisimilitudo desumitur ex momentis deductis ab ipsâ ratione, à præsumptione & præjudiciis liberâ.

Opinio probabilis *extrinsecè*, est ea cujus probabilitas ex Doctorem majoris pietatis ac doctrinæ testimonio & auctoritate desumitur.

*Nota 3°.* Opinio ad opinionem comparata, alia est probabilior, alia est minùs probabilis, alia æquè probabilis. Item alia est tuta, alia tutior, alia minùs tuta.

*Opinio probabilior*, est ea cujus rationes & auctoritates præponderant rationibus & auctoritatibus partis oppositæ. *Opinio minùs probabilis*, est ea, cujus rationes & auctoritates minùs ponderant. *Opinio æquè probabilis*, est ea, cujus rationes & auctoritates sunt ejusdem ponderis cum rationibus & auctoritatibus ejus contradictoriæ.

*Opinio tuta*, est ea, quæ removet à periculo peccandi. *Tutior*, quæ magis removet. *Minùs tuta*, quæ minùs removet à tali periculo. Undè opinio tutior favet legi, quatenùs eam hęc & nunc obligare declarat; minùs tuta, favet libertati, quatenùs negat hominem ullâ hęc & nunc lege constringi, imò asserit eum pro arbitrio eligere posse quod voluerit.

*Nota 4°.* Cùm opinionis securitas desumatur ex suâ à peccato distantia; probabilitas verò ex majori veritatis apparentia; fieri potest, ut opi-

nio tutior, sit minùs probabilis, & ut opinio probabilior sit minùs tuta: sic v. g. opinio, quæ docet sub nullo titulo licitum esse aliquid supra sortem accipere, est tutior, quia magis removet à periculo peccandi; est tamen minùs probabilis, quia est minùs verisimilis. Econtrà opinio, quæ docet licitum esse aliquid accipere supra sortem sub legitimo titulo, est minùs tuta, quia minùs removet à periculo peccandi; est tamen probabilior, quia est verisimilior.

*Nota 5<sup>o</sup>.* In hac materiâ, quæ est totius Theologiæ moralis cardo, cavenda sunt duo extrema opposita. 1<sup>o</sup>. *Laxiorum*, qui omnem probabilitatem amplectentes ut securam morum regulam, deducunt animas per spatiosam ac latam viam, quæ ducit in æternam perditionem. 2<sup>o</sup>. *Rigidiorum*, qui omnem probabilitatem abjicientes, viam salutis æternæ, quam Christus hominibus aperuerat, præcludunt, salvandos damnant, & conscios propriæ infirmitatis in desperationem conjiciunt: quæ duo extrema ut caute vitemus, quæremus

1<sup>o</sup>. Contra laxiores, utrùm liceat sequi opinionem probabilem, hominis libertati faventem, in concursu probabilioris, vel saltem æquè probabilis, quæ favet legi.

2<sup>o</sup>. Contra rigidiores, utrùm liceat sequi opinionem probabiliorem quæ favet libertati, in concursu minùs probabilis, quæ favet legi.

Sed antequam hæ duæ quæstiones resolvantur, operæ pretium duxi referre doctrinam Cleri Gallicani qui in Comitibus generalibus anni 1700, post damnatas plures propositiones probabilissimum statuentes vel eidem faventes, ut



videre est Tom. 7 sub finem, has de probabili-  
 lium usu regulas dat, his verbis :

*Absit verò ut probemus eorum errorem, qui ne-  
 gant licere sequi opinionem vel inter probabi-  
 les probabilissimam; sed ad rectum usum proba-  
 bilium opinionum, has regulas à jure præscrip-  
 tas agnoscimus.*

*Primum, ut in dubiis de salutis negotio, ubi  
 æqualia utrimque animo sese offerunt rationum  
 momenta, sequamur id quod tutius, sive quod est  
 eo in casu unice tutum: neque id consilii, sed præ-  
 cepti loco habeamus, dicente Scripturâ, Qui amat  
 periculum, in illo peribit. Hæc prima regula.*

*Alterâ, ut circa probabiles de Christianâ doc-  
 trinâ sententias, sequamur id quod Viennense  
 œcumenicum Concilium circa infusas tam parvu-  
 lis, quàm adultis in baptismo virtutes decrevit,  
 his verbis: Nos hanc opinionem... tanquàm  
 probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Docto-  
 rum modernorum Theologiæ magis consonam  
 & concordem duximus eligendam. Quod Con-  
 cilio judicium, eò magis ad regendos mores pertinere  
 constat, quò magis ex ipsis, fidelium sanctitas ac  
 salus pendet.*

*Ex hac igitur regulâ sit consequens; primum us  
 in rebus Theologicis ad fidei & morum dogmata  
 spectantibus, Theologos quidem, etiam modernos,  
 audiamus, sitamen consonas sanctis Patribus tra-  
 dant sententias. Deinde, ut si ab eis recedant,  
 harum opinionum inhibeaturs cursus, nedùm ea-  
 rum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur  
 auctoritas. Denique ut nemini liceat eligere eam  
 sententiam, quam non veritati magis consenta-  
 neam duxerit. Hac doctrinâ Cleri Gallicani præ-  
 missâ, sit*

## QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum liceat sequi opinionem probabilem, hominis libertati faventem, in concursu probabilioris, vel saltem æquæ probabilis quæ favet legi?*

## CONCLUSIO I.

*Non licet sequi opinionem probabilem, quæ hominis libertati favet, in concursu probabilioris quæ favet legi.*

*Prob. 1º. Ex Script. 1º. ex Apost. 1. Theſſal. 5. v. 21. Omnia probate (supple, incerta, quæ Apostolus dijudicari vult an conformia sint sacrae Scripturae & doctrinae Ecclesiae) quod bonum est, tenete; ab omni specie malâ abstinete vos; sed qui sequitur opinionem minus probabilem, faventem libertati, seu cupiditati, in concursu probabilioris faventis legi, 1º. non omnia probat: nam non omnia probat, qui non se determinat prudenter; sed qui sequitur opinionem minus probabilem, &c. non se determinat prudenter, ut patet & infra probabitur; ergo. 2º. Non tenet quod bonum est: nam ille non tenet quod bonum est, qui amplectitur quod ei malum apparet, potius quàm bonum; atqui, &c. 3º. Non abstinet ab omni specie malâ: nam ille non abstinet ab omni specie malâ qui amplectitur quod prudentius & probabilius malum esse judicat; atqui, &c.*

2º. Ex eodem Apost. Rom. 14. dicente: *Quod non est ex fide, hoc est, ex prudenti persuasione actionem hinc & nunc exercendam esse licitam, peccatum est; sed qui sequitur opinionem minus probabilem, &c. non agit ex prudenti persuasione suam actionem esse licitam: Nam ille non*

agit ex prudenti persuasione actionem suam esse licitam, qui omnibus ritè perpenſis, eam iudicat illicitam, potiùs quàm licitam; ſed qui ſequitur opinionem minùs probabilem, &c. iudicat actionem ſuam illicitam, magis quàm licitam; ergo. ergo.

*Prob. 2º. ex ſanctis PP. & Scholæ Doctõribus.*

1º. Ex Aug. L. 22. de civit. Dei, c. 23. afferente *vigiliis continuis excubandum eſſe, ne opinio veriſimilis fallat . . . ne quod bonum eſt, malum; aut quod malum eſt, bonum eſſe credatur, &c.* atqui fruſtrà vigiliis continuis excubandum eſt, ne opinio veriſimilis fallat, ſi liceat ſequi opinionem minùs probabilem, cùm, ex probabilis, auctoritas unius ad probabilitatem in praxi tutam ſufficiat; ergo. Hinc D. Doctõr L. 3. contra Acad. cap. 16. expreſſe impugnans iſtud Academicorum principium: *Cùm agit quiſque, quod ei probabile videtur, nec peccat, nec errat; illud dicit nefarium, formidoloſum, & optimo cuique metuendum, utpotè quod ſcelerum omnium atque flagitiorum excuſationem prætexere poſſit.*

2º. Ex D. Chryſoſt. Hom. 44. in Math. dicente: *Si veſtimenta empturus, unum giras negotiatorem & alterum, ut ubi meliores veſtes inveniſis & pretio viliori, ab illo compares; quomodd non oportet populum circuire omnes doctõres, & inquirere ubi ſincera Chriſti veritas vænundatur, & ubi corrupta, & verioſorem eligere pluſquàm veſtimentum; ergo in concurſu plurium opinionum probabilium, verioſorem & probabiliorem tenemur eligere pluſquàm veſtimentum; ergo.*



3°. Ex D. Thom. qui quodl. 9. c. 15. expendens, an licitum sit plures præbendas habere, ait *id periculosè determinari . . . quia Theologi Theologis, & Juristæ Juristis inveniuntur contraria sentire*; atqui si licerèt opinionem minùs probabilem in concursu probabilioris eligere, nullum esset in decisione hujus quæstionis periculum propter diversas Doctorum opiniones: posset enim quisque eam, quam mallet, tenere absque periculo peccati, quia juxta Caramuel, *si jam sunt probabiles (opiniones) quæ antea non erant, jam non peccant homines, cum antea peccarent; cum probabile omne à peccato excuset*. Ergo.

Prob. 3°. Ex damnatione propositionum ad probabilitatem spectantium, quas videre est loco supra citat. inter quas unicam hìc expendo, ab Innocentio XI. & Clero Gallicano damnatam. *Generatim dùm de probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, consisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*. Undè sic: Juxta censuram, qui ex tenui probabilitate, tametsi verâ, operatur, non agit prudenter; sed qui sequitur in praxi opinionem minùs probabilem, non agit nisi ex tenui probabilitate; quælibet enim gravis probabilitas longè graviori collata, eò ipso levis ac tenuis evadit, ut ipsimet fatentur adversarii; ergo qui sequitur opinionem minùs probabilem, &c. non agit prudenter; ergo.

Prob. 4°. *Duplici ratione ex innumeris quas urgere possumus.*

1<sup>a</sup>. Petitur ex novitate doctrinæ, ex quâ sic

arguo : Novitas doctrinæ , in iis quæ ad fidem & mores pertinent , falsitatis notam præ se fert manifestam , cùm Concilium Trid. sess. 15. in Salvo conductu Luthero concessio , statuatur quoddam *causæ controversæ secundum sacram Scripturam & Apostolorum traditiones , probata Concilia , Ecclesiæ Catholicæ consensum , & sanctorum Patrum auctoritates . . . . tractentur* . Atqui sententia , quæ docet licitum esse sequi opinionem minùs probabilem faventem libertati , in concursu , &c. est nova :

1°. Quia Antonius Corduba , qui scribebat anno 1571. non solum asserit *partem tutiorem esse tenendam , quando oppositæ sententiæ sunt aut creduntur æquè probabiles , & quando una est probabilior alterâ ; sed & addit : & in hoc omnes Theologi consentiunt : in quæstionario suo Theologico* .

2°. Quia Clerus Gallicanus an. 1700. dicit : *Quoddam ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam , quam nec ipsi ut probabilior eligendam judicemus , hoc novum , hoc inauditum , hoc certis ac notis auctoribus postremo demùm sæculo proditum , & ab iisdem pro morum regulâ positum , repugnat huic effato à Patribus celebrato : quod ubiquè , quod semper , quod ab omnibus ; nec habere potest Christianæ regulæ securitatem* .

3°. Quia id ipsum agnoverunt probabilistæ ; nam Amicus , acerrimus probabilitatis defensor , ingenuè fatetur *omnes ferè antiquos Theologos negare licitum esse operari secundum sententiam minùs tutam & simul minùs probabilem ; semperque , ad licitè operandum ex sententiâ minùs tutâ , exigere ut illa sit probabilior ; ergo* .

2a. *Ratio*, petitur ex everfione præcipui adverfariorum fundamenti, & fic breviter proponi poteft: Ille non agit licitè, qui non agit prudenter; fed qui eligit fententiam minùs probabilem, faventem libertati, in concursu probabilioris, quæ fiat pro lege, non agit prudenter: Nam prudentia, cùm fit virtus mentis practica, requirit certitudinem, faltem moralem, de honeftate fui objecti; fed qui fequitur opinionem minùs probabilem, faventem libertati, in concursu probabilioris, faventis præcepto, non habet certitudinem moralem de honeftate fuæ actionis: Ille enim non habet certitudinem moralem de bonitate fuæ actionis, qui de fuâ actione hoc judicium habet: *Probabilius & verifimilius eft hanc actionem effe malam & illicitam, quàm bonam & licitam*; atqui tale judicium neceffariò habet, qui operatur ex opinione minùs probabili, quæ favet libertati, in concursu, &c. ergo non habet certitudinem moralem de bonitate morali fuæ actionis; ergo. ergo.

*Confirm.* Auctoritate BENEDICTI XIV. Doctiffimi Pontificis, felicis memoriæ, verè MAGNI, qui in Epiftolâ Encyclicâ ad omnes Patriarchas, Archiepifcopos, & Epifcopos directâ circa præparationem ad annum Jubilæi 1750. varia tradens documenta pro Confefſariorum inſtructione, ait:

» Secundum pro Confefſariis monitum, hoc  
 » eft, ut fi contingat, ficut frequentius quidem  
 » contingere folet, Confefſarium in fuo minif-  
 » terio aliquid à pœnitente audire quod exa-  
 » mine opus habeat, caveat ne divinando defi-  
 » niat; fed antequam reſponſum præbeat,



» tempore congrue, & consilio rem expendat.  
 » Optanda in quolibet Confessario esset scien-  
 » tia eminent, sed mediocris & sufficiens om-  
 » ninò necessaria est. Nec ultrà sperare licet,  
 » cum morum Theologia tot tantasque com-  
 » plectatur quæstiones, quæ à canonum &  
 » Apostolicarum constitutionum notitiâ pen-  
 » dent; adeò ut vix fieri possit, ut homo præ-  
 » sentia omnia habeat, valeatque, ut dicitur,  
 » stans pede in uno, ad quodlibet respondere,  
 » quemadmodum præstare solent eminenti scien-  
 » tiâ præditi: opus isti minimè habent ad li-  
 » brorum lectionem confugere, quod facere  
 » consuecunt ii qui sufficienti duntaxat scientiâ  
 » pollent, ut animadvertit prædecessor noster  
 » Innocentius IV. in commentariis ad caput,  
 » *Cum in cunctis*, num. 2. tit. *de electione &*  
 » *electi potestate*, ubi ita scribit: *Scientiam au-*  
 » *tem reputamus eminentem, quæ subtiles quæstio-*  
 » *nes discutere, & definire novit, & in promptu*  
 » *responsiones habet: ille habet mediocrem qui*  
 » *scit aliquo modo examinare negotia, quamvis*  
 » *ad omnia nesciat respondere, & qui in libris*  
 » *veritatem eorum quæ scire tenetur, scit quærere,*  
 » *etsi in promptu omnia non habet.* Cum igitur  
 » Confessarius in dubiis quæstionibus, aut in  
 » iis, quarum notitiâ caret, evolvere libros  
 » coactus sit, non sine delectu id præstet. Nihil  
 » quippè novi pronuntiabimus, si dixerimus,  
 » in tantâ Scriptorum multitudine reperiri illos  
 » qui opinantur, scribuntque juxta modum ab  
 » Evangelicâ simplicitate, & Patrum doctrinâ  
 » prorsus alienum. *Cum plures opiniones Christia-*  
 » *næ disciplinæ relaxativas, & animarum perni-*

» *ciem inferentes , partim antiquas iterum susci-*  
 » *tari , partim noviter prodire videamus , & sum-*  
 » *nam illam luxuriantium ingeniorum licentiam*  
 » *in dies magis excrescere , per quam in rebus ad*  
 » *conscientiam pertinentibus modus opinandi ir-*  
 » *repsit alienus omnino ab Evangelicâ simplici-*  
 » *tate sanctorumque Patrum doctrinâ ; & quem*  
 » *si pro rectâ regulâ fideles in praxi sequerentur ,*  
 » *ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela.*  
 » Verba sunt prædecessoris nostri , Alexandri  
 » VII. in decreto suo diei 7. Septemb. 1665.  
 » Verùm , præmissis implicatissimis quæstionibus  
 » quæ excitari de Scriptorum auctoritate , eo-  
 » rumque doctrinis possent , sat nobis erit Con-  
 » fessarium monere , ne in dubiis controversiis  
 » propriæ adhærescat opinioni ; sed antequam  
 » deliberet , evolvat non unum , sed plures  
 » libros ; inter istos consulat præstantiores :  
 » postea illam amplectatur sententiam , cui ma-  
 » gis suffragari rationem , & auctoritatem fa-  
 » vere cognoverit. Ita docuimus in nostrâ  
 » Epistolâ Encyclicâ , de usuris , quæ est 143.  
 » in Tom. 1. nostri Bullarii , §. 8. *Suis priva-*  
 » *tis opinionibus ne nimis adhæreant ; sed prius-*  
 » *quam responsum reddant , plures Scriptores exa-*  
 » *minent , qui magis inter cæteros prædicantur ;*  
 » *deindè eas partes suscipiant , quas tum ratio-*  
 » *ne , tum auctoritate planè confirmatas intelli-*  
 » *gent.* Idipsum nunc in memoriam revocamus.  
 » Nostra quippè sententia coerceri intra feno-  
 » ris confinia non debet , sed ad ea omnia ex-  
 » tendi , quæ ad forum Sacramentale & cons-  
 » cientiarum regimen attinent.

Hac constanti ac luculentâ sedis Apostolicæ

doctrinâ , probabilismus plenè profligatur.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1º.* Dixit Christus Math. 11. v. 30. *Jugum meum suave est , & onus meum leve ;* atqui jugum Christi non esset leve , si in agendo non liceret sequi opinionem etiam minùs probabilem faventem libertati in concursu probabilioris faventis legi ; ergo.

*Resp. nego min.* Non enim ideò jugum Christi dicitur suave , quòd liceat ejus præcepta transgredi quando verisimilius est ea existere ; sed dicitur suave , 1º. quia paucioribus constat præceptis , quàm lex Mosàica ; nam in Evangelio non sunt nisi præcepta necessaria ad salutem ; in lege autem Moyfis , infinita erat multitudo præceptorum , non ideò datorum , quia erant necessaria ad salutem , sed ut populum duræ cervicis severiori exercerent disciplinâ. 2º. Quia lex Evangelica , est lex amoris & charitatis ; atqui ex Aug. serm. 56. c. 1. *Quidquid durum est in præceptis , ut sit leve , charitas facit ;* & ex D. Thom. in 3. dist. 40. art. 4. *Lex Evangelica ad mandata implenda inducit ex amore , qui omnia levia facit ;* etiam quæ ex se aspera & gravia sunt. 3º. Quia præcepta Evangelica suavia fiunt ex gratiæ divinæ auxilio. *Equidem durum videtur quod Dominus imperavit : si quis vult post me venire , abneget semetipsum ; sed non est durum & grave quod ille imperat , qui adjuvat , ut fiat quod imperat ,* ait D. Aug. serm. 47. de diversis , cap. 1.

*Objic. 2º.* Summi Pontifices , in suis dispensationibus & decisionibus , secuti sunt opiniones minùs probabiles libertati faventes ; ergo.

*Resp.*



*Resp. nego ant.* Nam summi illi Pontifices secuti sunt illas opiniones, quæ post accuratam veritatis inquisitionem, illis visæ sunt probabiliiores; ut perspectè cognosceremus, si motiva, quibus nixæ fuerunt eorum resolutiones, nobis essent cognita.

*Inst. Alex. III. cap. Si vir, de cognat. spirit. cum ab eo quæsitum fuerit: Si vir vel mulier scienter vel ignoranter, filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc separari debeant?* sic respondit: *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd quamvis generaliter sit institutum, ut debeant separari: quidam tamen humaniùs sentientes, aliter statuerunt; idedque nobis videtur, quòd, sive ex ignorantia, sive ex malitiâ id fecerint, non sunt ab invicem separandi; nec alter alteri debet debitum substrahere.*

Ex quo responso sic argumentor: Alexander III. casum propositum decidit juxta opinionem minùs probabilem faventem libertati, in concursu probabilioris faventis legi, ut patet ex his verbis, *Quidam humaniùs sentientes*; ergo in concursu duarum opinionum probabilium, licitum est sequi opinionem minùs probabilem, faventem libertati.

*Resp. nego ant.* Nam 1º. Alexander III. secutus est sententiam, quæ sibi visa est probabilior, ut patet ex ratione quam subjungit: *Quia, inquit, si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitiâ, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.* Undè Oltiensis, multique alii insignes Canonistæ, per tò *humaniùs*, intelligunt *æquiùs*, *rationabiliùs*, & glossa hîc exponit *melius*.

2<sup>o</sup>. Alexander III. non est secutus opinionem faventem libertati; econtrà secutus est legem faventem matrimonio, per quam conjuges habent jus mutuum exigendi debitum; quo jure una pars non debet privari propter malitiam vel ignorantiam compartis, ut patet ex ratione quam subjungit: *Quia si ex ignorantia, &c.*

*Objic.* 3<sup>o</sup>. Qui prudenter agit, rectè agit; sed qui sequitur opinionem minùs probabilem, in concursu probabilioris prudenter agit; ergo.

*Prob. min.* Qui agit prout dicitur recta ratio, prudenter agit; sed qui sequitur opinionem minùs probabilem, agit prout dicitur recta ratio; ergo.

*Resp. nego min.* Nam recta ratio dicitur illud in concursu amplectendum, quod magis ad veritatem accedit.

*Prob. min.* Qui agit, ductus argumentis quæ viros pios & doctos ad assensum determinare possunt, agit prout dicitur recta ratio; sed qui sequitur opinionem minùs probabilem, agit ductus argumentis quæ viros pios & doctos ad assensum determinare possunt; ergo.

*Resp. nego min.* Nam adveniente luce probabilioris sententiæ, lux sententiæ minùs probabilis statim evanescit; ergo non potest viros doctos determinare ad assensum: aliàs prudenter ageret, qui escam sumeret, quam probabilius putaret veneno esse infectam; item dux exercitûs, qui eo tempore prælium committeret, quàm probabilius putaret se victum iri, quàm victurum esse, &c.

*Inst.* 1<sup>o</sup>. Atqui opinio probabilis, in concursu probabilioris, remanet verè probabilis; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam, ut fatetur Esparza, insignis probabilista 1. 2. q. 23. art. 102. *Apud auctores latinos, tam veteres, quam recentes, probabile sumitur pro eo quod approbare, & cui adhærere ac assentiri intellectus meritò potest cum formidine partis oppositæ; atqui intellectus meritò ut veram approbare non potest opinionem de licito, dum ipsi apparet probabilius falsa, quam vera; nec ei meritò adhærere potest & assentiri, sed debet ipsam potiùs reprobare ut falsam; ergo opinio probabilis, in concursu probabilioris, non remanet absolutè probabilis ei cui fundamentum falsitatis ipsius apparet manifestè majus. Hinc Cardinalis Lauræa, in 3. sent. disp. 11. art. 4. §. 281. ait: *Probabile idem importat, ac dignum ut approbetur: non est autem digna approbatione sententia, quæ representatur ut minùs verisimilis.**

*Prob. ant.* Homo doctus, non desinit esse doctus, in concursu alterius doctioris; ergo à pari, opinio probabilis, non desinit esse probabilis, in concursu probabilioris.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quòd positio majoris scientiæ in uno homine, non importat negationem scientiæ in quocumque alio: econtrà, positio majoris probabilitatis sententiæ, importat negationem probabilitatis in sententiâ oppositâ; nam ex eo quòd sententia sit longè verisimilior, sequitur oppositam magis judicari falsam quàm veram, ac proindè non posse amplecti, quia *quod non est ex fide, peccatum est.*

*Inst. 2º.* Nullum comparativum destruit positivum; ergo major probabilitas non destruit minorem.



*Resp. dist. ant.* Nullum comparativum, comparative sumptum, destruit positivum, *conc.* comparativum *adversative*, quomodò hic tò probabilius sumitur, *nego ant.* Sic Apostolus 1. Cor. 7. sumit tò melius, in hoc textu: *melius est nubere, quàm uri*; non quòd bonum sit uri, sed quòd ex his duobus inter se comparatis, unum bonum sit, alterum malum.

*Objic. 4<sup>o</sup>.* Licitum est operari juxta opinionem motivo gravi fundatam; atqui opinio minùs probabilis fundatur motivo gravi, aliàs non esset probabilis; ergo.

*Resp. dist. maj.* Licitum est operari juxta opinionem motivo gravi fundatam, si illud motivum non vincatur graviori motivo, *conc.* si vincatur, *nego maj.* & sic ad minorem. Itaque motivum non dicitur grave, hoc sensu, quòd mereatur assensum pro omni omninò casu, sed tantum pro omni casu, in quo non adæquatur per motivum æquè grave, aut superatur per motivum gravius in oppositum; tunc enim, vel eliditur à motivo æquè gravi, vel superatur à motivo graviori.

*Inst. 1<sup>o</sup>.* Motivum grave, è ipsò quòd grave est, facit magnam spem assequendæ veritatis; ergo è ipsò quòd grave est, meretur assensum.

*Resp. dist. ant.* Facit magnam spem assequendæ veritatis, si non concurrat cum alio graviori, quod faciat timorem majorem non assequendæ veritatis, *conc.* si concurrat cum alio motivo ejusmodi, *nego ant.* Tunc enim solum motivum gravius meretur assensum; alioqui agens eliceret actionem de quâ hoc judicium haberet, *probabilius & verisimilius est hanc actionem esse malam & illicitam, quàm bonam & licitam.*

*Inst. 2°.* Licet qui operatur ex opinione minus probabili, habeat hoc iudicium directum, speculativè incertum: *probabilius & verisimilius est hanc actionem esse illicitam quam licitam*, habet simul hoc iudicium reflexum, practicè certum: *qui probabiliter agit, prudenter & securè agit*; ergo habet certitudinem moralem de bonitate suæ actionis.

*Resp. nego ant.* Nam impossibile est quòd iudicium directum speculativè incertum, evadat certum practicè, nisi aliquid novi accedat, undè recipiat hanc certitudinem; cum ergo operans non possit iudicare opinionem minus probabilem esse veram, quando major est probabilitas in oppositum, non potest certò iudicare operationem hìc & nunc exercendam juxta opinionem minus probabilem, non esse lege prohibitam.

*Inst. 3°.* Licet intellectus ex se non possit assentiri opinioni minus probabili, potest tamen ex imperio voluntatis; ergo.

*Resp. dist. ant.* Potest, imprudenter, *conceditur*, prudenter, *negatur*. Neque enim potest intellectus prudenter assentiri opinioni, quæ magis apparet falsa, quàm vera; non enim tam ratione, quàm contra rationem ei præstaret assensum.

*Inst. 4°.* Voluntas prudenter potest appetere minus bonum, relicto meliori bono; ergo intellectus, saltem ex imperio voluntatis, potest assentiri opinioni minus probabili, relicta probabiliori.

*Resp. transeat ant. nego conseq.* Disparitas est, quòd bonum non consistat in indivisibili, undè minus bonum, est semper verum & certum bonum; at verum consistit in indivisibili, & ideò

minùs probabilius verum, in conflictu probabilius veri, est probabilius falsum.

Dixi, *transeat*; quia nullus prudenter potest eligere minus bonum, nisi sit magis idoneum ad consecutionem finis; & tunc est majus bonum relativè.

*Objic. 5<sup>o</sup>*. Licitum est sequi opinionem probabiliorem; atqui sententia, quæ docet sufficere minùs probabilem, est probabilior, utpotè auctoritate & ratione prævalens opinioni contrariæ; ergo.

*Resp. nego min.* cujus falsitas evidens est ex nostris probationibus. Porrò auctoribus quos citant probabilistæ, oppono omnes sanctos Patres, summos Pontifices, Clerum Gallicanum, omnes Doctores qui ante annum 1571 floruerunt, & innumeros recentiores ex omni natione & ordine, quos fusè enumerat Thyrsus Gonfales, Societatis Jesu præpositus Generalis, in libro suo, *De recto usu opinionum probabilium*.

*Objic. 6<sup>o</sup>*. Licitum est sequi opinionem minùs tutam in concursu tutioris; ergo à pari, &c.

*Resp. nego consequ.* Disparitas est, 1<sup>o</sup>. quòd major securitas non est regula necessaria morum, sed prudentia; undè sufficit, quòd sequamur id quod veritati & prudentiæ magis est consonum, quale sæpè est opinio minùs tuta, in concursu tutioris. 2<sup>o</sup>. Quòd opinio tuta, etiam in concursu tutioris, nulli exponit periculo peccandi, cùm tuta supponatur: econtrà verò probabilis, in concursu probabilius, exponit operantem periculo peccandi, infringendi nimirum legem; ergo propter illud periculum, nullus potest eam sequi licitè.



*Inst. 1º.* Si non liceat sequi opinionem minùs probabilem, in concursu probabilioris, præcisè ob peccandi periculum; nec licebit sequi opinionem probabiliozem, imò nec probabilissimam, ob idem periculum: falsum conseq.

*Prob. seq.* Opinio, quæ non excludit incertitudinem, habet secum periculum peccandi; atqui talis est opinio probabilior & probabilissima; ergo.

*Resp. dist. maj.* Opinio, quæ non excludit incertitudinem moralem, *conc.* quæ non excludit incertitudinem objectivam & metaphisicam, *nego maj.* atqui opinio probabilior non excludit incertitudinem objectivam & metaphisicam, *conc.* moralem, *nego min.* Porrò qui habet certitudinem moralem de bonitate suæ actionis, non peccat, quia facit totum quod in se est ad inquirendam veritatem; undè si fortè illam non attingat, excusatur à peccato, ratione ignorantia invincibilis: econtrà, qui opinionem minùs probabilem, spretâ probabiliori, sequitur, nedùm nihil facit ut veritatem agnoscat, sed & ipsammet spernere convincitur, undè peccat formaliter.

*Inst. 2º.* Ergo peccaverunt quotquot auctores pietate & doctrinâ insignes, qui præterito sæculo probabilissimum tenuerunt; absurdum conseq.

*Resp. dist. maj.* Peccaverunt, si sententia quam tenuerunt, ipsis visa sit minùs probabilis, *conc.* si ipsis visa sit probabilior, *nego maj.* Tunc enim propter ignorantiam invincibilem fuerunt à peccato formali immunes; nemo tamen, qui post definitionem Alexandri VII. probabilissimum propugnaret, esset à tali peccato immunis.

*Non licet sequi opinionem seu conscientiam probabilem, quæ favet hominis libertati, in concursu alteriùs æquè probabilis, quæ favet legi; sed tunc ea opinio est tenenda, quæ est tutior.*

*Nota:* Omnes rationes & auctoritates, quibus præcedentem conclusionem probavimus, præsentem directè probant; ideò

*Prob.* Unico argumento, deducto ex jure sæpiùs clamante, quòd *in dubiis semitam debemus eligere tutiorem*; sed qui versatur in æquali contrariarum opinionum probabilitate, versatur in vero ac proprie dicto dubio: Tunc enim est dubium propriè dictum, cum non est potior ratio, cur intellectus judicet unam opinionem esse magis veram, quàm alteram; nam tunc intellectus in suspenso remanet inter veritatem & falsitatem; atqui in concursu duarum contrariarum opinionum æquè probabilium, non est potior ratio, cur intellectus judicet unam opinionem esse veram, magis quàm alteram, hæret enim in suspenso inter veritatem & falsitatem; ergo in concursu duarum propositionum æquè probabilium, est dubium propriè dictum. Undè si quis ab homine, in eo opinionum conflictu constituto, quærat quænam ex illis duabus opinionibus sit vera? respondebit, si ingenuus sit, *nescio, dubito*; ergo.

*Confirm.* Ex S. Antonino 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. reg. 6. dicente: *Qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, sumendo propriè & strictè dubitationem, prout rationes sunt æquè ponderantes*

*ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem, quàm ad aliam; ergo tam dubius est, qui graves pro utrâque parte rationes æquales habet, quàm qui nullas; ergo si agat, in sensu composito dubitationis, id de quo dubitat esse mortale, mortaliter peccat; ergo.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1<sup>o</sup>.* In veris tantummodò dubiis, tutior pars est eligenda; sed qui habet opiniones utrimque probabiles, non est in dubio vero & propriè dicto; ergo non tenetur partem tutiorem sequi.

*Prob. min.* In vero ac propriè dicto dubio, nullæ ex utrâque parte rationes suadentes occurrunt, econtrà in conflictu duarum propositionum contrariarum æquè probabilium, graves occurrunt rationes suadentes; ergo qui habet opiniones utrimque æqualiter probabiles, non est in dubio vero ac propriè dicto.

*Resp. nego ant.* cum D. Antonin. suprâ citato. Ratio est, quia intellectus æquè à parte rei remanet suspensus veritatem inter & falsitatem, dùm illi occurrunt æquales pro veritate aut falsitate rationes, ac dùm ei nulla ratio pro unâ aut pro alterâ parte exhibetur; quemadmodum lances non minùs in æquilibrio manent, dùm æquale pondus utrique lanci, quàm dùm nullum neutri appenditur.

*Inst. 1<sup>o</sup>.* In veris dubiis intellectus neutri parti adhæret; in opinione econtrà, uni realiter adhæret, licèt cum formidine partis oppositæ; ergo qui habet opiniones utrimque æqualiter probabiles, non est in vero ac propriè dicto dubio.



*Resp. dist. 2<sup>am</sup>. p. ant.* In opinione, quæ non concurrat cum contrariâ æqualiter probabili, intellectus uni parti realiter adhæret, licet cum formidine partis oppositæ, *conc.* in opinione quæ concurrat cum contrariâ æquè probabili, *nego ant.* Itaque opinio probabilis, cum impugnetur aliâ non minùs probabili, non remanet verè ac solidè probabilis, cum non possit magis judicari vera ob motivum quo nititur, quàm falsa ob motivum opinionis oppositæ; ergo necesse est ut intellectus inter utrumque anceps & suspensus maneat; ergo in hoc dubii statu, nihil melius fieri potest, quàm ut pars tutior teneatur, ad vitandum periculum peccati.

*Inst. 2<sup>o</sup>.* Opinio probabilis non amittit gravitatem sui motivi, ex eo quòd concurrat cum opinione oppositâ æquè probabili; ergo sufficit, ut intellectus illi adhæreat.

*Resp. transeat ant. nego conseq.* Nam ut intellectus uni parti contrarietatis adhæreat potius quàm alteri, debet probabilitas unius partis prævalere probabilitati alteriùs; atqui probabilitas unius opinionis, prævalere non potest probabilitati æquali; ergo.

Dixi, *transeat*; quia gravitas unius opinionis eliditur per gravitatem opinionis contrariæ æquè probabilis, sicut vincitur per gravitatem opinionis contrariæ probabilioris, & sic neutra pars apparet magis vera, quàm falsa: ac proinde intellectus neutri parti, saltem prudenter, assentire vel dissentire potest, sed debet suspendere assensum ac dissensum, & sic manere dubius.

*Inst. 3<sup>o</sup>.* Opinio probabilis, favens libertati, in concursu opinionis æquè probabilis, fa-

ventis legi, proponit objectum ut honestum & conforme legi æternæ; atqui hoc sufficit, ut operatio sit honesta & recta; ergo.

*Resp. dist. maj.* Opinio probabilis proponit objectum ut honestum & conforme legi æternæ, imprudenter & temerariè, *conc.* prudenter & maturè, *nego maj.* Itaque, ut opinio proponat prudenter objectum ut honestum & conforme legi æternæ, necesse est ut præcedat diligentia seria & gravis, plùs minusvè, juxta gravitatem materiæ: quando autem opiniones sunt æquè probabiles, nullum adest fundamentum asserendi unam præ alterâ, aut veram, aut falsam esse; sed quâ ratione utraque æquè probabilis est, eâdem utraque, quoad nos, falsitati subjecta est; ergo electio unius præ alterâ est temeraria & fortuita respectu veritatis aut falsitatis.

*Inst. 4º.* Apostolus Rom. 14. ait: *Beatus, qui non judicat semetipsum in eo quod probat;* atqui probabilista non judicat semetipsum in eo quod probat; ergo beatus est, idest, honestè agit.

*Resp. dist. maj.* Qui non judicat semetipsum in eo quod probat, post diligentem veritatis inquisitionem, *conc.* ante talem veritatis inquisitionem, *nego maj.* atqui probabilista non judicat semetipsum in eo quod probat, ante diligentem veritatis inquisitionem, *conc.* post hanc inquisitionem adhibitam, *nego min. & conseq.* Responsio est D. Thomæ, in commentariis ad Rom. 4. lect. 3. *Beatus qui non judicat, &c. hoc est intelligendum, si rectâ fide approbet esse aliquid faciendum. Si autem falsâ opinione approbat esse aliquid faciendum... non excusatur ex eo quod circa hoc non judicat semetipsum: imò beatior esset, si*

*circa hoc eum conscientia reprehenderet, in quantum per hoc à peccato magis prohiberetur. Sed in his quæ sunt licita, est intelligendum quod hic dicit Apostolus. Porro probabilista falsâ opinione approbat aliquid esse faciendum, nec applicat quod dicit Apostolus in his quæ sunt licita.*

*Inst. 5<sup>o</sup>. Ergo nec licitum est sequi opinionem probabiliorem, imò nec probabilissimam; consequens est damnatum ab Alex. VIII. ergo.*

*Prob. illatum: Propositio probabilissima potest esse falsa, atque adeò proponere objectum ut conforme legi æternæ, quod tamen reipsâ ipsi sit difforme & vetitum; ergo non licitum est eam sequi.*

*Resp. nego consequ. Quia ad licitè operandum non requiritur omnimoda certitudo quæ omnem vel levem formidinem excludat; hæc enim fugit communem & sinceram inveniendæ veritatis intelligentiam, ut contra Rigoristas mox demonstrabimus: sed sufficit certitudo probabilis, seu moralis, quæ excludat omnem gravem incertitudinem, hæcque sola moraliter possibilis est humanæ infirmitati. Porro opinio probabilior, aut etiam probabilissima, cum gravi sit nixa fundamento, & exurgat ex diligenti investigatione ejus cum lege æternâ conformitatis, gravem excludit formidinem; adeòque si post hanc diligentem investigationem, contingat opus esse reipsâ æternæ legi difforme, tunc peccatum erit materiale tantum, nec imputabile.*

*Objic. 2<sup>o</sup>. In dubio tantummodò practico tutior pars est eligenda; atqui intellectus inter duas æquales probabilitates constitutus, licet dubius speculativè, non est tamen dubius practicè; ergo.*



*Resp. nego min.* Nam intellectus speculativè dubius, est necessariò dubius practicè, quando in praxi nulla occurrit circumstantia quæ dubium speculativum tollat; atqui hìc nulla est circumstantia, quæ minuat pondus rationum, propter quas intellectus est speculativè dubius; ergo.

*Inst.* Intellectus dubitans speculativè, utrùm v. g. contractus *mohatra* sit licitus, vel illicitus, potest se determinare per hunc actum reflexum: *Licitum est sequi opinionem certò probabilem*; ergo potest omni se dubio in praxi liberare, certòque judicare contractum illum, quamvis speculativè dubium, in praxi tamen esse licitum.

*Resp. nego ant.* 1°. Quia supponit falsum, nempè opinionem probabilem, in concursu alteriùs æquè probabilis, retinere suam probabilitatem, quod falsum esse suprà ostendimus. 2°. Quia si operans, qui versatur inter duas opiniones æqualiter probabiles, certus fiat de licitate sui actûs per hunc actum reflexum: *Licitum est sequi opinionem certò probabilem*, in nullo unquam casu ad praxim erit redigenda hæc regula: *In dubiis tutius est eligendum*: nam quotiescumque, propter æqualis ponderis contradictorias rationes, dubium erit an aliquis actus sit licitus, necne, voluntas tutò poterit illum eundem actum eligere, jubendo intellectui ut hunc actum reflexum eliciat: *Licitum est sequi opinionem certò probabilem*.

*Objic.* 3°. Ex D. Leone, epist. 2. ad Rusticum: *In iis, quæ vel dubia sunt, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum videtur adversum*; atqui sic se habet opinio verè probabilis; ergo,

*Resp. nego min.* Intellectam de opinione probabili in concursu oppositæ opinionis æquè probabilis ; talis enim opinio & Évangelio & sanctis Patribus manifestè repugnat , qui unanimiter docent in dubio de malitiâ actionis , ab eâ declinandum esse , eligendamque esse semitam tutiorem.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum liceat sequi opinionem probabiliorem , quæ favet libertati , in concursu minùs probabilis , quæ favet legi.*

*Nota.* **Q**uæstio procedit de licito actuum humanorum ; nam conveniunt omnes partem tutiorem necessariò esse amplectendam in iis quæ sunt necessaria necessitate mediæ ad salutem , vel quæ requiruntur ad validam administrationem & susceptionem Sacramentorum ; quia in his ignorantia invincibilis , aut major probabilitas , nihil juvat ad obtinendum finem quem procurare tenemur , cum non possit falus obtineri , nec effectus Sacramenti haberi , nisi reipsa ponantur ea quæ Deus ad hunc finem exigit ; ideò fit

## CONCLUSIO.

*E duabus opinionibus , licitum est eam sequi quæ libertati favet , modò sit notabiliter probabilior oppositâ.* Est contra quosdam rigidiores qui ad licitatem actionis , certitudinem metaphisicam requirunt.

Dixi : *Notabiliter probabilior* ; quia in moralibus parum pro nihilo reputatur , & ideò si excessus probabilitatis , quo opinio favens li-

bertati, superat eam quæ favet legi, sit levis ac tenuis, utraque opinio erit æqualis, nec tollet formidinem rationabilem erroris, & periculum probabile peccati, sed generabit dubium; atqui in dubio tutior pars est eligenda, ut probatum est; ergo.

*Prob. 1º. Ex D. Thom. q. 70. a. 2. dicente: Certitudo non est similiter quærenda in omni materia: in actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eò quod sunt circa contingentia & variabilia: & idè sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus à veritate deficiat. Atqui si non liceret sequi opinionem minùs tutam, quæ sit tutiore notabiliter probabilior, non sufficeret probabilis certitudo, sed requireretur certitudo demonstrativa, quæ non potest haberi; ergo.*

*Prob. 2º. Ratione Cajetani in summâ, v. opinio, dicentis: Non exigit Deus ab homine plusquam conditio hominis habet, quia divina sapientia disponit omnia suaviter; atqui hominis conditio habet ut in rebus moralibus, non possit habere mathematicam omnium agibilium certitudinem, juxta illud D. Antonini, 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. Certitudo quæ reperitur in materia morali, non est certitudo evidentiæ, sed probabilis conjecturæ... non enim contingit certitudo moralis ex evidentiâ demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis grossis & figuralibus magis ad unam partem, quam ad aliam se habentibus. Ergo Deus non exigit ab homine ut semper cum evidentiâ & certitudine mathematicâ de bonitate suæ actionis operetur; ergo potest sequi opinio-*



nem minùs tutam, seu libertati faventem, dùm est multò probabilior alterâ.

Et verò, in casu proposito, opinio probabilior est verior, cùm traditioni, quæ est morum regula, sit conformior. Hinc jure meritò Alexander VIII. & post ipsum Clerus Gallic. anno 1700. hanc damnârunt prop. *Non licet sequi opinionem probabilem*, quæ nullam habet probabiliozem, vel æquè probabilem oppositam) *vel inter probabiles probabilissimam*; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1º.* Qui se exponit periculo peccandi, non agit prudenter; sed qui sequitur opinionem minùs tutam, licèt probabiliozem, se exponit periculo peccandi; ergo.

*Prob. min.* Ille se exponit periculo peccandi, qui agit cum dubitatione de malitiâ operis; sed qui sequitur partem minùs tutam, etsi probabiliozem, agit cum dubitatione de malitiâ operis; ergo.

*Resp. nego min.* Qui enim sequitur opinionem probabiliozem, licèt minùs tutam, sibi conscientiam practicè certam efformat, per hoc judicium reflexum: *Qui facit totum quod in se est ad inquirendam veritatem, si fortè illam non attingat, excusatur à peccato ratione ignorantie invincibilis*; quod principium est omninò certum.

*Prob. min.* Qui non est certus de bonitate suæ actionis, agit cum dubitatione de malitiâ operis; sed qui sequitur opinionem minùs tutam, etsi probabiliozem, non est certus de bonitate suæ actionis; ergo.

*Resp. dist. maj.* Qui non est certus moraliter  
de

de bonitate suæ actionis , agit cum dubitatione , &c. *conc.* qui non est certus metaphisicè , de bonitate suæ actionis , &c. *nego maj.* atqui qui sequitur , &c. non est certus de bonitate suæ actionis , metaphisicè , *conc.* moraliter , *nego min.* Porrò certitudo moralis , quæ sola in rebus moralibus possibilis est , sufficit ut homo tutè operetur , juxta illud Gersonis , l. 4. de consolat. Theol. *Certitudo moralis admittit formidinem de opposito , & scrupulos , non tamèn advertendos , sed contemnendos.*

*Inst.* Ille non est moraliter certus de bonitate suæ actionis , qui judicando suam actionem esse licitam , simul judicat fortè esse illicitam ; sed qui judicat actionem minùs tutam esse honestam , simul judicat eam fortè esse illicitam ; ergo.

*Resp. dist. min.* Qui judicat actionem minùs tutam esse licitam , simul judicat eam fortè esse illicitam , illicitate materiali invincibili , *conc. min.* formali , vel materiali vincibili , *nego min.* Itaque opinio probabilior certitudinem moralem intellectui ingerit , quod sufficit ad agendum prudenter , & sine periculo peccati imputabilis ; aliàs nunquàm quis posset celebrare , nunquàm absolutionem petere à Confessario ; quia nemo potest unquam esse metaphisicè certus se habere dispositiones ad utrumque necessarias , nec repugnat metaphisicè ut decipiatur , cùm opinatur se illas habere.

*Objic. 2º.* Cap. *si quis autem* , de poenit. dist. 8. dicitur : *Tene certum , dimitte incertum* ; atqui omnis opinio , etiam evidenter probabilior , pro libertate , habet incertitudinem , maxime in concursu tutioris pro lege ; ergo.

MORAL. Tom. IV.



*Resp. dist. min.* Habet incertitudinem, metaphisicam, *conc.* moralem, *nego min. & conseq.* Porro ad rectè operandum, sufficit opinio graviter nixa fundamento, quæ certitudinem affert moralem, excludentem omnem gravem incertitudinem. Quare Canon allatus præscribit certitudinem moralem, quæ sola moraliter possibilis est humanæ imbecillitati.

*Objic. 3<sup>o</sup>.* D. Thom. quodlib. 8. art. 13. ait: *Si operans in quamdam dubitationem inducitur, & sic, si manente tali dubitatione plures præbendas habeat, periculo se committit & sic procul dubio peccat*; sed qui operatur juxta opinionem minùs tutam, licèt probabiliorem, in dubitationem inducitur; ergo.

*Resp. dist. min.* Inducitur in dubitationem contemnendam, *conc.* advertendam, *nego.* Contemnenda autem est dubitatio quæ comitatur opinionem quæ generat certitudinem moralem de licitate actionis; neque de illâ dubitatione loquitur D. Thom. qui ibi non agit de eo qui operatur juxta opinionem, quæ post severum graveque examen, apparet probabilior, sed de eo qui cum conscientia dubiâ, non depositâ, operatur, quem certè peccare supra probavimus.

*Inst.* D. Thom. ibidem ait: *Illud quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quòd est secundùm conscientiam*; ergo non excusatur à peccato qui sequitur opinionem minùs tutam, licèt evidenter probabiliorem, in concursu tutioris pro lege, licèt minùs probabilis.

*Resp. nego conseq.* Nam ibi D. Thom. loquitur de eo qui operatur secundùm conscientiam vincibiliter errantem, quæ non excusat à peccato operantem ex illâ.






# TRACTATUS DE LEGIBUS.



UNC Tractatum in duas dissertationes distribuemus, quarum 1<sup>a</sup>. erit de legibus in communi; 2<sup>a</sup>. de legibus in particulari, quibus subjungemus appendicem de communioribus Ecclesiæ præceptis.



## DISSERTATIO I.

### *De Legibus in communi.*

*Nota.* **L**ex, quæ juxta D. Thom. q. 90. a. 3. à ligando dicitur, quia obligat (subditos) ad agendum: sumitur propriè & impropriè.

Lex impropriè sumpta, est quædam *mensura*, seu *regula*, secundum quam res quælibet inducitur ad operandum, & ab operando retrahitur. Juxta hanc legis acceptionem, omnia sive rationalia, sive irrationalia & inanimata; artes quoque, etiam illicitæ, suas leges habere dicuntur: hoc sensu dicimus leges Grammaticæ, Militiæ, Mundi, &c.

Lex propriè sumpta, est *regula externa morum*,

ac proindè solis agentibus ratione præditis competit, & de hac quæritur 1°. quid sit; 2°. an promulgatio sit de ejus essentiâ; 3°. an lex, prout à Legislatore fertur, in actu intellectûs, vel voluntatis, formaliter consistat, triplici Capite.

## CAPUT PRIMUM.

### *Quid sit Lex?*

*Nota.* **E**ssentia legis ab ejus definitione repetenda est. Ideò, lex propriè sumpta definitur: *Rationis ordinatio, stabilis, ad bonum publicum promulgata ab eo qui curam communitatis habet, cum intentione obligandi subditos.* Explicatur.

Dicitur 1°. *Ordinatio*, id est præceptum regulans mores, quod tenet locum generis; lex enim omnis est præceptum, sed non omne præceptum est lex: nam præceptum dividitur in commune & particulare; commune subdividitur in perpetuum, quod solum est lex propriè, & in non perpetuum, quod non est lex propriè, & retinet nomen præcepti, non secùs ac præceptum particulare.

Dicitur 2°. *Ordinatio rationis*: id est, rationi consentanea & justa, secundùm illud D. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 5. *Mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.* Porro ex tribus capitibus desumi debet justitia legis.

1°. *Ex parte objecti*, quod debet esse 1°. honestum, vel in se, vel saltem ratione boni communis, ad quod licito modo ordinatur, ut si Legislator aliquid indifferens præcipiat propter bonum commune; in quo casu quod ante

cedenter ad legem erat indifferens, desumit honestatem à fine, quod sufficit ad justitiam legis per ordinem ad objectum. 2°. Debet esse moraliter possibile, præsertim in lege humana, juxta hanc regulam Juris, *Nemo ad impossibile obligatur*: quæ regula intelligitur, tum de impossibilitate physica, tum de impossibilitate morali, nisi forte in aliquo casu gravis & urgentis necessitatis, in quo propter Reipublicæ conservationem, aut non mediocrem utilitatem, possunt justè imperari valdè difficilia; sic miles obligatur ad servandam suam stationem cum periculo vitæ.

2°. *Ex parte Legislatoris*, qui non debet excedere suam potestatem; quam excedit, cum leges fert pro non subditis, vel cum pro subditis plus statuit, quam statuere possit.

3°. *Ex parte subditorum*, inter quos debet servari proportionis æqualitas in onerum distributione, quæ debet fieri pro cujuscumque virium & facultatum proportione. Si tamen lex de se utilis sit, & pauci plus æquo vexantur, non ideò lex erit cassa, sed erit valida erga eos, à quibus servari poterit; qui verò injustè gravabuntur, non obligabuntur quoad excessum injustum, nisi per accidens ratione scandali & perturbationis, quæ etiam cum proprii boni dispendio vitari debent. Addo tamen cautè incedendum, cum agitur de arguendâ legis iniquitate; quia quæ privatis aliquibus duriora videntur, non rarò gravissimis de causis statuuntur à Principibus.

*Dices* 1°. Hæc definitionis particula inducit ad seditionem, solent enim populi de legum iniquitate conqueri; ergo ex definitione legis



est delenda, tanquam publicæ tranquillitatis perturbativa.

*Resp. nego ant.* Namque 1°. non ex vulgi opinione, sed ex sapientium judicio æquitas legum pensanda est. 2°. In dubio sitne lex justa an injusta, servanda est lex; præsumptio enim est pro Legislatore, cujus, utpotè possidentis jus regendi subditos, melior est conditio, nec per inferioris dubium tolli potest; aliàs subditis daretur nimia licentia sese à legibus eximendi, cum periculo scandali & perturbationis Reipublicæ.

*Dices 2°.* Nonnullæ leges humanæ permittunt malum; ergo non est essentiale legi, ut honesta præcipiat.

*Resp. dist. ant.* Permittunt malum, ut malum, *nego. ant.* malum, ut majoris mali impeditivum, *conc. ant.* Est autem aliquando bonum & secundum rectam rationem è duobus malis indeclinabilibus illud vitare quod majus est, minus tolerando seu non puniendo.

*Dices 3°.* cum Machiavelle & aliis pseudo-politicis: Publica tranquillitas & temporalis felicitas, est finis politici regiminis; atqui honestatis regulæ & Religionis præcepta, plerumque adversantur publicæ tranquillitati & temporali felicitati; ergo Princeps politicus hujusmodi regulis & præceptis non adstringitur.

*Resp. 1°.* *dist. maj.* Publica tranquillitas, & temporalis felicitas, est finis proximus politici regiminis, *conc. maj.* est finis ultimus, *nego maj.* Nullum enim est regimen, quod ad Dei gloriam & felicitatem æternam referri non debeat, juxta illud D. Aug. l. 5. de civit. Dei, c. 24. *Felices Imperatores eos dicimus, si justè imperant, si suam*

*potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, majestatis ejus famulam faciunt.*

*Resp. 2º. nego min.* Quis enim, nisi sit athæus, dixerit veræ Religionis præcepta, & honestatis regulas publicæ tranquillitati obesse? cùm potius ad eam valdè conferant, dirigendo ac coercendo improbas hominum passiones, quæ eorum tranquillitatem & felicitatem temporalem funditùs subvertunt.

*Inst. 1º.* Si finis politici regiminis sit cultus Dei & felicitas æterna, ipsum ab Ecclesiæ regimine non differt; falsum conseq.

*Resp. nego seq. maj.* Licèt enim utrumque regimen, ecclesiasticum & politicum, habeat pro fine cultum Dei & felicitatem æternam; in hoc tamen differunt, quòd cultus Dei & felicitas æterna, sint finis proximus ecclesiastici regiminis, cùm sint tantùm finis remotus & ultimus politici regiminis.

*Inst. 2º.* Ecclesia & Regnum, sunt duæ Respublicæ adæquatè distinctæ; ergo & fines utriusque sunt adæquatè distincti.

*Resp. dist. ant.* Sunt duæ Respublicæ distinctæ, quoad finem proximum & immediatum, propriamque cujusque materiam, *conc.* quoad omnia, *nego ant.* Itaque Ecclesia & Respublica sunt solùm distinctæ quoad finem proximum & immediatum, & propriam cujusque materiam, id est quoad leges, quas Respublica directè fert in materiâ temporali, Ecclesia in spiritali. Sed hoc non impedit, quin in eundem finem spirituales utraque conspiret; qui quidem sit finis proximus Ecclesiasticæ potestatis ac legis, sed non nisi remotus potestatis ac legis civilis. Undè

licet potestas civilis, in quantum directè præceptiva, restricta sit ad propriam materiam, in propriâ tamen materiâ subditos regit in ordine ad salutem æternam, tanquàm finem suum remotum.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *Ordinatio stabilis*, id est, non ad tempus, sed in perpetuum duratura, *cap. ult. de offic. Legati*, donec abrogetur, vel mutatis circumstantiis noxia aut inutilis fiat: per hoc, lex differt à præcepto, quod ad certum tantum tempus, personæ privatæ aut familiæ particulari imponitur, & expirat morte præcipientis, *re integrâ*, id est, nondum inceptâ; lex verò, etiam Legislatore mortuo, perseverat, nisi à successore, vel consuetudine abrogetur: hinc statuta Episcopi post mortem ejus obligare pergunt, nisi ab ejus successore revocentur.

*Dices* 1<sup>o</sup>. Lex vetus fuit vera lex, & tamen à multis sæculis desiit; ergo lex non est essentialiter perpetua.

*Resp. nego conseq.* Hoc enim sensu dicimus legem debere esse perpetuam, quòd obliget quandiù est utilis, & non abrogatur; lex autem vetus desiit esse utilis post adventum Christi, & per legem Evangelicam abrogata est.

*Dices* 2<sup>o</sup>. Accidentale est legi, quòd magis minùsve duret, nam duratio non mutat speciem; ergo perpetuitas, non est essentialis legi.

*Resp. dist. prob. ant.* In physicis, *conc.* in moralibus, *nego.* Nam major duratio notabilem inducit diversitatem in moralibus, & habet effectus longè diversos; sic censuræ, v. g. per modum statuti latæ, ligant omnes in territorio existentes, ctsi non sint subditi; econtrà censu-



ræ latae per modum præcepti, ligant tantum subditos.

Dicitur 4°. *Ad bonum publicum*, id est, non in privatum Legislatoris, sed in totius communitatis commodum, quod est essentialiter finis legis: nam idem debet esse finis legis, ac potestatis legislativæ; atqui potestas legislativa, habet pro fine bonum commune; ergo. Hinc D. Basil. Hom. 12. in Prov. dicit in hoc differre Tyrannum à Rege, quòd ille propriam, hic communem utilitatem in suo regimine quærat. Per hanc particulam, lex iterum differt à præcepto, quod commodum personæ privatæ respicere potest.

*Dices* 1°. Samuel 1. Reg. 8. jura Regum recensens, plura enumerat, quæ cedunt in commodum solius Regis, non in bonum commune; ergo non est de essentiâ legis, ut ad bonum commune referatur.

*Resp. nego consequ.* Nam ea quæ ibi recenset Samuel, non sunt leges & jura legitima, sed usurpata, quæ Reges sibi arrogaturos esse populo prædicebat, ut eum à Rege poscendo detereret.

*Dices* 2°. Si de essentiâ legis fit, ut feratur propter bonum publicum, sequitur non esse obtemperandum legibus, quandiu non constiterit Legislatorem commune bonum intendisse; falsum & seditiosum consequ.

*Resp. nego sequ.* Nam operantis intentio non pertinet ad substantiam legis, sed sufficit intentio operis, hoc est, ut opus à lege præceptum, ex se ipso conducat ad bonum commune.

*Inst.* 1°. Atqui sunt plurimæ leges, quæ ex se

ipsis non tendunt ad bonum commune, tales sunt leges tributorum; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam leges tributorum tendunt ad bonum commune, saltem mediatè, cùm de ratione boni communis sit, ut Rex ex tributis thesauros comparet, quibus Respublica defendatur in bello, & ornentur ac conserventur in pace. Undè primariò cedunt in bonum commune, quamvis secundariò cedant in bonum Principis.

*Inst. 2º.* Lex naturalis de tuendâ propriâ vitâ, item leges in gratiam Minorum, Clericorum, Militum, &c. non tendunt ad bonum commune; ergo.

*Resp. dist. ant.* Hæ leges non tendunt in bonum commune, si spectentur ex objecto, circa quod versantur, *conc. ant.* si spectentur ex motivo formali, propter quod versantur circa tale objectum, *nego ant.* Igitur objectum ejusmodi legum, est quidem bonum particularium personarum; sed motivum earum formale, est bonum commune, quod per se intendunt: nam Reipublicæ plurimum interest, 1º. ut quilibet tueatur propriam vitam, cùm ipsa non possit subsistere nisi in individuis; 2º. ut pupilli, qui ob ætatis suæ infirmitatem, sibi satis providere non possunt, ab injuriis quibus obnoxii forent, vindicentur; 3º. ut Clericis, Militibus, & cæteris de Republicâ benè meritis, privilegia concedantur, ut ad perseverandum stimulentur; & alii, ad promovendum bonum commune, accendantur.

*Inst. 3º.* Cessante bono communi, non cessat lex; v. g. cessantibus fraudibus, quas Ecclesia, clandestina matrimonia irritans, præcavere vo-

luit; item cessante scandalo, ob quod cavendum, statutum est ne Clerici in tabernis comedant extra casum peregrinationis, non definit hujusce legis obligatio; ergo non est de essentiâ legis, ut sit propter bonum commune.

*Resp. dist. ant.* Cessante bono communi, respectu quorundam, non cessat lex, *conc. ant.* cessante universaliter & respectu totius communitatis, *nego ant.* Porrò licet finis legis, nempe vitatio fraudum, scandali, &c. cesset respectu quorundam particularium, nihilominus subsistit lex respectu illorum particularium; quia rectus ordo postulat, ut pars toti cohæreat, & ut privati à communi disciplinâ non recedant.

Dicitur 5°. *Promulgata*, id est, intimata ac denunciata subditis, qui aliter non possent legem observare.

Dicitur 6°. *Ab eo qui curam communitatis habet*, id est, ab eo qui in communitatem perfectam jurisdictione, & auctoritate coactivâ pollet. Ratio est, quia lex est essentialiter propter bonum commune; ergo non potest ferri, nisi ab eo qui præest communitati perfectæ, habetque jus illam regendi, refractarios coercendi, transgressores puniendi, &c. Per quod iterum lex differt à præcepto, quod à quocumque Superiore particulari imponi potest.

Porrò, communitas duplex est, perfecta & imperfecta. *Communitas perfecta*, est ea, quæ sibi sufficit ad assequendum finem, ad quem instituta est, nempe ad conciliandam & conservandam pacem ac tranquillitatem publicam, ut Ecclesia, Regnum, Provincia sui juris, &c. *Communitas imperfecta*, est ea, quæ sibi non sufficit



ad prædictum finem assequendum, ut familia, Parochia, &c.

Dicitur 7<sup>o</sup>. *Cum intentione obligandi subditos*, id est, per modum præcepti; per quod lex distinguitur à consilio, quod, etsi recta sit morum regula, per se tamen non obligat.

*Resolv.* Omnes legis proprietates essentielles continentur in prædictâ definitione; verùm circa promulgationem controvertitur inter Auctores, an sit de essentiâ legis? cui ut fatisfiat.

## CAPUT SECUNDUM.

*An promulgatio sit de essentiâ legis?*

*Nota 1<sup>o</sup>.* **P**romulgatio, est *authentica legis notificatio eis facta à quibus legislator vult eam impleri.*

*Nota 2<sup>o</sup>.* Quæstio hîc movetur de legibus positivis; lex enim æterna per ipsam suâ impressionem singulis hominum mentibus per modum habitûs factam, satis promulgata esse intelligitur.

*Nota 3<sup>o</sup>.* Quæstio non est de lege in actu 1<sup>o</sup>. prout aptitudinem habet ad obligandum; sed de lege in actu 2<sup>o</sup>. prout reipsâ & de facto obligat.

*Nota 4<sup>o</sup>.* In qualibet Scholæ opinione promulgatio necessaria est ad hoc ut lex obliget; nam Legislatores, nec potest, nec vult obligare nisi post debitam voluntatis suæ manifestationem: sed controversia est de modo, quo promulgatio est necessaria ad legem, an per modum partis essentialis, an per modum conditionis sine quâ non lex obligaret? His notatis, sit

*Promulgatio est complementum essentialis legis, prout actu & de facto obligantis.*

*Prob.* Tunc promulgatio est complementum essentialis legis prout, &c. cum voluntas legislatoris non habet, nisi accedente promulgatione, completam rationem legis; atqui voluntas Legislatoris non habet completam rationem legis, nisi accedente promulgatione: tum quia voluntas illa nullam habet efficaciam donec accedat promulgatio; tum quia per promulgationem constituitur formaliter in esse regulæ, cui subditus se conformare debet, juxta illud D. Aug. *Leges instituuntur cum promulgantur*, apud Gratian. dist. 4. c. 3. ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1º.* Quod supponit legem jam in suo esse constitutam, non est de essentiâ legis; atqui promulgatio supponit legem jam in suo esse constitutam; ergo.

*Prob. min.* Lex est regulæ applicatio; atqui applicatio regulæ, supponit legem jam in suo esse constitutam; ergo.

*Resp. dist. maj.* Promulgatio, est applicatio regulæ, sumptæ incompletè, *conc. maj.* sumptæ completè, *nego maj.* atqui applicatio regulæ, supponit legem in suo esse constitutam, si sumatur incompletè, *conc.* si sumatur completè, *nego min.* Itaque lex & regulæ incompletè sumptæ, est voluntas interna Legislatoris; lex verò completè sumptæ, est eadem voluntas ritè significata & applicata per promulgationem; & ideò promulgatio est complementum essentialis legis completè sumptæ.

*Inst.* Promulgatio est tantum signum legis ; ergo non est pars essentialis legis.

*Resp. dist. ant.* Est signum legis , sumptæ incomplete , *conc.* sumptæ complete , *nego.*

*Objic. 2º.* Lex obligat , non solum eos quibus jam innotuit , sed & eos quibus est incognita ; ( ut patet in legibus irritantibus contractus , quæ producunt effectum in iis qui nullam legis notitiam habuerunt ) ergo promulgatio non est necessaria , ut lex obliget.

*Resp. nego consequ.* Aliud est enim legis divulgatio , aliud promulgatio , ut notant Salmanticenses , cap. 1. n. 74. Ad divulgationem , requiritur ut lex cuilibet subdito in particulari innotescat ; ad promulgationem verò , satis est , si lex communiter promulgata fuerit , ita ut cuilibet particulari facile innotescere possit. Porrò , ad valorem legis non requiritur divulgatio , sed sufficit promulgatio , quâ positâ , omnes lege constringuntur , sive qui eam norunt , sive qui eam ignorant invincibiliter , licet contra eam agentes non peccent formaliter propter ignorantiam invincibilem , quâ supponuntur laborare , & quæ eos excusat à peccato ; sed non eos reddit habiles ad actus , ad quos , per legem , sunt inhabiles facti.

Quæres 1º. *An lex , prioris legis revocatoria , debeat promulgari ?*

*Nota.* Lex , alia est favorabilis , alia odiosa. Lex favorabilis , est ea , quæ est præter jus commune , & nulli affert præjudicium , v. g. privilegium audiendi Missam tempore interdicti. Lex odiosa , est ea , quæ juri communi adversatur , aut alteri nocet ; tale est privilegium habendi plura beneficia. Itaque



*Resp.* Lex revocatoria prioris legis debet promulgari, nisi lex prior fuerit odiosa. Ratio est, quia vera lex debet promulgari, nisi jus aliter statuat; atqui lex revocatoria, est vera lex, nec jus statuit eam non debere promulgari; ergo.

Dixi, *Nisi lex prior fuerit odiosa*: quia lex revocatoria legis odiosæ, est favorabilis; atqui ex juris axiomate, *In favorabilibus necessaria non est promulgatio*; ergo.

*Resolves* 1°. promulgationem non requiri in privilegii odiosi revocatione, cum talis revocatio sit favorabilis; benè verò in revocatione privilegii favorabilis, cum talis revocatio sit odiosa; odiosum enim videtur alicui substrahere beneficium quod nulli nocet.

*Resolves* 2°. plurimas facultates, quæ in Concilio Tridentino Episcopis largiuntur, esse ubique terrarum validas, licet in singulis provinciis Concilium non sit promulgatum; quia subtractio harum facultatum, quæ jure communi Episcopis competunt, ipsis erat oneri.

Quæres 2°. *Quomodo leges promulgentur?*

*Resp.* Leges diversimodè promulgantur, juxta legum diversitatem: nam

1°. Lex divina promulgatur totidem modis, quot Deus voluntatem suam nobis potest manifestare, quod fit tripliciter: 1°. Per internam revelationem, sic Spiritus sanctus Act. 13. segregari jussit Saulum & Barnabam ad opus, ad quod assumpserat eos. 2°. Per externam locutionem absque solemnitate; sic Christus mandata sua tradidit Apostolis. 3°. Per externam locutionem cum solemnitate; sic lex Mosaïca in monte Sinai, Exod. 20. & lex Evangelica in die Pentecostes, Act. 2. nobis promulgata est.

2<sup>o</sup>. Lex humana debet solemniter promulgari, ut vim obligandi obtineat. Undè licet omnes subditi certò scirent legem esse conditam, imò & sigillo publico munitam, ad eam non tenerentur, donec ritu solemnì, juxta morem patriæ, promulgaretur.

Quæres 3<sup>o</sup>. *Cur lex humana solemnitatem promulgationis requirat, non verò divina?*

*Resp.* Ratio est, quia Legislatores humani duplicem sustinet personam: unam privatam, quâ par est aliis hominibus; aliam publicam, quâ superior est aliis, & secundum quam solam, leges condendi auctoritate pollet: ut ergo constet certò, quòd ex publicâ potestate velit obligare subditos, debet id per aliquam publicam cæremoniam testari; econtrà cum Deus summam atque independentem in nos potestatem habeat, sufficit, quòd de ejus voluntate constet, ut ad eam implendam districtè adstringamur.

### C A P U T T E R T I U M.

*An lex, prout in Legislatore spectatur, in actu intellectûs vel voluntatis formaliter consistat?*

*Nota.* **I**N Superiore legem ferente duo sunt actus; 1<sup>us</sup>. est actus intellectûs, seu judicium dictans Legislatore, conducere ad bonum commune, ut hoc, vel illud præcipiat, aut vetet subditis. 2<sup>us</sup>. Est actus voluntatis, quo Legislatores, pro jure suo, vult, statuit, ac præcipit aliquid fieri, vel omitti à subditis. Circa quod quæritur, in quo actu propriè sita sit legis essentia.

CONCLUSIO.

## CONCLUSIO.

*Lex præsuppositivè consistit in actu intellectûs , & formaliter in actu voluntatis.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* In illo actu lex præsuppositivè consistit , qui præviè requiritur ex parte Legislatoris ; atqui actus intellectûs præviè requiritur ex parte Legislatoris , debet enim Legislator varia media & eorum cum fine proportionem cognoscere ; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p. 1<sup>o</sup>.* Ex Scripturâ , ubi lex divina sæpè dicitur voluntas Dei : sic Psal. 39. v. 8. *In capite Libri scriptum est de me , ut facerem voluntatem tuam* , id est , legem , ut ex his verbis immediatè sequentibus manifestum est : *Deus meus volui , & legem tuam in medio cordis mei.* Et Psal. 102. v. 7. *Notas fecit vias suas Moïsi & filiis Israël voluntates suas* , id est , leges & præcepta.

*Prob. 2<sup>o</sup>.* Lex consistit essentialiter in eo actu , per quem Legislator subditos ad agendum vel omittendum aliquid , obligat ; atqui per solum actum voluntatis obligat subditos : nam eatenus Legislator subditos obligat , quatenus imperat , præcipit , & vult aliquid fieri vel vitari , non quatenus judicat melius esse ad commune bonum , ut hoc fiat , quàm istud ; aliàs lex non differret à consilio ; atqui imperium , præceptum , volitio , actum voluntatis evidenter arguunt ; ergo Legislator per solum actum voluntatis , obligat subditos ; undè Princeps , dùm legem fert , his utitur verbis : *Sic volo , sic jubeo , &c.* ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1<sup>o</sup>.* Lex in Scripturâ sæpè vocatur *LUMORAL.* Tom. IV.

P



*men, Lux, Lucerna illuminans oculos; atqui hæc soli intellectui conveniunt; ergo.*

*Resp. dist. maj. Lex est Lux, Lucerna, &c. si consideretur relativè ad hominem cui imponitur, conc. maj. per legem enim quisque intelligit quid faciendum sit, aut omittendum. Si consideretur prout est actus Legislatoris eam sancientis, subdist. est lumen, præsuppositivè, conc. maj. est lumen, formaliter, nego maj. & sic dist. conseq. nego conseq.*

*Inst. 1<sup>o</sup>. Atqui lex, prout est actus Legislatoris, est actus intellectûs formaliter; ergo.*

*Prob. subs. Lex definitur: Ordinatio rationis; atqui ordinatio rationis, est actus intellectûs, non voluntatis; ergo.*

*Resp. nego min. Nam illa definitionis particula, Ordinatio rationis, importat actum voluntatis formaliter, & actum intellectûs præsuppositivè, ita ut tò ordinatio, significet formaliter actum voluntatis statuentis & imperantis, & ideò ponitur in recto: & tò rationis, significet actum intellectûs prærequisitum ad hoc ut voluntas rectè ordinet & imperet, & ideò ponitur in obliquo, habetque rationem connotati. Undè apparet legem, ne partialiter quidem consistere in actu intellectûs.*

*Inst. 2<sup>o</sup>. Lex est essentialiter regula agendorum & vitandorum; sed regula est actus solius intellectûs; ergo.*

*Resp. nego min. Regula enim non minùs est actus voluntatis, quàm intellectûs; nam subditus in tantum regulatur & dirigitur, in quantum vult & facit quod Superior vult fieri: sicut ergo voluntas divina est regula voluntatis crea-*

turarum, ut docet D. Thom. q. 19. a. 9. dicens: *Ad hoc quod voluntas hominis sit bona, requiritur quod conformetur voluntati divinæ; ita voluntas recta aliorum Legislatorum, est regula secunda, participata à primâ, cui proinde subditi tenentur se conformare.*

*Inst. 3º.* Lex est idea, cui actus nostri conformes esse debent; sed idea, est actus intellectûs, non voluntatis; ergo.

*Resp. dist. maj.* Lex in mente subditorum est idea, *conc. maj.* lex ex parte Legislatoris, *subdist.* est idea præsuppositivè, quatenus in Legislatore præsupponitur mentis actus, quo concipit aliquid bono communitatis congruere, *conc. formaliter*, quatenus id quod conveniens esse concepit, observari mandat, *nego maj.* Sic enim est imperium, sed voluntatis est imperare.

*Objic. 2º.* Lex naturalis, non est actus voluntatis; ergo.

*Resp. dist. ant.* Lex naturalis non est actus voluntatis, prout est in homine, *conc.* sic enim potius est natura ipsa rationalis, quam actus voluntatis, aut intellectûs. Lex naturalis, prout est in Deo Legislatore, qui mandat, ut huic legi, menti nostræ inditæ, nos conformemus, *nego.*

## DISSERTATIO II.

### *De Legibus in particulari.*

*Nota.* **C**um lex communiter dividatur in legem æternam, naturalem, positivam divinam, & positivam humanam, hanc dissertationem in totidem Capita distribuemus.

## CAPUT PRIMUM.

*De Lege æterna.*

*Nota :* **D**E lege æternâ multa hîc congerunt Theologi , non minùs obscura , quàm ad praxim inutilia : undè pauca de ipsâ , variis quæstiunculis elucidabimus. Itaque

Quæres 1<sup>o</sup>. *Quid sit lex æterna ?*

*Resp.* Rectè definitur à D. Aug. l. 22. contra Faustum , c. 27. *Ratio divina , vel voluntas , ordinem naturalem servari jubens , & perturbari vetans.*

Dicitur 1<sup>o</sup>. *Ratio divina* : idest , in mente divinâ existens ; per quod differt à lege naturali , quæ menti humanæ est insita , quæ consequenter legi æternæ superaddit promulgationem per lumen naturale factam.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *Vel voluntas* : per quod differt ab ideis divinis , quæ ad intellectum pertinent , lex æterna verò pertinet formaliter ad voluntatem. Ratio diversitatis est , quòd ideæ versentur circa res repræsentandas ; lex verò æterna circa easdem , ut gubernandas.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *Ordinem naturalem servari jubens , &c.* idest , ordinem generalem , ad quem res sunt institutæ , v. g. quòd ignis sursùm , lapis deorsùm inclinetur , undè versatur circa bonum universi ; per quod differt à providentiâ , quæ versatur circa bonum singulare uniuscujusque creaturæ , quam ad finem sibi proprium ordinat juxta dictamen legis æternæ , proindèque lex æterna est veluti regula providentiæ.



Quæres 2<sup>o</sup>. *An omnia subjiciantur legi æternæ?*

*Resp.* Omnes motus & operationes creaturarum, sive rationalium, sive irrationalium, subjiciuntur legi æternæ, sed diverso modo.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Illa legi æternæ subjiciuntur, quæ fiunt ex instinctu & naturali inclinatione, à Deo creaturis irrationalibus impressâ, per quam in fines sibi convenientes feruntur; atqui taliter fiunt actus & motiones creaturarum irrationalium. Undè Psalm. 148. dicitur: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*, id est, voluntatem; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Actiones creaturarum rationalium, vel sunt bonæ, vel malæ: si sint bonæ, fiunt ex Dei directione & motu; si sint malæ, ab æternâ lege prohibentur; permittuntur tamen à Deo, ut in pœnis quibus postea puniendæ sunt, justum Dei judicium elucescat, ait D. Aug. lib. 5. confess. ergo subjiciuntur legi æternæ.

Dixi 1<sup>o</sup>. *Creaturarum*: quia nec natura, nec voluntas divina legi æternæ subjiciuntur; nam inter eas & legem æternam, est perfecta identitas, nihil autem sibi ipsi potest subjici; ergo.

Dixi 2<sup>o</sup>. *Licet diverso modo*: quia creaturæ rationales subjiciuntur legi æternæ, ut præcipienti vel prohibenti; irrationales verò illi subjiciuntur tantum, ut ordinanti & moventi illas ad fines suos, non verò ut præcipienti, quia non sunt capaces præcepti & obedientiæ: ex quo constat legem æternam non habere rationem legis propriè dictæ respectu creaturarum irrationalium; sed

Quæres 3<sup>o</sup>. *An lex æterna sit lex propriè dicta respectu creaturarum rationalium?*

*Resp.* Etiam respectu earum non fuit lex propriè & completè, donec transit in legem naturalem; ratio est, quia ipsi deerat promulgatio, quam ostendimus esse complementum essentielle legis.

Quæres 4°. *An omnes leges à lege æternâ deriventur?*

*Resp. affirm.* Ex Prov. 8. v. 15. ubi de lege æternâ dicitur: *Ter me Reges regnant*; id est, accipiunt potestatem leges condendi; & *legum conditores justa decernunt*; id est, in tantum justa præcipiunt, in quantum mihi sese conformant. *Lex Dei*, inquit D. Aug. quæst. 57. in Exod. *sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mentes, ut quod in eâ invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundum quod illâ incommutabili veritate perceperint.*

Ratio est, quia in omnibus moventibus ordinatis, virtus secundi moventis derivatur à primo; atqui lex æterna, est ratio gubernationis in supremo gubernante; ergo necesse est, quòd omnes rationes gubernationis, quæ sunt in inferioribus gubernantibus, à lege æternâ deriventur.

Quæres 5°. *Quomoda leges ab æternâ derivantur?*

*Resp.* Derivantur diversimodè, nam lex divina, ab æternâ immediate profluit; lex naturalis, mediante lumine rationis; lex humana verò, mediante potestate Principibus communicatâ ab ipso Deo.

Dices 1°. Lex æterna, non est causa exemplaris aliarum legum; ergo aliæ leges non derivantur ab illâ.

*Prob. ant.* Legislatores inferiores non possunt in legem æternam intueri; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam intuentur legem æternam in lumine naturali, Deus enim impressit hominum mentibus non obscura legis æternæ vestigia; sic per lumen naturale cognoscimus legem æternam, statuentem, v. g. Deum esse colendum, nemini faciendam esse injuriam.

*Dices 2<sup>o</sup>.* Lex humana, non derivatur à lege æternà; ergo non omnis lex derivatur ab æternà.

*Prob. ant.* Si lex humana derivaretur ab æternà, obligaret jure divino; atqui falsum conf.

*Resp. nego sequel.* Eæ enim solum leges jure divino obligant, quas Deus per se & immediatè tulit; eæ verò, quas homines, per potestatem à Deo acceptam, ferunt, obligant solum jure humano, licet mediatè obligent ex parte Dei, propter potestatem ab ipso Legislatoribus inferioribus traditam.

*Inst.* Leges humanæ sunt mutabiles; ergo non derivantur à lege immutabili.

*Resp. nego consequ.* Imò lex æterna præcipit ut leges humanæ sint mutabiles pro variis temporum, locorum, & personarum circumstantiis.

*Nota:* Ex D. Aug. lib. de verâ Relig. cap. 13. nomine legis æternæ, intelligitur veritas incommutabilis; quare hæc vox æterna, non tam durationem legis, quàm ejus necessitatem & immobilitatem ex usu significat; & ideo quamvis divinæ voluntatis decretum, in quo lex divina positiva consistit, extiterit ab æterno, non propterea lex illa dicitur æterna.



## CAPUT SECUNDUM.

*De Lege naturali.*

*Nota:* **D**ari aliquam legem naturalem constat ex Rom. 2. *Gentes quæ legem (scriptam) non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt; id est, ea quæ lex naturalis præscribit.*

Quæres 1<sup>o</sup>. *Quid sit lex naturalis?*

*Resp.* Definitur à D. Thom. 1. 2. q. 91. art. 2. *Participatio legis æternæ in rationali creaturâ, dictans & præscribens illud esse agendum, quod est intrinsecè bonum, & per se necessarium ad finem naturæ rationalis; & illud fugiendum quod est intrinsecè malum.*

Dicitur 1<sup>o</sup>. *Participatio legis æternæ*: quia illius est fulgor & radius; per quod convenit cum omnibus legibus positivis, omnes enim, si justæ sint, ab æternâ derivantur.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *In rationali creaturâ*: quia ipsi, ab auctore naturæ, imprimitur; per quod differt à legibus positivis, quarum nullum vestigium in cordibus nostris reperitur, sed sunt prorsus extrinsecæ, ut lex Missam audiendi.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *Dictans*, per lumen naturale à quo promulgatur.

Dicitur 4<sup>o</sup>. *Et præscribens illud esse agendum quod est intrinsecè bonum, &c.* quia quæ per legem naturalem præcipiuntur, vel prohibentur, non sunt bona quia præcepta, & mala quia prohibita; sed econtrâ sunt præcepta quia bona, & prohibita quia mala & naturæ rationali indecentia. Hinc lex naturalis supponit in objecto honestatem quam præcipit, & malitiam quam

prohibet, ad differentiam legis positivæ quæ necessariò non supponit, sed inducit in objectum bonitatem aut malitiam.

Dicitur 5<sup>o</sup>. *Et per se necessarium ad finem naturæ rationalis*: quia licèt id omne, quod præcipit lex naturalis, sit honestum, tamen non præcipit id omne quod est honestum, sed illud solùm, cujus ommissio dedecet naturam rationalem; & idcirco necessarium est, ut hominis vita naturæ rationali conformetur: sunt enim honesta quædam, quæ sine vitio, & naturæ rationalis dedecore, possunt omitti, qualia sunt ea quæ sunt consilii, non præcepti.

Quæres 2<sup>o</sup>. *Utrum sit aliquod discrimen inter legem naturalem, synderesim, & conscientiam?*

*Resp. affirm.* Nam lex naturalis, est ipsa ordinatio divinæ voluntatis nobis impressa; synderesis verò, est habitualis cognitio & conservatio illius ordinationis; & conscientia, est ejusdem ordinationis applicatio actualis alicui particulari hîc & nunc agibili. Porrò cum hæc discrimina sint satis metaphysica, ideò non impediunt quominus lex naturæ, synderesis, & conscientia, sæpè confundantur à Theologis.

Quæres 3<sup>o</sup>. *In quo lex naturalis differat à jure gentium?*

*Resp.* In hoc differt, quòd lex naturalis sit omnibus hominibus innata; jus verò gentium sit communi nationum consensu & usu introductum: ex quo apparet jus gentium, ad jus positivum esse reducendum, non verò ad jus naturale; licèt enim ad illud natura vehementer inclinet, est tamen præter jus naturale: v. g. secundùm jus naturale possunt dividi agri, quos

natura exposuit in communi; econtrà, jus gentium statuit, ut de facto dividantur ad vitandam negligentiam in colendis agris, ac reipublicæ perturbationem. Item jus naturale permittit, ut, inter homines, sint libera commercia; jus gentium verò id statuit, ita ut illorum impeditio; sit violatio juris gentium, & signum inimicitiae.

De lege naturali sic exposita, quærimus;  
1º. Quodnam sit illius objectum? 2º. An possit pati mutationem aut interpretationem? 3º. An possit admittere dispensationem; sequentibus quæstionibus.

### Q U Æ S T I O P R I M A.

*Quodnam sit objectum Legis naturalis?*

Quæres **Q**uænam pertineant ad legem naturæ?

1º. *Resp.* Ad legem naturæ pertinent omnia præcepta, ad quæ, ex naturâ rei & independentem à quâcumque lege positivâ, obligamur: talia sunt

1º. Universalissima principia practica, cuilibet naturaliter nota, qualia sunt ista: *Bonum est faciendum, malum est fugiendum. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: quæ non tam dicenda sunt præcepta, quàm præceptorum omnium principia.

2º. Ea præcepta, quæ ex primis principiis, per facilem & evidentem discursum deducuntur; sic ex hoc principio, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, ista concluduntur, *ergo non est occidendum, non est furandum, & cætera præcepta Decalogi, excepto tertio, de Sabbati sanctificatione, quod licet sit legis naturalis, quatenus cultum Dei præcipit, est ta-*



men legis divinæ positivæ, quatenus ad talem cultum determinat certum diem potius quam alterum.

3°. Ea præcepta, quæ ex primis principiis, nonnisi difficili, nec statim obvio discursu deducuntur; quomodo ex hoc principio, *Quod tibi fieri non vis, &c.* concluditur: *Ergo, ne divitiibus quidem, danda est pecunia ad usuram.*

*Dices:* Conclusiones remotæ à primis principiis non pertinent ad legem naturæ; ergo.

*Prob. ant.* Quod non est omnibus notum, non pertinet ad legem naturæ; atqui conclusiones, à primis principiis remotæ, non sunt omnibus notæ: ergo.

*Resp. nego maj.* Neque enim necesse est, præcepta legis naturæ esse omnibus nota, sed sufficit ut tam necessariam habeant cum primis principiis connexionem, ut independentem ab omni lege positivâ, & ex naturâ rei, vera sint, sive interim eorum veritas facile aut difficile cognoscatur.

*Prob. maj.* Quod non est ingenitum, non pertinet ad legem naturæ; sed quod non est omnibus notum, non est ingenitum; ergo quod non est omnibus notum, non pertinet ad legem naturæ.

*Resp. dist. maj.* Quod nullo modo est ingenitum, *conc. maj.* quod non est ingenitum formaliter, & in se, sed est ingenitum radicaliter, *nego maj.* atqui quod non est omnibus notum, non est ingenitum, formaliter & in se, *conc. min.* radicaliter, *nego min.* Porrò cognitio præceptorum naturalium est ingenita in primis principiis, quatenus, per viam quamdam nobis à na-

turâ inditam, affurgimus à primorum principiorum cognitione, ad conclusionum ex iis dimanantium notitiam. Ex quâ responsione

*Collig.* Legem naturalem esse in se simpliciter unam, quia licet præcepta legis naturæ sint plura, omnia tamen radicaliter continentur in primo illo & universalissimo principio, *Bonum est faciendum, & malum fugiendum*, quod est unum; undè ab unitate radice ac primi principii, lex ipsa naturalis simpliciter dicitur una.

Quæres 2<sup>o</sup>. *An actus virtutum moralium pertineant ad legem naturæ?*

*Resp. affirm.* Si spectentur secundum rationem genericam quâ sunt virtuosæ; negativè verò, si spectentur secundum proprias suas species. Ita D. Thomas 1. 2. q. 94. a. 3.

*Prob. & declaratur* responsio, hoc exemplo: Actus temperantiæ v. g. secundum suam rationem genericam, talis est, ut ad eum natura inclinet, sicque ad legem naturæ dicitur pertinere; quod autem, per abstinentiam à carnibus, & per jejunium quadragesimale debeat exerceri, hoc non est à lege naturali, sed positivâ, pendet enim ex voluntate & præcepto Ecclesiæ; ergo.

*Dices:* Omnia peccata non sunt contra naturam; ergo nec omnes actus virtutum moralium ad legem naturæ pertinent.

*Resp. dist. ant.* Non sunt contra naturam animalem, seu omnibus animalibus communem, *conc.* contra naturam rationalem, seu contra rationem, quæ est natura hominis, *nego ant.* Porro licet nefanda carnis peccata, ut sodomia, bestialitas, mollities, dicantur per antonomasiam

fiam peccata contra naturam, quia contra inclinationem naturalem, omnibus animalibus infitam, pugnant; tamen omnia peccata sunt contra naturam hominis aliquo sensu, quia omnia contrariantur rationi, quæ est natura hominis.

Quæres 3<sup>o</sup>. *An pertineat ad legem naturalem, ut actus virtutis fiat ex motivo honesto & virtuoso?*

*Resp. affirm.* cum D. Thom. ibidem: Ratio est, quia lex naturalis præcipit, ut hominis actus sint semper rectæ rationi consentanei; atqui actus virtutum, facti ex motivo pravo, non sunt rectæ rationi consentanei: cum recta ratio dicat, eum solum actum esse bonum & laudabilem, qui habet objectum legitimum, finem honestum, & circumstantias objecto debitas; ergo pertinet ad legem naturæ, ut actus virtutum fiant ex fine honesto.

*Dices:* Potest quis restituere debitum ex malo fine, facere eleemosinam ob vanam gloriam, &c. & tamen servabit reipsâ præceptum restitutionis, & eleemosinæ; ergo lex naturalis non obligat ut restitutio & eleemosina fiant ex motivo honesto.

*Resp. dist. conseq.* Lex naturalis particularis de restitutione & eleemosinâ, non obligat, &c. *conc.* intendit enim duntaxat honestatem propriam sui motivi formalis, sic præceptum de eleemosinâ intendit sublevationem pauperis. Lex naturalis generalis, obligans ad semper agendum conformiter rectæ rationi, id est ad facienda bona benè, *nego conf.*



## QUÆSTIO SECUNDA.

*An Lex naturalis possit pati mutationem aut interpretationem?*

## CONCLUSIO I.

**L***ex naturalis non potest mutari propriè, sed solum impropiè.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Legem mutari propriè, est legem desinere, vel *per se ipsam*, vel *per abrogationem, derogationem & irritationem*; atqui lex naturalis nullis his modis potest desinere.

1<sup>o</sup>. Non potest desinere *per se ipsam*. Lex enim desinit *per se ipsam*, 1<sup>o</sup>. cum lata est pro certo tantum tempore, 2<sup>o</sup>. cum de justâ, fit injusta; atqui lex naturalis, nec est lata pro certo tantum tempore, sed in perpetuum; nec potest de justâ fieri injusta, cum nihil præcipiat nisi quod est intrinsecè & ex naturâ rei bonum, nihilque prohibeat, nisi quod est intrinsecè malum; ergo non potest desinere *per se ipsam*.

2<sup>o</sup>. Non potest desinere *per abrogationem, &c.* nam Deus non potest abrogare, irritare legem æternam, cum sit indefectibilis & tam necessaria quàm ipse Deus, cui identificatur; ergo nec potest abrogare legem naturalem, quæ nihil est aliud, quàm legis æternæ fulgor & radius, eadem præscribens & vetans; quæ lege æternâ vetantur & præcipiuntur; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Mutatio impropiè dicta fit, 1<sup>o</sup>. *per additionem*: cum nempe legi nova lex superadditur; 2<sup>o</sup>. *per subtractionem materiæ*: cum nempe id quod erat materia legis naturæ, desinit esse ejusdem legis materia ob quamdam circumstantiam advenientem; atqui lex naturalis

potest mutari, 1<sup>o</sup>. per additionem, quia de facto multa præcepta illi addita sunt per leges positivas, divinam & humanam; 2<sup>o</sup>. per materiæ subtractionem, quia materia legis naturalis interdum mutari potest, in iis scilicet quæ pendent à supremo Dei dominio, & à libera hominum voluntate: sic v. g. alienum retinere invito domino, est materia legis naturalis prohibentis; at per legitimam præscriptionem desinit esse materia illius legis, quia desinit esse alienum, proindeque potest invito domino retineri.

*Dices contra iam. p.* Lex naturalis in multis fuit mutata; ergo.

*Prob. ant.* Jure naturali, homo erat liber, omnia erant communia, & tamen jure gentium est introducta honorum divisio, & servitus; item jure naturæ, valebat matrimonium solo consensu contrahentium, ac testamentum solâ donatione testatoris sine solemnitatibus, & tamen lex humana ista irritat; ergo lex naturalis in multis fuit mutata.

*Resp. dist. ant.* Prædicta sunt de jure naturali, permissivo, *conc. ant.* præceptivo, *nego ant.* Id est, jus naturale permittit quidem, ut homo sit liber, ut bona sint communia, ut matrimonium clandestinum, & testamentum sine solemnitatibus, valeant; non tamen præcipit, ut hæc ita se habeant, adeoque non prohibet, quin oppositum possit statui, ubi id exigit bonum commune; cumque statuitur, lex naturalis non mutatur proprie, sed tantum improprie, per additionem.



*Simplex interpretatio, locum habet in lege naturali, non verò epikeïa; idem dic de lege divinâ positivâ.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Interpretatio simplex, est simplex legis terminorum expositio; atqui legis naturalis termini quandoque exponi debent: sic hoc præceptum, *non occides*, exponi debet de occisione factâ auctoritate privatâ, vel extra casum justæ defensionis, cùm hi casus in universalitate legis naturalis non comprehendantur; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Epikeïa est benigna & rationalis declaratio, quâ decernitur casum aliquem particularem, ob suas circumstantias, non comprehendi lege, quamvis lata per verba generalia; ergo epikeïa locum non habet in lege, quæ non fertur per verba generalia, sed excipit omnes casus excipiendos; atqui lex naturalis non est lata per verba generalia, & excipit omnes casus excipiendos; est enim ordinatio divina, quæ præcipit omnia & singula, quæ sunt rectæ rationi consentanea, & prohibet quæ ipsi sunt dissentanea; ergo epikeïa locum non habet in lege naturali.

### QUÆSTIO TERTIA.

*An Lex naturalis possit admittere dispensationem?*

*Nota 1<sup>o</sup>.* **H**ic non quæritur, utrùm homo à præceptis legis naturalis dispensare possit; certum est enim inferiorem non posse dispensare in lege superioris.

*2<sup>o</sup>.* Non quæritur, utrùm Deus possit improprie dispensare ab iis legis naturæ præceptis, quorum



quorum materia pendet ab ejus dominio; certum est enim quod possit materiæ legis apponere vel tollere circumstantias quasdam quibus positis aut sublatis, actiones jam non sunt lege naturali prohibitæ, vel præceptæ, sed

Quæstio est, utrùm Deus, pro suo absoluto in omnia dominio, possit aliquem ab obligatione legis naturalis eximere, in casu, in quo, manentibus iisdem circumstantiis, & eâdem materiâ, lex alioqui vigeret, & de facto eos omnes obligat qui in iisdem sunt circumstantiis: circa quod fit

### C O N C L U S I O.

*Deus in nullo legis naturalis præcepto potest propriè & directè dispensare.*

*Prob.* Dispensare propriè in lege naturæ, est facere, ut persona aliqua non teneatur servare legem naturalem, in iisdem circumstantiis, in quibus eam servandi obligatio incumberebat; atqui Deus eo modo nequit legis naturalis obligationem tollere, ita ut v. g. alicui licitum sit propriâ auctoritate inimicum occidere, bona aliena, invito rationabiliter domino, surripere & retinere: nam Deus non potest facere, ut quod est intrinsecè contra rectam rationem, sit honestum & licitum; atqui, propriâ auctoritate, hominem occidere, bona aliena furari, &c. est intrinsecè contra rectam rationem; ergo Deus non potest facere, ut sit honestum & licitum, cum non possit mutare naturas rerum; ergo non potest illud permittere; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1º.* Lex naturalis vetat innocentis occisionem, furtum, fornicationem, poligamiam,

MORAL. Tom. IV.

Q

dissolutionem matrimonii, usuram, mendacium, matrimonium fratris cum sorore; atqui in his omnibus Deus dispensavit; nam 1<sup>o</sup>. Dispensavit cum Abrahamo, ut ei liceret filium occidere.

2<sup>o</sup>. Cum Israëlitis, ut Ægyptiorum vasa aurea furarentur.

3<sup>o</sup>. Cum Oseâ, ut fornicariè ad meretricem accederet.

4<sup>o</sup>. Cum veteribus Patriarchis, ut plures haberent uxores.

5<sup>o</sup>. Cum Judæis, ut secundas inirent nuptias.

6<sup>o</sup>. Cum iisdem, ut ab alienis sumerent usuras.

7<sup>o</sup>. Cum obstetricibus Ægyptiacis ut mentirentur.

8<sup>o</sup>. Cum primis hominibus, ut proprias sorores in uxores ducerent; ergo.

*Resp. dist. min.* Dispensavit impropiè, subtractâ legis materiâ, seu substrahendo actum aliquem ex materiâ legis naturalis, *conc. min.* propriè, manente legis materiâ, *nego min.* & dist. *conseq. nego conseq.* Ad facta allata respondeo.

*Ad 1<sup>um</sup>. dico* Deum, ut supremum vitæ & necis dominum, priùs dedisse Abrahamo jus in vitam filii, quàm illi præceptum de interimendo filio imponeret, & sic subtracta est materia legis naturalis, quâ ea solùm vetatur homicidii species, quæ sit auctoritate privatâ.

*Ad 2<sup>um</sup>. dico* Deum, ut supremum rerum omnium dominum, transtulisse in Israëlitas dominium eorum, quæ abstulerunt ab Ægypto; undè quod rapuerunt, non erat alienum, sed suum, sive titulo donationis divinæ, sive titulo mercedis, continuis quibus oppressi fuerant laboribus debitæ, nec hætenùs ab Ægyptiis redditæ.

*Ad 3um. dico* Deum non concessisse Oseæ, ut accederet ad mulierem meretricem antè matrimonium initum; sed præcepisse, ut eam quæ priùs fornicaria fuerat, uxorem duceret & ad eam affectu maritali accederet, in quo nihil est alienum à jure naturali.

*Nec obstat* quòd Deus dixerit Oseæ, *Fac tibi filios fornicationum*: est enim Hebraïsmus, quo designantur filii progeniti ex matre, quæ antea tota fuerat fornicationibus dedita, quomodò Exod. 7. virga Moysis in serpentem conversa, nihilominùs vocatur virga.

*Ad 4um. dico* Deum permisisse veteribus Patriarchis plures habere uxores, in quantum dominium corporis viri ab unâ uxore in plures divisit; & sic fuit tantùm mutatio materiæ, non autem propriè dicta dispensatio à lege naturali, quæ non prohibet matrimonium unius cum pluribus, quando Deus disponit de jure matrimonii in bonum universi, & impedit incommoda, quæ ex uxorum pluralitate sequi possent. De hoc plura in Tract. de matrim.

*Ad 5um. dico* Deum non permisisse Judæis, ut secundas inirent nuptias, nisi post irritatum vinculum prioris matrimonii; quod non est ampliùs contrarium juri naturali.

*Ad 6um. dico* Deum non concessisse Judæis, ut ab omnibus alienis acciperent usuras, sed ab illis, quibuscum justum bellum gerebant, quibus non fortunas modò, sed & vitam eripere potuissent; undè quod exigebant, erat suum jure belli, non alienum.

*Ad 7um. dico* Deum cum obstetricibus non dispensasse in mendacio, easque verè peccasse



mentiendo; neque Deum eas remunerasse propter mendacium, sed propter bonam intentionem quâ volebant prodesse Hebræis mulieribus, licet medium esset vitiosum.

*Ad 8um. dico* Matrimonium fratris cum sorore inter filios Adami non fuisse prohibitum jure naturæ, *compellente necessitate* propagandi genus humanum, ut ait D. Aug. l. 15. de civit. c. 16. cum enim unicus mas & foemina unica à Deo conditi fuissent, necesse fuit, ut sorores fratribus commiscerentur.

*Inst.* Quando propriè dispensatur à lege aliquâ, fit necessario mutatio materiæ; ergo ex eo quòd materia mutetur, non sequitur quòd dispensatio sit impropria.

*Resp. nego ant.* Nam in lege positivâ dispensatio fit sine mutatione materiæ: manente enim eadem materiâ, Legislatores purè & simpliciter restringit legem eadem potestate, quâ eam tulit, & unice personam subditi subducit obligationi legis; ita ut legislator, utendo potestate suâ, rebus iisdem manentibus, faciat id licere, quod antea non licebat: Deus autem, in allatis casibus, non usus est potestate Legislatoris, sed supremi Domini, qui potest dominia mutare, & transferre; undè fit, ut quando materia præcepti talis est, ut ejus honestas vel turpitudine non pendeat à supremo Dei dominio, non possit Deus, nequidem impropriè dispensare, ut patet in odio Dei, idololatriâ, & mendacio.

*Objic. 2º.* Votum & juramentum sunt juris naturalis; atqui Deus, per summum Pontificem, in iis dispensat proprie; ergo.

*Resp. nego min.* Dispensat enim tantum im-

propriè, votum & juramentum relaxando & tollendo, quâ relaxatione factâ, tollitur obligatio juris naturalis de reddendo promisso.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Lege positivâ divinâ.*

*Nota:* **L** Ex divina positiva dividitur in veterem seu Mosaicam, & novam seu Evangelicam; prima vocatur etiam *vetus testamentum*: secunda vocatur *novum testamentum*: de quibus fit

### QUÆSTIO PRIMA.

#### *De Lege veteri, seu Mosaicâ.*

*Nota:* **P**ER legem veterem strictè, intelligimus eam, quæ populo Israëlitico data est, & per Moysen in pentateucho promulgata; latè verò, intelligimus totam scripturam veteris Testamenti. De hâc lege multa compendiosè à nobis sunt expendenda; unde

Quæres 1<sup>o</sup>. *An lex vetus fuerit bona, & à Deo data?*

*Nota.* Utrumque negarunt Simon Magus, Marcionitæ, Manichæi, & Priscillianistæ, docentes duo esse prima rerum principia, alterum malum, quod fuit auctor legis veteris, quæ proinde fuit mala; alterum bonum, quod fuit auctor legis Evangelicæ, quæ proinde est bona. Hos ferit hic Concilii Toletani Canon: *Si quis dixerit esse alterum auctorem priscae Legis, alterum Evangeliorum, anathema sit*; contra quos *Resp. affirm.* Quoad utramque partem.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Ex Apost. Rom. 7. v. 12. dicente : *Lex quidem sancta , & mandatum sanctum , & justum & bonum.* Ratio est , quia illa lex fuit bona , quæ fuit regula morum , & quam Christus executioni mandavit ; atqui lex vetus fuit regula morum , omne bonum præcipiens , & omne malum prohibens , ipsamque executioni mandavit Christus , qui de se ipso dicit Math. 5. *Non veni solvere legem , sed adimplere ; ergo.*

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Ex Math. 15. v. 17. ubi Christus Scribis & Pharisæis dicit : *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram ? nam Deus dixit : honora patrem & matrem , &c.* Ergo.

#### *Solvuntur Objectiones.*

*Objic. contra 1<sup>am</sup>. p. 1<sup>o</sup>.* Illa lex erat mala ; cujus præcepta non erant bona ; atqui præcepta legis veteris non erant bona , juxta illud Ezech. 20. *Dedi eis præcepta non bona , & judicia in quibus non vivent ; ergo.*

*Resp. nego min.* Ad textum dico , illum non debere intelligi de lege veteri , aliàs non diceretur ibidem , v. 11. *Dedi eis præcepta mea , quæ faciens homo vivet in eis ;* sed debet intelligi de tyrannicis gentilium præceptis colendi Moloch per mactationem primogenitorum , quibus subdi Israëlitas permisit Deus in pœnam suæ idololatriæ ; undè addit Deus , v. 26. *Et pollui eos in muneribus suis , cum offerrent omne quod aperit vulvam :* id est , permisi eos pollui in oblationibus , quas per combustionem primogenitorum suorum , offerebant in sacrificium Moloch , de quo sacrificio Psal. 105. dicitur : *Immolaverunt filios vos & filias suas demoniis.* Porrò



præcepta illa non erant bona, sed pessima & difficillima, in quibus non vivebant Israëlitæ, quia per ea eorum posteritas, eorumque nomen occidebatur.

*Objic. 2°.* Ex Apost. Hebr. 8. *lex culpâ non vacavit; ergo.*

*Resp. dist. ant.* Lex non vacavit culpâ, sumptâ pro infirmitate & imperfectione, *conc. ant.* sumptâ pro peccato, quasi aliquid mali contineret, *nego ant.* Aliàs non vocaretur *lex sancta*, ab eodem Apost. Rom. 7. Porrò lex vetus hoc erat infirma, quod per se homines justificare & salvare non poterat.

*Inst. 1°.* 2. Cor. 3. *lex dicitur ministratio mortis, & ministratio damnationis; ergo non vacavit peccato.*

*Resp. dist. ant.* Lex est ministratio mortis, occasionaliter, *conc. ant.* per se, *nego ant.* Itaque lex vetus per accidens fuit occasio mortis, non quidem ex fine legis aut Legislatoris, quasi cupiditati fomenta præberet, sed ex parte hominis nitentis in vetitum.

*Inst. 2°.* Atqui lex vetus per se & ex fine suo, erat ministratio mortis, nam ex eodem Apost. Rom. 5. v. 20. *Lex subintravit, ut abundaret delictum; ergo.*

*Resp. nego conseq.* Particula enim *ut*, non significat causam, sed consequentiam & occasionem, ità ut sensus sit, *Lex subintravit*, undè factum est propter depravationem naturæ nitentis in vetitum, *ut abundaret delictum; sic interpretatur Cornelius à lapide, juxta illud Apostoli Rom. cap. 7. Occasione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum est in me om-*

*nem concupiscentiam; id est, homo in statu peccati, peccatum ipsum occasione legis auxit.*

*Objic. 3<sup>o</sup>. Lex vetus multa præcipiebat, aut permittebat rectæ rationi contraria; ergo.*

*Prob. ant. Lex vetus 1<sup>o</sup>. permittebat odium inimicorum, Math. 5. v. 43. Odio habebis inimicum tuum. 2<sup>o</sup>. Permittebat legem talionis, ibidem; ergo.*

*Resp. ad 1<sup>um</sup>. nego ant. Nullibi enim in lege permittitur odium inimicorum; econtrà Levit. 19. v. 17. dicitur: Non oderis fratrem tuum in corde tuo: undè hæc verba, Odio habebis inimicum tuum, dicta sunt à Scribis legem interpretantibus, & ex hoc textu Levit. 19. Diliges amicum tuum, concludentibus, ergo odio habebis inimicum tuum, in quo redarguuntur à Christo Math. 5.*

*Resp. ad 2<sup>um</sup>. Nego legem talionis esse rectæ rationi contrariam; illud enim non est contrarium rectæ rationi, quod non est fomes, sed limes vindictæ; atqui ex D. Aug. L. 12. contra Faust. c. 25. lex talionis vindictæ & furoris non fomes, sed limes est justus; prohibebat enim ne, qui ab alio læsus fuerit, asperiori uteretur vindictâ; sicque per eam rudi populo constitutus est primus lenitatis gradus, nobis verò sancita est perfectio, ut nullo modo vindicemus.*

*Objic. 4<sup>o</sup>. cum Jansenio Tom. 3. L. 1. c. 8. & Quesnello, prop. 6. & 7. Illa lex non est bona, quæ caret gratiâ ad suâ observationem necessariâ; atqui talis erat lex vetus; ergo.*

*Resp. nego min. Hominibus enim sub lege veteri constitutis, non deerat gratia, quæ licet per legem non daretur, unâ tamen cum lege confe-*

rebatur, ut docet D. Thom. q. 98. a. 2. ad 4. his verbis: *Dicendum quod quamvis lex vetus non sufficeret ad salvandum hominem, tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus, simul cum lege datum, per quod salvari poterant; scilicet fides Mediatoris, per quem justificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos justificamur: & sic Deus non deficiebat hominibus quin daret eis salutis auxilia.*

*Inst.* D. Aug. distinguit, esse sub lege, & esse sub gratiâ; ergo lex excludit gratiam.

*Resp. nego conseq.* Nam esse sub lege, est habere quidem gratiam ad legem implendam, sed hanc non habere ex vi ipsius legis; & esse sub gratiâ, est habere gratiam & quidem uberio-rem, idque vi ipsius legis gratiæ, seu legis Christi.

*Objic. contra 2am. p.* Lex vetus est à Moyse; ergo non est à Deo.

*Resp. dist. ant.* Ut legis promulgatore, *conc. ant.* ut auctore, *nego ant.* Colligitur ex Malachiæ 19. ubi Deus ait: *Mementote Legis Moysis servi mei, quam mandavi ei in Oreb.*

Quæres 2°. *An lex vetus fuerit imperfecta?*

*Resp. Fuit imperfecta negativè:* Illud enim est imperfectum negativè, quod est alio minùs perfectum; atqui lex vetus fuit lege novâ minùs perfecta: nam lex nova per se hominem justificare potest; vetus verò non potuit hominem justificare, nisi per fidem & merita Christi venturi. Undè Hebr. 7. lex vetus dicitur reprobara, *propter infirmitatem ejus & inutilitatem; ergo.*

Quæres 3°. *Quot genera præceptorum complectebatur lex vetus?*



*Resp.* Tria, nimirum moralia, cæremonialia, & judicialia, juxta illud Deut. 5. v. 31. *Loquar tibi mandata mea, & cæremonias, & judicia.*

*Præcepta moralia*, sunt ea, quæ ordinantur ad mores, juxta rectæ rationis normam, componendos, continenturque in duabus Decalogi tabulis: in primâ tabulâ, scripta sunt præcepta, quæ Deum respiciunt; in secundâ, quæ proximum spectant; quæ omnia licet sint juris naturalis, (exceptâ determinatione diei Sabbati) legi tamen veteri tribuuntur, eò quòd in eâ renovata fuerint, & exterius promulgata.

*Præcepta cæremonialia*, sunt ea, quibus certi ritus, ad Dei cultum ordinati, præscribuntur; tales sunt Sacrificiorum, Sacramentorum, & Festivitatum leges.

*Præcepta judicialia*, sunt ea, quibus præscribitur modus justitiæ & æquitatis inter Judæos servandæ.

Quæres 4°. *An lex vetus directè præcepit actus internos?*

*Resp. affirm.* Nam amor Dei ex toto corde, ex totâ animâ, pœnitentia interna, rerum alienarum concupiscentia, sunt actus interni; atqui lex vetus præcipit amorem Dei *ex toto corde*, Deut. 6. pœnitentiam internam, juxta illud Levit. 16. *Affligetis animas vestras*: prohibet ne quis concupiscat ea quæ sunt alterius; ergo.

*Dices*: Lex vetus Rom. 3. dicitur, *Lex factorum*; atqui non est lex factorum, nisi quia præcipit actiones tantummodò externas; ergo.

*Resp. nego min.* Ibi enim Apostolus opponit legem veterem legi novæ, non in quantum nova internos, vetus verò externos tantum actus

prohibet; sed in quantum lex vetus continet præcepta, lex autem nova auxilium & vires ad implenda præcepta: lex vetus dat lucem, ut sciamus: lex nova dat virtutem, ut faciamus.

*Inst.* Si lex vetus actus internos fidei, spei & charitatis præcepisset, ex operibus legis homines potuissent justificari; falsum conseq. ex Apost. Rom. 3. v. 20. dicente: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro*; ergo,

*Resp. nego maj.* Nam licet lex vetus imperaret actus internos, non tamen dabat vires ad illos eliciendos; gratiæ enim, quæ dabantur in illâ lege, non dabantur vi illius legis, sed ex fide in Christum venturum.

Quæres 5<sup>o</sup>. *Quosnam obligaverit lex vetus?*

*Resp.* Solos Judæos: nam illos solos obligabat lex vetus, quibus data est; atqui solis Judæis data est, juxta illud Deut. 4. v. 8. *Quæ est alia gens sic inclÿta, ut habeat cæremonias & justa judicia?* Et Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Potuerunt tamen Gentiles illam legem amplecti, & adjungere se populo Judaïco, per susceptionem Circumcisionis, ut expressè concedebatur in Scripturâ Exod. 12. quamvis sine eâ absolute potuissent salvari, nempè servando legem naturalem per auxilium gratiæ, cum fide saltem implicitâ in Christum.

*Nota:* Gentiles præceptis moralibus fuerunt subditi, non tamen vi legis scriptæ, sed vi solius legis naturalis; & ideò non subiciebantur pœnis temporalibus à lege scriptâ latis contra prævaricatores, putà contra idololatrias, blasphemos, adulteros, &c.

*Dices* : Si lex vetus solos obligaverit Judæos ; peior eorum fuit conditio , quàm Gentilium , qui sine intolerabili legis jugo , salvari poterant ; falsum conseq.

*Resp. nego sequel. maj.* Peior enim conditio non est repetenda à præceptorum multitudine , sed ab impedimentis salutis , quæ longè majora fuere in Gentilibus , quàm in Judæis , quos lex arctius conjungebat Deo , & ad Christum uti pædagogus conducebat.

Quæres 6°. *Quis fuerit finis legis veteris ?*

*Resp. 1°.* Finis proximus legis veteris fuit institutio populi Israëlitici circa seipsum per præcepta moralia ; circa Deum , per præcepta cæremonialia ; circa proximum , per præcepta judicialia.

*Resp. 2°.* Finis legis remotus , & à Deo principaliter intentus , fuit spiritualis & supernaturalis felicitas populi Israëlitici , tùm in hac vitâ , per morum sanctitatem , tùm in alterâ , per beatitudinem æternam : est contra Jansenium l. I. de grat. c. 8. & l. 3. c. 5.

*Prob. Ex Script. Psal. 118. v. 8. Lex Domini immaculata , convertens animas ; & infrà de mandatis dicitur : In custodiendis illis retributio multa ; eaque non temporalis tantùm , sed & æterna , juxta illud Christi Math. 19. v. 17. Si vis ad vitam ingredi , serva mandata ; ergo.*

Quæres 7°. *An lex vetus abrogata sit ?*

*Resp.* Legem veterem esse abrogatam quoad omnia præcepta , tùm cæremonialia , tùm judicialia , tùm moralia. Est 1°. contra Cerinthum & Ebionem , qui legem Mosaicam perpetuò duraturam docuerunt ; 2°. contra quosdam Scho-



lafticos, qui docent ipsam non esse abrogatam quoad præcepta moralia.

Probat nostram responsionem Apost. Hebr. 8. v. 13. ex hoc textu Jer. 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Juda fœdus novum, non secundum pacium, quod pepigi cum patribus eorum... dicendo autem novum, addit Apostolus, veteravit prius; quod autem antiquatur & senescit, propè interitum est.* Atqui pactum, quod Deus pepigerat cum patribus Judæorum, præcepta moralia maximè complectitur; dicit enim: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti: non habebis deos alienos, &c.*

Et verò ex eodem Apost. Hebr. 7. v. 12. *Translato Sacerdotio, necesse est legis translatio fiat;* atqui Sacerdotium Aaronicum penitus & absolute translatum fuit & abrogatum; ergo & lex Mosaïca. Undè Apostolus Rom. 6. v. 14. Romanis dicit absolute & sine ullâ exceptione: *Non enim sub lege estis, sed sub gratiâ.*

*Dices* 1°. Lex vetus fuit in æternum duratura, ut patet ex Baruch. 4. v. 1. *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum;* ergo.

*Resp. nego consequ.* Nam ex Apost. ad Gal. 3. v. 19. lex Mosaïca lata erat tantum, *donec veniret semen, id est, Christus.* Undè eodem sensu lex vetus vocatur æterna, quo omnes leges dicuntur perpetuæ, quia sunt lætæ, 1°. ad longum tempus, 2°. sine certo termino in ipsâ legis promulgatione definito.

*Inst.* Christus Math. 5. v. 17. dicit: *Non veni solvere legem, sed adimplere;* ergo legem Mosaïcam non abrogavit.

*Resp. nego conseq.* Sensus enim textûs hic est: *Non veni solvere*, id est, violare *legem*, quam tamen abrogavit, suam legem ei substituendo.

*Dices 2°.* Præcepta judicialia non præfigurabant Christum; ergo per adventum Christi non sunt abrogata.

*Resp. nego conf.* Nam ex Apost. ad Gal. 5. obligatio legis oritur ex circumcissione; ergo obligatione circumcissionis cessante, cessat obligatio totius legis. Non nego tamen, quin Ecclesia plura ex præceptis judicialibus sumpserit, eaque Christianis imposuerit, quæ consequenter eos obligant, sed vi legis Ecclesiasticæ, non vi legis Mosaicæ.

*Dices 3°.* Tenemur adhuc observare præcepta Decalogi; ergo lex vetus non fuit abrogata quoad præcepta moralia.

*Resp. dist. ant.* Tenemur, vi legis naturalis & Evangelicæ, *conc. ant.* vi legis Mosaicæ, *nego ant.* Sicut ergo Judæi, qui violabant præcepta Decalogi, prævaricatores erant in legem naturalem & Mosaicam; ita Christiani, qui ea transgrediuntur, prævaricatores sunt in legem naturalem & Evangelicam.

*Quæres 8°.* *Utrum lex vetus abrogata ac mortua fuerit ante mortem Christi?*

*Resp. negat.* Nam illa lex non fuit abrogata ante mortem Christi, quam Christus servavit, & servari usque ad mortem præcepit; atqui Christus 1°. legem servavit; nam circumcisus est, pascha comedit, & omnia Judæorum festa celebravit. 2°. Legem servari præcepit; nam Math. 8. leproso sanato præcepit adire Sacerdotem, & munus lege Moïsis præscriptum

offerre ; & Math. 23. dixit : *Super Cathedram Moïsis sederunt Scribæ & Pharifæi : omnia ergo quæcumque dixerint vobis , servate & facite ; ergo.*

*Dices 1º.* Math. 11. v. 13. dicitur : *Omnes Prophetæ & Lex usque ad Joannem prophetaverunt ; ergo lex vetus cessavit , quando Joannes-Baptista prædicare cœpit.*

*Resp. nego conseq.* Sensus enim textûs est , vel quòd Lex & Prophætæ usque ad Joannem prædixerunt Christum esse venturum ; Joannes verò ipsum præsentem ostenderit dicens : *Ecce Agnus Dei , &c.* vel quòd lex usque ad Joannem fuerit sana , ex quo autem venit Joannes , ægrotare cœperit , paulò post moritura.

*Dices 2º.* Ex Apoft. ad Galat. 3. v. 19. *Lex posita est , donec veniret semen , id est , Christus ; ergo lex desiit in adventu Christi.*

*Resp. dist. conseq.* Desiit esse sana in adventu Christi , *conc.* desiit esse vivens & obligatoria , *nego conseq.* Porrò lex usque ad Christi adventum in robore fuit : Christo adveniente ægrotavit , non tamen ante Christi mortem mortua fuit.

*Inst.* Atqui adveniente Christo , lex mortua fuit ; ergo.

*Prob. subsf.* Lex cujus præcepta sunt falsa & superstitiosa , est mortua & abrogata ; atqui legis Mosaicæ præcepta , post adventum Christi , erant falsa ac superstitiosa ; ergo.

*Resp. nego min.* Aliàs non tantùm mortua , sed & mortifera fuisset.

*Prob. min.* Præcepta legis significabant Christum venturum ; ergo statim atque Christus venit , præcepta legis cœperunt esse falsa & superstitiosa.



*Resp. dist. ant.* Significabant Christum absolute venturum, *nego ant.* Christum redemptorem venturum, *conc. ant.* quapropter non simul atque Christus advenit, abolita fuerunt, sed simul atque Christus per mortem complevit redemptoris officium.

*Dices 3°.* Baptismus fuit præceptus ante mortem Christi; ergo inutilis tunc fuit Circumcisio, & consequenter lex ipsa, quæ non potuit legitime observari, nisi à circumcisis.

*Prob. ant.* Baptismus fuit ante mortem Christi institutus; ergo præceptus.

*Resp. nego conseq.* cum D. Thom. 3. p. q. 66. a. 2. dicente: *Necessitas utendi hoc Sacramento indicta fuit homini post passionem & resurrectionem, tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia Sacramenta, quibus succedit Baptismus, & alia Sacramenta novæ legis; tum etiam quia per Baptismum configuratur homo passioni & resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, & incipit novæ justitiæ vitam; & idè oportuit Christum prius pati & resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti & resurrectioni Christi.* Hinc licet post institutum Baptismum, Circumcisio non fuerit amplius necessaria, necessitate mediæ ad salutem; erat tamen necessaria, necessitate præcepti, & utilis ad consignandum populum Dei, quæ consignatio erat proprius Circumcisionis effectus.

Quæres 9°. *Quandonam ergo lex vetus, fuerit abrogata?*

*Nota:* D. Thom. Vasquez, Gonet, Paulus à Lugduno, &c. censent legem veterem fuisse abolitam in ipsâ Christi morte; econtrà Scotus, Gabriel,

Gabriel, Suarez, &c. docent ipsam non fuisse abrogatam ante festum Pentecostes, in quo lex Evangelica solemniter promulgata est: quam utramque sententiam ut conciliemus

*Resp.* Lex vetus abrogata est secundum se in ipsâ Christi morte; at non fuit abrogata quoad vim obligandi, nisi in festo Pentecostes, in quo lex Evangelica sufficienter fuit promulgata.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Tunc lex fuit abrogata secundum se, cum Sacerdotium Aaronicum translatum fuit, & novum conditum, juxta illud Heb. 7. v. 12. *Translato Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat*; atqui Sacerdotium Aaronicum fuit translatum, & novum conditum, cum Christus, novus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, seipsum Patri in cruce obtulit, juxta illud Hebr. 10. v. 9. *Aufert primum, (Sacerdotium, seu Sacrificium) ut sequens statuat*; ergo.

*Confirm.* Ex Sanctis Patribus, qui hanc vocem Christi mox spiritum emissuri, *Consummatum est*, de legis veteris abrogatione interpretantur. *Dominus dixit, consummatum est*, ait D. Thom. q. 103. a. 3. ad. 2. *& ided tunc totaliter debuerunt cessare legalia, quasi jam veritate eorum consummata*; in cujus signum in passione Christi, velum Templi legitur esse scissum, ut docet D. Aug. Serm. 124. de Temp. his verbis: *Velum Templi scinditur, quia synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur.*

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Lex vetus non prius desiit obligare, quam lex nova cœperit obligare, juxta illud Ephes. 2. *Legem mandatorum decretis (Evangelicis) evacuans*; atqui lex nova non cœpit obligare, nisi in die Pentecostes: nam lex nova

non priùs cœpit obligare , quàm fuerit sufficienter promulgata , promulgatio enim est de essentiâ legis ; atqui lex nova non fuit sufficienter promulgata , nisi in die Pentecostes , quando *Petrus , stans cum undecim , levavit vocem suam & locutus est eis ; viri Judæi & qui habitatis Jerusalem universi , hoc vobis notum sit ; & auribus percipite verba mea . . . . pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrùm in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum , & accipietis donum Spiritûs sancti . . . qui receperunt sermonem ejus , baptisati sunt ,* Act. 2. ergo lex nova non cœpit obligare , nisi in die Pentecostes ; ergo.

*Dices :* Lex quæ abrogata est , non obligat ; ergo si lex vetus in ipsâ Christi morte abrogata sit , non potuit deinceps obligare.

*Resp. nego ant.* Cujus falsitas patet ex civilibus ; nam licèt lex in consilio Principis sit secundùm se , seu radicaliter abrogata , servat tamen vim obligandi , & eisdem parit effectus , donec abrogatio promulgata sit : ac proindè viguit remedium contra peccatum originale , quandiù novum Testamentum non fuit promulgatum ; Testamentum enim priùs per promulgationem aperiri debet , quàm operetur.

*Inst.* cum Gonet. de Lege veteri , c. 9. §. 3. Communis est sanctorum Patrum sententia , & præcipuè DD. Hieronimi & Augustini , in suis de legibus epistolis , legem veterem in ipsâ Christi morte , mortuam esse ; atqui si non desisset tunc obligare , non posset dici mortua ; ergo.

*Resp. dist. min.* Non posset dici mortua , quoad obligationem & effectum , *conc.* non posset dici mortua , secundùm se , *nego min.* Et



certè illa lex penitus mortua dici nequit, per  
cujus operationem justificabantur infantes; atqui  
ex ipso Gonetio, *quandiu permansit bonitas legis  
veteris, & non fuit mortifera, pueri Judæorum  
recipientes Circumcisionem, à peccato originali  
justificabantur; illique, qui bonâ fide legem illam  
observabant, salvabantur; ergo nec ipse Gonetus  
strictè & ad litteram urgere debet Patres, sed  
tantum ad sensum nostræ responsionis, aliò qui  
& sibi ipsi nocerent.*

Quæres 10°. *An lex vetus statim atque inuti-  
lis ac mortua evasit, evaserit etiam mortifera?*

*Nota 1°. Aliud est legem esse mortuam, aliud  
esse mortiferam. Dicitur mortua eò ipsò præ-  
cisè quòd tollitur ejus vis & obligatio, ita ut  
licitum sit eam non observare. Dicitur verò  
mortifera, eò quòd non possit amplius absque  
peccato observari; circa quod*

*Certum est 1°. Præcepta moralia non esse mor-  
tua, nec mortifera, cum teneamur ea observare,  
non quidem vi legis Mosæicæ, quæ cessavit obli-  
gare; sed vi legis naturalis, quæ semper durat.*

*Certum est 2°. Præcepta judicialia veteris le-  
gis, esse quidem mortua, non tamen mortife-  
ra, undè si quis Princeps, ait D. Thom. q.  
104. a. 3. ordinaret in regno suo illa judicialia  
observari, non peccaret. Ratio est, quia præcep-  
ta judicialia non ordinantur, nisi ad politicam  
utilitatem; ergo ad eundem usum acceptari  
possunt ab iis, qui potestatem habent conden-  
darum legum.*

Quæstio ergo unice movetur de præceptis  
cæremonialibus, quæ ut solvatur.

*Nota 2°. Acris fuit S. Hieronimum inter &  
R ij*

S. Augustinum circa legalia contentio, in eo quod S. Hieronimus contenderet legalia fuisse mortifera statim atque fuere mortua, ac proinde nemini licuisse serio ac sincerè, hoc est ad Dei cultum & honorem, legis cæremonialia observare; ex quo

Inferebat 1°. Apostolos cæremonias legis fictè tantùm & simulatoriè usurpasse, ut per talem simulationem Judæos facilius ad legem Evangelicam adducerent.

Inferebat 2°. nec Cepham peccasse simulando Judaïsmum, nec à Paulo sincerè, sed simulatoriè tantùm fuisse reprehensum, utrumque autem per suam simulationem voluisse aliis prodesse; Cepham quidem Judæis, quorum cæremonias usurpabat; Paulum verò Gentilibus, ne putarent cæremonias legis ad salutem esse necessarias. Ita D. Jeronim. Epist. 11. inter Augustinianas.

S. Augustinus econtrà legalia post passionem Christi mortua quidem fatebatur, sed negabat statim mortifera fuisse; undè

Inferebat 1°. Apostolos, ex animo pio ac sincero, post mortem Christi, legalibus cæremoniis usos fuisse.

Inferebat 2°. Cepham verè & sincerè à Paulo fuisse reprehensum, quia verè reprehensibilis erat; imò asserit Cepham verè peccasse, non quidem mortaliter, sed venialiter tantùm, ex defectu scilicet attentionis debitæ ad scandalum quod prævidere debuit oriturum ex suo legalium usu, & ex suâ præposterâ in Judæos conversos œconomiâ; ut colligitur ex Epist. 13. Aug. ad Jeron.

*Lex vetus antè fuit mortua , quàm mortifera ; undè licitum fuit , aliquandiu post ejus abrogationem , eam observare , quamvis non fuerit necessarium.*

*Prob. Efficaciter ex facto Apostolorum , qui pro loco & tempore , œconomia causâ , sed non ex necessitate salutis , aliquos ritus cæremoniales usurparunt , iis in locis , ubi jam lex Mosaïca desierat obligare , factâ jam sufficienti legis Evangelicæ promulgatione : sic D. Petrus , Act. 10. v. 14. testatur se nunquam manducasse omne commune & immundum ; ergo hastenùs abstinerat à cibis per legem vetitis ; sic D. Paulus Act. 16. v. 3. Timotheum , ex matre Judæâ & patre Gentili natum , circumcidit propter Judæos , qui erant in illis locis ; item Act. 18. v. 18. observavit cæremonias Nazaræorum ex voto ; & Act. 21. v. 24. de consilio Jacobi Apostoli & seniorum , sese purificavit cum Judæis , & cum iis in templum ingressus est , juxta legis præscriptum , ut eos sibi conciliaret. Tandem Act. 15. v. 29. in Concilio Jerosolymitano , Apostoli congregati statuerunt , ut Christiani abstinerent à sanguine & suffocato , quæ abstinencia erat una è cæremoniis legalibus ; ergo Apostoli non judicarunt mortiferam tunc fuisse observantiam legis antiquæ , statim ac mortua fuit ; ergo.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1º. cum D. Hieronymo. Apostoli fictè tantùm & simulatoriè usurparunt legalia ; ergo ex eorum agendi ratione , non potest colligi ea non fuisse mortifera.*



*Resp. nego ant.* 1°. Quia nunquam licet mentiri, etiam ad honestum finem, atqui illa simulatio fuisset verum mendacium; ergo. 2°. Quia nunquam licet superstitioso cultu, etiam simulatoriè uti; sic non licet coram idolo thus incendere, etiam sine animo colendi idolum; atqui illa simulatio fuisset superstitiosus cultus, nec minus peccassent Apostoli cultum Judæorum adhibendo, quàm si ritus Gentium simulatoriè observassent, ut eos faciliùs lucrarentur. 3°. Quia per se malum est alios, suo exemplo inducere ad peccandum; atqui si Apostoli simulatoriè legalia, alioquin in se mortifera, servassent, alios suo exemplo ad peccandum induxissent, quod de iis, in gratiâ confirmatis, dicere nefas est.

*Inst.* 1°. D. Petrus simulatoriè tantùm à Gentilium mensâ recessit; ergo.

*Prob. ant.* Ex S. Paulo, qui factum Petri vocat simulationem: *Et simulationi ejus, inquit, consenserunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem;* ad Galat. 2. v. 13.

*Resp.* Supposito, non concesso, quod iste Cephas fuerit Petrus, *dist. ant.* Vocat simulationem formalem, quasi Cephas observaverit legalia animo simulandi, *nego ant.* vocat simulationem materialem, hoc sensu, quòd Cephæ ratio agendi minùs cauta, Gentilibus suspicionem injiceret, legalia esse ad salutem necessaria, *conc. ant.* & *nego conseq.* Solutio est D. Thomæ 1. p. q. 103. a. 4. ad 2.

*Inst.* 2°. Apostoli non potuerunt observare seriò ritus falsos; atqui post promulgatum Evangelium, legalia erant falsa; ergo.

*Prob. min.* Ritus qui significabant Christum venturum, fuerunt falsi post promulgatum Evangelium; atqui legalia significabant Christum venturum; ergo.

*Resp. dist. maj.* Fuerunt falsi, si eo fine ut Christum præfigurarent, usurpati fuerint, *conc. maj.* si alio fine legitimo, *nego maj.* atqui legalia significabant Christum venturum, & ea ad hunc finem usurparunt Apostoli, *nego min.* ad alium finem legitimum, *conc. min.* porro finis Apostolorum, legalia observantium, erat ut Synagoga cum honore sepeliretur, & ne, si subito reprobarentur legis cæremoniæ, viderentur damnari ut malæ, & quasi ejusdem generis cum superstitionibus Gentilium.

*Inst. 3º.* Ergo si olim legalia bono fine post Christi mortem observari potuerint, nunc quoque possunt observari; falsum consequens.

*Resp. nego sequelam:* Nunc enim Synagoga, dilatato Evangelio, cum honore sepulta est, & nulla necessitas exigit, ut ritus ejus observentur; ergo nunc sunt mortiferi.

*Objic. 2º.* Quod tollit fructum passionis Christi, est mortiferum; atqui legalium observatio tollit fructum passionis Christi, juxta illud Apost. ad Gal. 5. v. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit;* ergo.

*Resp. 1º. dist. min.* Legalium observatio, quæ adhibetur tanquàm necessaria ad salutem, *conc. min.* quæ adhibetur tanquàm licita, *nego min.* & sic ad consequens. Itaque Apostolus hic insurgit adversus Galatas, qui à Judæis tibus seducti, existimabant Circumcisionem &

alia legalia non tantum esse licita, sed & necessaria ad salutem, ita ut lex Evangelica, sine illis, non sufficeret ad justificationem; quod est hæreticum.

*Resp.* 2<sup>o</sup>. *dist. iterum min.* Legalium observatio tollit fructum Passionis Christi, si à gentibus ad fidem conversis usurpentur, *conc.* à Judæis, *nego.* Itaque observatio legalium per aliquod tempus post Christi Passionem solis Judæis, vel Judæorum filiis ad fidem Christianam conversis, non autem gentilibus qui fidem amplexi fuerant, indulta est. Quare Apostolus ipse, qui Act. 16. ut vitaret scandalum Judæorum, circumcidit Timotheum, qui erat filius mulieris Judææ; non circumcidit Titum, qui erat filius patris & matris gentilium.

Quæres 11<sup>o</sup>. *Quo ergo præcisè tempore lex vetus evaserit mortifera?*

*Resp.* Evasit mortifera quadragesimo circiter post Christi mortem anno, cum eversum fuit à Tito & Vespasiano, Imperatoribus Romanis, templum Jerosolymitanum.

Ratio est 1<sup>o</sup>. quia jam sufficienter Evangelium toto orbe erat promulgatum, ut docet Apost. Coloss. 1. v. 6. *Pervenit ad vos, Evangelium, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & crescit, &c.*

2<sup>o</sup>. Quia tunc non erat amplius necessarium deferre honorem Synagogæ penitens sepultæ & extinctæ, aut diuturniori œconomia uti cum Judæis tandiù divinæ vocationi rebellibus.

*Dices:* Diutissime post templi Jerosolymitani everfionem, abstinencia ab immolatis simulachrorum & sanguine, & suffocato, observata fuit; ergo.



*Resp. dist. ant.* Fuit observata, vi legis Mo-  
saicæ, *nego ant.* vi Apostolicæ, seu Ecclesiasti-  
cæ constitutionis, *conc. ant.* Non potuit equi-  
dem Ecclesia eas cæremonias servare, quibus  
servatis, ipsam Moysis Religionem servari ne-  
cesse erat, ut sunt Sacrificia, Sacramenta, &c.  
sed potuit quosdam leviores ritus legis, prop-  
ter graves rationes, adoptare in lege novâ,  
vique legis novæ servandos; v. g. vestes, va-  
sa, abstinentiam ab idolothitis & suffocato, &c.

## Q U Æ S T I O S E C U N D A.

### *De Lege Evangelicâ.*

*Nota 1º.* **L** Ex nova describi potest: *Lex per se justificativa, à Christo condita, ab Apostolis die Pentecostes promulgata, & ad finem mundi duratura.*

Dicitur 1º. *Lex*, quia est ordinatio, facta à Deo, summâ ratione, ad finem ultimum supernaturalem, cum intentione obligandi, ita ut quisquis ab ipsâ deficit, prævaricationis reus constituatur.

Dicitur 2º. *Per se justificativa*: tum formaliter per gratiam sanctificantem; tum causaliter & dispositivè per gratias actuales prævenientes & adjuvantes, quibus possibile & suavia redduntur ea, quæ de se dura, & supra naturæ vires essent.

Dicitur 3º. *A Christo condita*: ut designetur causa efficiens, juxta illud Joan. I. v. 17. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est*, non uno, & eodem tempore, sed successivè: nam Baptismus institutus est

initio prædicationis Christi ; Eucharistia , prædiè quàm pateretur ; Pœnitentia & plura alia , post resurrectionem ; undè non fuit integrè condita , nisi circa Christi ascensionem.

Dicitur 4°. *Ab Apostolis promulgata die Pentecostes* , à quo cœpit obligare , non quidem omnes homines simul , sed primò eos qui audierunt ejus authenticam promulgationem , & deindè successivè alios , ad quos pervenit per prædicationem Apostolorum , ità ut , communiter loquendo , Judæos priùs , deindè Gentiles obligaverit , juxta illud Pauli ad Judæos Synagogæ Antiochenæ , Act. 13. v. 46. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei ; sed quoniam repellitis illud , & indignos vos judicatis vitæ æternæ , ecce convertimur ad gentes ; sicut enim præcepit nobis Dominus , &c.*

Dicitur 5°. *Ad finem mundi duratura* ; juxta illud Math. 24. v. 14. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe , in testimonium omnibus gentibus , & tunc veniet consummatio , nempe sæculi.*

*Nota* 2°. De lege Evangelicâ sic expositâ , quæritur 1°. an sit vera lex ; 2°. in quo conveniat & differat à lege veteri.

## ARTICULUS I.

*An Lex Evangelica sit vera lex ?*

**N**Egat Lutherus , lib. de libert. Christ. dicens : *Nullò opere , nullâ lege homini Christiano opus est , cum per fidem sit liber ab omni lege.* Negat pariter Calvinus , in c. 2. Epist. ad Gal. sic exclamans : *O miserabilem inscitiam ! O perniciosum errorem prædicantium Christum tanquàm*

*novum legislatorem ! quasi veterem Judæorum legem abrogaveri , ut novam Christianis hominibus imponeret. Contra quos fit*

## CONCLUSIO.

*Lex Evangelica , est vera lex.*

*Prob. Illa lex est vera , quæ continet præcepta , ad bonum communitatis ordinata , & in perpetuum servanda ; atqui lex Evangelica est talis , dicente Christo Joan. 14. v. 21. Qui habet mandata mea , & servat ea , ille est qui diligit me. Et Math. 28. v. 19. Euntes docete omnes gentes , baptizantes eos . . . . docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Undè Christus Isai. 33. v. 22. promittitur , ut Dominus Legifer noster , Dominus Rex noster ; ergo.*

Hinc , jure merito errorem Novatorum procripsit Concilium Tridentinum, sess. 6. tribus sequentibus Canonibus.

Can. 19. *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem , cætera esse indifferentia , neque præcepta , neque prohibita , sed libera : aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos ; anathema sit.*

Can. 20. *Si quis , hominem justificatum & quantumlibet perfectum , dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ , sed tantum ad credendum , &c. anathema sit.*

Can. 21. *Si quis dixerit , Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem , cui fidant ; non etiam ut Legislatorem , cui obediant , anathema sit.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1º. Illud Joan. 1. Lex per Moysen data*



*est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est; ergo lex non est data per Christum.*

*Resp. nego consequ.* Non enim ideò gratia dicitur per Christum facta, lex verò per Moysen data, quòd Christus nullam legem tulerit; sed quia Moyses dedit Judæis nudam legem sine gratiâ, id est, legem præcipientem, sed non juvantem: Christus verò dedit nobis legem cum gratiâ, id est, legem præcipientem & adjuvantem, quam ob rem vocatur ab Apostolo, *Lex fidei*, Rom. 3. *Lex Spiritus*, Rom. 8. & à Christo, *Jugum suave & onus leve*, Math. 11. v. 30.

*Inst.* Rom. 6. v. 14. dicitur: *Non estis sub lege, sed sub gratiâ*; ergo lex non est data per Christum.

*Resp. dist. ant.* Non estis sub lege Mosâicâ, quæ præcipiebat, *non concupisces*, & non juvabat ad vincendam concupiscentiam, *conc. ant.* sub lege Christi, quæ, cum sit gratia ipsa, juvat interiùs, & corroborat ad præstandum id quod lex jubet, *nego ant.* Hinc Apostolus concludit peccatum nobis non dominaturum, quia nempè non sumus *sub lege, sed sub gratiâ.*

*Objic. 2º.* Ex Apost. 2. Cor. 3. v. 17. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*; ergo lex Evangelica, est lex libertatis à lege.

*Resp. dist. ant.* Ibi libertas, à timore servili & à jugo legis veteris, *conc.* ab omni præcepto, *nego ant.* Hic enim Apostolus libertatem & spiritum amoris Christianorum opponit servituti & timori servili Judæorum.

*Inst. 1º.* Atqui ubi Spiritus Domini, ibi libertas à lege; ergo.

*Prob. subs.* Ex eodem Apost. ad Gal. 5. v. 18. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege; ergo.*

*Resp. dist. ant.* Non estis sub lege, cogente & terrente, *conc. ant.* sub lege, obligante & suaviter movente ad implenda ea quæ lex jubet, *nego ant.* nam non sumus sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante: sed sumus sub gratiâ, quæ id quod lex jubet, faciens nos amare, potest liberis imperare, ait Aug. lib. de continentia, cap. 3.

*Inst.* 2<sup>o</sup>. 1. ad Timoth. 1. v. 9. dicitur: *Lex justo non est posita, sed injustis; ergo saltem iusti sunt immunes ab omni lege.*

*Resp. nego conseq.* Alias idem Apost. non hortaretur fideles ad obedientiam, his verbis: *Admone illos Principibus & Potestatibus subesse,* ad Tit. 3. v. 1. & *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis,* Hebr. 13. v. 17. Sensus ergo est lege minaci & pœnas intentante non opus esse justo, qui spontè facit bonum & honestum quod lex imperat.

*Colliges,* libertatem Evangelicam consistere in immunitate, tum à peccato per spiritum gratiæ; tum ab erroribus & ignorantia tenebris; tum ab onerosâ servitute legalium cæremoniarum & iugo legis Mosaicæ; nullatenus verò consistit in immunitate à lege, quam utiquè commendat.

Quæres: *Quotuplicis generis sunt præcepta novæ legis?*

*Resp. triplicis:* Moralia scilicet, Sacramentalia, & Fidei, inter quæ illud est discrimen.

1<sup>o</sup>. Quòd præcepta moralia, cum sint de lege naturæ, non sunt à Christo instituta, sed

tantum confirmata, explicata, & ab erroribus, quibus ex malitiâ hominum obvoluta fuerant, vindicata.

2°. Quod præcepta fidei non sunt etiam de novo instituta, cum antiqui non salvarentur, nisi per fidem in Christum venturum; sed tantum clarius explicata, ita ut explicitè teneamur credere fidei mysteria, quæ in lege veteri solum implicitè credebantur.

3°. Quod præcepta Sacramentalia sunt à Christo de novo instituta, ut sint loco veterum quæ sunt ab ipso abrogata; unde ab his solis potest dispensare Christus.

*Dices:* Lex nova debet etiam continere præcepta judicialia; ergo allata divisio non est adæquata.

*Resp. nego ant.* Nam Christus, nec voluit temporalem exercere jurisdictionem, cum dicat Joan. 18. v. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo;* nec civilem rempublicam condidit, sed spirituales, cujus regimen spirituale est, & ad finem spirituales & supernaturales conducit.

*Inst.* Ecclesia, cum sit visibilis, indiget regimine politico visibili; ergo & præceptis judicialibus.

*Resp. dist. conseq.* Indiget præceptis judicialibus, quæ Christus ipse per se immediate statueret, *nego conseq.* quæ vicariis suis Episcopis statuenda permetteret, *conc. conseq.* Ratio est. quia cum Ecclesia constet ex omni natione quæ sub cælo est, & fuerit diversa diversis temporibus illius conditio, debuit quoque, pro diversitate nationum & temporum, diversas



leges politicas singulis imponere ; quod faciliùs & connaturaliùs fieri poterat ab Episcopis , illuminante ac dirigente interiùs Spiritùs sancti gratiâ ; & ideò illis Christus , pro suâ infinitâ sapientiâ , hanc curam commisit.

ARTICULUS II.

*In quo lex Evangelica conveniat & differat à lege veteri ?*

Quæres 1<sup>o</sup>. **I**N quo lex vetus & nova conveniant ?

*Resp.* Conveniunt 1<sup>o</sup>. in eo quòd utraque fuerit promulgata in die Pentecostes , Mosaïca quidem in monte Sinâ , Evangelica verò in monte Sion , juxta illud Isaïæ 2. v. 3. *De Sion exibit Lex , &c.*

2<sup>o</sup>. In eo quòd in neutrâ possit fieri dispensatio , nisi per auctoritatem à Deo acceptam , quam potestatem nemini mortalium contulit , ut constat ex alto Scripturæ & Traditionis , circa hanc potestatem , silentio.

Quæres 2<sup>o</sup>. *In quo lex vetus & nova differant ?*

*Resp.* In hoc differunt 1<sup>o</sup>. quòd lex Mosaïca fuerit scripta in tabulis lapideis ; Evangelica verò non fuerit , per se scripta , sed vivâ voce denuntiata exterius , & interiùs per abundantem Spiritùs sancti gratiam altè intculpta cordibus audientium , ut testatur Apost. 2. Cor. 3. v. 3. dicens : *Epistola estis Christi ministrata à nobis , & scripta non atramento , sed spiritu Dei vivi ; non in tabulis lapideis , sed in tabulis cordis carnalibus , juxta hanc Jeremiæ prophe-*

tiam: *Dabo legem meam in visceribus eorum & in corde eorum scribam eam.* Cap. 31. v. 33.

Dixi: *Non est scripta per se*, id est, causâ promulgationis, quia quoad unam suâ partem, nempe quoad præcepta, fuit scripta *per accidens*, nimirum ex occasione, vel describendi Christi vitam & acta Apostolorum, vel instruendi fideles per Epistolas, vel errores Hæreticorum refellendi.

2°. Quòd lex Mosaïca fuerit lex timoris & fervorum; Evangelica verò sit lex amoris & filiorum. *Hæc est apertissima differentia duorum Testamentorum, timor & amor*, ait D. Aug. l. adversus Adamant. c. 17.

3°. Quòd lex vetus fuerit umbra legis novæ; nova autem, veteris perfectio & complementum.

4°. Quòd lex nova habeat vim justificandi, non verò lex vetus, quæ non justificabat, nisi per fidem Christi, qui est auctor novi Testamenti, juxta illud Apost. 1. Cor. 10. v. 4. *Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Undè D. Thom. q. 107. a. 1. ad 2. asserit illos, qui in veteri Testamento habuerunt gratiam Spiritûs sancti & charitatem, secundum hoc pertinuisse ad legem novam.

## CAPUT QUARTUM.

### *De Lege humanâ.*

Nota 1°. **L** Ex humana est rationis ordinatio, stabilis, ad bonum publicum condita, promulgata ab homine qui curam communitatis

*nitatis politicæ, vel Ecclesiasticæ habet, cum intentione obligandi subditos.* Hujus definitionis explicatio repetenda est ex dictis suprâ Dissert. 1. cap. 1 ubi definitionem legis in communi exposuimus.

*Nota* 2°. Hic agendum habemus, 1°. de naturâ; 2°. de variis speciebus; 3°. de cessatione legum humanarum, triplici quæstione.

## QUÆSTIO PRIMÆ.

*De naturâ legum humanarum.*

**I**N hac quæstione expendemus, 1°. an & quibus hominibus competat potestas condendi leges. 2°. Quæ sit materia legum humanarum. 3°. Qualis esse debeat illarum promulgatio. 4°. An ad illarum valorem requiratur acceptatio. 5°. Quinam humanis legibus teneantur. 6°. Quæ sit formalis legum humanarum obligatio.

## ARTICULUS I.

*An, & quibus hominibus competat potestas ferendi leges?*

*Nota.* **H**OMINES potestatem legislativam habere negavit olim Wicleffus, & post ipsum Lutherus lib. de captivitate Babil. contra quos sit

## CONCLUSIO I.

*Principes sæculares, sive boni, sive mali, habent potestatem condendi leges civiles.* Est de fide definitum in Concilio Constantiensi, sess. 8. & 15. contra Wicleffum.

*Prob.* 1°. Ex Script. Christus legem de tributis, ab Ethnico Principe latam, servari mandat, dicens, Luc. 20. v. 25. *Reddite quæ sunt*



*Cæsaris, Cæsari. 1. Petr. 2. v. 13. Subditi estote, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis. Et ne quis dicat Apostolum loqui de bonis Regibus tantum, subdit: Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Et Paulus Rom. 13. v. 1. indefinitè dicit: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo; ergo.*

*Prob. 2<sup>o</sup>. ratione: Rectores communitatis perfectæ gaudent potestate legislativâ, omninò necessariâ ad ea permanenter statuenda, quæ bonum commune promovere possunt, & ad omnes in officio continendos, juxta illud Prov. 11. Ubi non est gubernator, corrueat populus. Atqui Principes sæculares sunt rectores communitatis perfectæ; ergo.*

*Dices 1<sup>o</sup>. Jac. 4. v. 12. Unus est legislator & judex, nempe Deus; ergo.*

*Resp. dist. ant. Deus unus est legislator, primarius & per propriam auctoritatem, conc. ant. secundarius & per auctoritatem à Deo participatam, nego ant. ait enim Sapiens Prov. 8. v. 15. Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.*

*Dices 2<sup>o</sup>. Potestas legislativa non potest esse in Principibus sæcularibus, nisi ex speciali concessione Dei; atqui non est in illis ex speciali Dei concessione, nam de eo nullam habemus revelationem; ergo.*

*Resp. nego min. & ejus prob. Satis patet revelatio in textibus allatis. Itaque quòd familiæ diversæ in perfectam coalescant communitatem, hoc habent primitus ex communi consensu &*

conventionē. Pariter quòd hanc potius quàm aliam habeant regiminis formam, ex communi venit consensu & conventionē. Qui autem eliguntur in communitatis Imperatores, Reges, Duces, Rectores, Principes, &c. potestatem legislativam non ab ipsâ communitate, sed à Deo supremo naturæ totius auctore ac Domino accipiunt: ita ut homines, inquit Suares & Cajetanus, quasi disponant materiam, & efficiant subjectum capax potestatis legislativæ; Deus autem quasi tribuat formam, potestatem hanc conferendo. Hinc aiebat Paulus Rom. 13. v. 1. *Non est potestas nisi à Deo . . . qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

Quæres: *Quis leges civiles ferre possit?*

*Resp.* Id possunt Imperatores, Reges, Principes supremi, qui superiorem non agnoscunt, quocumque jure, vel hæreditario, vel electivo, Regnum aut Imperium obtineant: idem dicendum de Regina, quæ jure hæreditario talis est; de Comitibus generalibus cujuslibet regionis, vel civitatis, quæ est sui juris. Ratio est, quia omnes supradicti habent curam communitatis perfectæ.

## C O N C L U S I O I I.

*Prælati Ecclesiæ habent potestatem ferendi leges Ecclesiasticas.* Est de fide, definitum in Concilio Trid. sess. 7. can. 8. de Baptismo.

*Prob.* Ex Script. Illi habent potestatem ferendi leges Ecclesiasticas, qui à Deo acceperunt potestatem regendi fideles ad finem supernaturalem; atqui Prælati Ecclesiæ acceperunt à Deo potestatem regendi fideles: de Petro enim dicitur Math. 16. v. 19. *Tibi dabo claves Regni*

*cælorum, &, quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis, &c.* & de omnibus Apostolis, eorumque successoribus Episcopis, dicitur Act. 20. v. 28. *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; & Math. 18. v. 18. Quaecumque alligaveritis super terram, &c.* Ergo.

*Confirm.* Ex traditione & praxi Ecclesiæ, quæ ab Apostolorum tempore ad nos usque, tali potestate semper usæ est; sic in Concilio Jerosolymitano Act. 15. edita est lex, quâ Gentes ad fidem conversæ, justæ sunt abstinere à suffocato & idolotitis. Sic I. Tim. 3. Apostolus legem condidit, quâ vetitum est, ne Bigami & Neophiti ad Episcopatum assumerentur. Sic in omnibus Conciliis generalibus & provincialibus constitutæ sunt leges ad componendos fidelium mores, ad fidem & Ecclesiasticam disciplinam conservandam; ergo.

*Dices:* Deut. 12. v. 31. dicitur: *Quod præcipio tibi hoc tantum facito, nec addas quidquam aut minuas;* ergo non licet aliqua addere præcepta præceptis divinis.

*Resp. dist. conseq.* Non licet præceptis divinis alia præcepta, præceptis divinis contraria, addere, *conc. conseq.* alia præcepta, divinis præceptis non contraria, *nego conseq.* Aliàs Christus, Prophetæ, Judæi, qui quasdam leges divinæ legi addiderunt, peccassent; quod nemo dicit.

*Inst. 1º.* Lex Evangelica sufficit ad salutem; ergo potestas legislativa frustra Ecclesiæ esset concessa.

*Resp. nego conseq.* Quia lex Evangelica inclu-



dit in suo objecto leges Ecclesiasticas & civiles, quatenus eas auctoritate suâ firmat, & præcipit eis subesse.

*Inst.* 2°. Christus Marc. 7. v. 7. damnat leges humanas dicens: *In vanum me colunt, docentes præcepta hominum; ergo.*

*Resp. nego ant.* Evidens est enim Christum, eò loci, reprobare traditiones Phariseorum, quibus irritum faciebant mandatum Dei; addit enim: *Relinquentes mandatum Dei, tenetis traditionem hominum.*

Quæres 1°. *Quinam possunt ferre leges Ecclesiasticas?*

*Resp.* Multi leges Ecclesiasticas ferre possunt, & quidem

1°. S. Pontifex, qui immediatè à Christo potestatem ferendi leges Ecclesiasticas pro universâ Ecclesiâ, accepit, juxta illud Joan. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*: quibus verbis Petro subiciuntur omnes fideles, etiam Apostoli, & Episcopi per *oves* designati.

2°. Concilium generale, à summo Pontifice approbatum, eâdem gaudet potestate; cum universam exhibeat Dei Ecclesiam.

3°. Cardinalium collegium, sede Apostolicâ vacante, potest condere leges tantummodò provisionaliter, dum nempè disciplinam Ecclesiasticam tuendi gravis urget necessitas; sic post mortem Fabiani Papæ, Clerus Romanus provisionaliter statuit, ut lapsi in mortis periculo Eucharistiâ donarentur, etsi necdum totum poenitentiae suæ cursum explevissent.

4°. Concilia nationalia pro totâ natione, provincialia pro totâ provinciâ.

5°. Episcopus pro suâ Diœcesi , licèt nondùm consecratus , modò sit confirmatus ; insuper requiritur in Galliâ , ut Episcopatus sui possessionem , sivè per se , sivè per procuratorem inierit , alioquì perseverat jurisdictione Capituli , ut sede adhuc vacante.

6°. Legati summi Pontificis , in territorio suæ legationis ; Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum ; Generales , Provinciales Ordinum & Abbates pro suis inferioribus : ratio est , quia gaudent jurisdictione quasi Episcopali , cui annexa est potestas condendi leges. Hæc certa sunt , verùm

Quæres 2°. *An Episcopi habeant immediatè à Christo potestatem condendi leges Ecclesiasticas ?*

*Resp. affirm.* Quia Episcopi , suppositâ electione legitimâ & confirmatione summi Pontificis , habent , vi promissionis Christi , potestatem gubernandi Diœceses suas ; ut patet ex Script. Joan. 20. v. 21. ubi Christus dixit Apostolis & eorum successoribus : *Sicut misit me Pater , & ego mitto vos.* Et Math. 18. *Quæcumque alligaveritis , &c.* Hinc cùm Apostolus majores natu Ecclesiæ vocasset Act. 20. v. 28. sic ipsos monuit : *Attendite vobis & universo gregi , in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos , regere Ecclesiam Dei ;* ergo.

*Dices :* Potestas legislativa Episcoporum derivatur immediatè à summo Pontifice ; ergo non à Christo.

*Prob. ant.* Summus Pontifex Diœceses distribuit , conjungit , dividit ; item Episcoporum potestatem extendit , limitat , causas graviores sibi reservat & subtrahit Episcoporum jurisdictioni , ut constat ex usu & praxi Ecclesiæ ; ergo.

*Resp. nego conseq.* Ex antecedente enim sequitur tantum, quod Episcopi suam jurisdictionem in foro exteriori accipiant cum dependentiâ & subordinatione ad summum Pontificem, cui soli Christus contulit jurisdictionem in universâ Ecclesiâ, cum ipsi dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Pæſce oves meas.*

*Inst. 1º.* Nullum extat exemplum talis dependentiæ in aliis rebus à Christo immediatè institutis, ut eas inferior mutare possit aut impedire quoad valorem & efficaciam, ut patet in potestate baptisandi, confirmandi, ordinandi, &c. ergo.

*Resp. esto ant. nego conseq.* Neque enim opus est exemplo, ubi habetur aliunde sufficiens probatio, qualis hîc habetur ex Scripturâ & praxi Ecclesiæ.

*Dixi, esto ant.* Quia hujus subordinationis exemplum habemus in Apostolis, qui acceperant immediatè à Christo jurisdictionem, & quidem universalem in totâ Ecclesiâ, & tamen acceperant cum subordinatione ad Petrum.

*Inst. 2º.* Decet ea omnia, quæ sunt à Christo immediatè instituta, manere immutabilia; ergo si potestas Episcopalis esset à Christo immediatè, esset immutabilis.

*Resp. dist. ant.* Manere immutabilia, si non sint mutationi subjecta, *conc. ant.* si sint subjecta mutationi, *nego ant.* Porro jurisdictio Episcopalis, per suam institutionem, est subjecta mutationi, non directè, sed indirectè; quatenus positâ vel sublatâ designatione personæ, ponitur vel tollitur jurisdictio, auctâ & imminutâ



designatione territorii , augetur vel imminuitur jurisdictio. Et in hoc præstat Episcoporum jurisdictio jurisdictioni quasi-Episcopali etiam ordinariæ quorundam Abbatum , quòd hæc sit immediate à summo Pontifice , à quo proinde directè & pro arbitrio tolli potest aut mutari ; illa verò sit à Christo , nec tolli possit aut mutari , nisi indirectè & ex gravi causâ.

*Inst. 3<sup>o</sup>.* Ex hac opinione sequitur regimen Ecclesiæ non esse monarchicum ; falsum conseq.

*Prob. maj.* Regimen monarchicum postulat , ut omnis jurisdictio , quæ est in inferioribus , derivetur ab uno supremo gubernatore ; ergo.

*Resp. dist. ant.* Ut derivetur , vel directè , vel indirectè , *conc. ant.* directè semper , *nego ant.* Porro perfectio monarchici regiminis in hoc consistit quòd sit efficacius aliis regiminum formis ad bonum commune procurandum ; at si vè potestas omnis inferiorum sit directè ab uno supremo Principe , si vè indirectè , regimen perindè efficax est ad finem illum obtinendum ; ergo utroque modo perfectum est.

*Inst. 4<sup>o</sup>.* Innocentius I. in Epist. ad Conc. Carthag. dicit à Petro ipsum Episcopatum & totam auctoritatem hujus nominis emerxisse ; ergo jurisdictio Episcopalis à summo Pontifice directè confertur.

*Resp. nego conseq.* Et dico illam & similes auctoritates , intelligendas esse de collatione & derivatione indirectâ ; quatenus nemo habet jurisdictionem Episcopalem à Christo , nisi prius à summo Pontifice , aut ex ejus consensu tacito vel expresso , factâ designatione & electione ejus personæ. Quod sufficit ut Episcopi in suis Di-

plomatibus profiteantur se, *Dei gratiâ & sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate*, Episcopos esse talis, vel talis loci.

## ARTICULUS II.

*Quænam sit materia Legum humanarum?*

*Nota:* **C**ertum est 1<sup>o</sup>. materiam legum humanarum debere esse quid honestum, vel saltem quid indifferens referibile ad bonum commune, ut delatio, vel depositio armorum.

*Certum est* 2<sup>o</sup>. propriam legum civilium materiam, esse bonum communitatis temporale; propriam verò legis canonicæ materiam, esse bonum communitatis spirituale; quia nec Principibus laïcis concessa est potestas Ecclesiam regendi, licet eam omni opere tueri & protegere debeant; nec Ecclesiæ Pastoribus, præcisè sumptis, datum est à Christo regna moderari.

His tanquam certis præsuppositis, duo hîc disputari solent; 1<sup>o</sup>. an lex humana possit præcipere actus internos? 2<sup>o</sup>. an modus finisque legis cadant sub præcepto?

§. I. *An Lex humana possit præcipere actus internos?*

*Nota* 1<sup>o</sup>. Actus internus potest spectari, ut purè internus, talis est oratio purè mentalis; vel ut conjunctus cum actu externo.

Porro, actus internus potest esse conjunctus cum actu externo duobus modis; 1<sup>o</sup>. *Per se & intrinsecè*, cum nempe necessarius est, ut actus externus, vel sit humanus, id est, ut fiat voluntariè & deliberatè; vel sit moralis, id est,

bonus vel malus ; 2°. *Per accidens & extrinsecè*, cum nempe actus externus, ab interno separatus, non definit esse humanus, vel moralis ; sic in oratione factâ ad obtinendam peccatorum remissionem, intentio remissionis peccatorum, est accidentaliter conjuncta cum oratione.

*Nota* 2°. Præcipere actum internum *directè*, est illum præcipere ratione sui ; præcipere actum internum *indirectè*, est illum præcipere ratione actus externi, cui conjungitur. His positis sit

### C O N C L U S I O I.

*Lex humana civilis potest indirectè præcipere actus internos, per se conjunctos cum actibus externis ; non potest verò præcipere actus merè internos, nec eos qui per accidens tantum sunt conjuncti cum actibus externis.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Qui habet potestatem præcipiendi *directè* aliquid, habet etiam potestatem *indirectè* præcipiendi illud, sine quo non potest subsistere ; atqui lex civilis habet potestatem *directè* præcipiendi actum externum, qui absque actu interno subsistere non potest : Princeps enim civilis potest *directè* præcipere juramenti præstationem, bonorum venditionem ; atqui juramentum & venditio non possunt subsistere absque interno voluntatis, consentientis & intendenti actu ; ergo Princeps civilis habet potestatem præcipiendi actum externum, qui absque interno actu subsistere non potest ; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Nulla potestas præcipere potest, nisi ea quæ necessaria sunt ad assequendum finem ad quem instituta est ; atqui actus merè interni, aut illi qui accidentaliter tantum cum exterioribus sunt connexi, non sunt necessarij ad



finem potestatis civilis : nam finis potestatis civilis est conservatio pacis & tranquillitatis Reipublicæ ; atqui actus merè interni , aut illi qui accidentaliter tantùm cum exterioribus sunt connexi , non sunt necessarii ad pacem & tranquillitatem Reipublicæ conservandam ; ergo.

### CONCLUSIO II.

*Lex Ecclesiastica potest præcipere , 1º. actus internos per se conjunctos cum exterioribus ; 2º. actus internos per accidens cum exterioribus conjunctos ; imò 3º. probabilius potest præcipere actus merè internos.*

*Prima pars probata manet ex superiori propositione , & ex damnatione harum prop. 1a. Qui facit confessionem voluntariè nullam , satisfacit præcepto Ecclesiæ. 2a. Præcepto communionis annuæ satisficit per sacrilegam Dominici corporis manducationem : 1a. damnata est ab Alex. VII. 2a. ab Innoc. XI. ergo verè ab Ecclesiâ præcipi possunt actus interni , nimirum contritio , status gratiæ , &c. sine quibus actus externi non possunt esse moraliter boni ; ergo.*

*Prob. 2a. p. Ecclesia præcipere potest , & de facto sæpius præcipit , ut fideles Deum exorent ad pacem inter Christianos Principes obtinendam ; atqui hæc intentio est actus internus , accidentaliter conjunctus cum actu externo ; ergo.*

*Prob. 3a. p. quæ debet intelligi de lege Ecclesiasticâ prout directivâ , non autem prout coactivâ : Omnis lex præcipere potest quidquid conducit ad finem , ad quem instituta est ; atqui actus merè interni maxime conducunt ad salutem æternam , quæ est finis proprius legis Ecclesiasticæ ; ergo eos præcipere potest ; ergo.*

Hinc 1°. Concilium Trid. in præmio sessionis 6. exponit doctrinam de justificatione , *distric- tiùs inhibendo , ne deinceps audeat quisquam aliter credere . . . quàm præsentì decreto statuitur ac declaratur* : credere autem est actus merè inter- nus ; ergo.

Hinc 2°. Clemens XI. in Bullâ , *Vineam Do- mini Sabaoth* , ubiquè acceptatâ , definiit quem- libet districtè teneri damnatum in quinque pro- positionibus Jansenianis sensum , non ore dun- taxat , sed & corde ac interiùs rejicere , nec aliter posse satisfieri Apostolicis contra Jansenium Constitutionibus ; ergo.

Respondent adversarii Ecclesiam prohibere *aliter sentire* aut *credere* , quia id jam à lege di- vinâ vetitum est : undè non suo , sed Christi nomine , cujus est Vicaria , prohibet ; sed

*Contra est 1°.* Quia eadem auctoritate pro- hibet Ecclesia *aliter sentire* aut *credere* , quâ pro- hibet *aliter docere & prædicare* ; atqui propriâ auctoritate , à Deo acceptâ , prohibet aliter do- cere & prædicare , licèt id à lege divinâ sit jam vetitum ; ergo. Debent ergo adversarii fateri eandem rem duplici lege posse imperari , aut prohiberi.

*Contra est 2°.* Quia *posset Ecclesia cæco & muto, de eâdem benè merito , beneficium conferre , injun- gendo , ut in compensationem Horarum , preces quasdam mentales effunderet* , ait Tournely , hîc ; ergo potest præcipere actum merè internum , quem lex divina non præcipit.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1°.* De iis Ecclesia non potest ferre leges , de quibus non potest judicare ; atqui

non potest judicare de actibus merè internis ; ergo.

*Resp. nego maj.* Ecclesia enim, in foro contentioso, non potest judicare de actibus externis omninò occultis, juxta hanc Innocentii III. cap. 33. de Simoniâ, definitionem: *Ecclesia non judicat de occultis.* Et cap. 34. *Nobis datum est de manifestis tantummodò judicare ; & tamen ab illâ verè prohibentur.* Ergo ad præcipiendum, & obligandum in conscientiâ, non necesse est, ut Legislatores possit cognoscere transgressionem factam ; sed sufficit, ut reverà velit præcipere, seu obligare : nam hoc ipso culpæ & pœnæ reatus contrahitur *apud districtum judicem, qui scrutator est cordium & cognitor secretorum*, addit Innocentius III. hæc autem obligatio satis urget impletionem præcepti, aliàs lex naturalis non esset vera lex.

*Inst. 1º.* Vis directiva legis, non potest separari ab ejus vi coactivâ ; ergo Ecclesia de iis non potest ferre legem, de quibus non potest judicare, in foro contentioso.

*Prob. ant.* Lex inutilis, non est vera lex ; atqui lex, cujus vis directiva separaretur à coactivâ, esset inutilis ; ergo.

*Resp. nego min.* Aliàs lex esset inutilis respectu actuum externorum occultorum ; ut ergo lex sit utilis, sufficit ut homines, ad id quod justum est possit dirigere, obligando eos sub culpâ à Deo puniendâ.

*Inst. 2º.* Ecclesia non habet jurisdictionem in actus internos ; ergo non potest eos præcipere.

*Resp. dist. ant.* Non habet jurisdictionem in actus internos, immediate, *conc. ant.* mediante



personâ, nego ant. Ergo eo ipso quo persona sensibilis est, actus etiam insensibiles eidem præcipi possunt.

*Objic. 2º. D. Thom. 1. 2. q. 91. art. 4. docet: De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare. Judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent; sed solum de exterioribus actibus, qui patent; ergo.*

*Resp. nego consequ. Ibi enim D. Thom. nihil aliud intendit, nisi quòd ad sufficienter ordinandos, cohibendosque actus interiores, præter humanam legem, necessaria sit lex divina; id patet tum ex titulo articuli, qui sic est: Utrum fuerit necessarium, esse aliquam legem divinam; tum ex contextu, qui post verba objecta, habet: Et idèd lex humana non potuit cohibere & ordinare sufficienter interiores actus; sed necessarium fuit, quòd ad hoc superveniret lex divina: quia scilicet actus purè interni humanâ lege solum prohiberi, vel præcipi possunt sub culpâ coram Deo incurrendâ, quam si quis interius non curaverit, nec fateri voluerit, humanâ potestate convinci nequit, nec puniri, sed quoad hoc, dimitti debet iudicio Dei. Ex hoc autem non magis consequens est, Ecclesiam ad actus internos obligare non posse, quàm ipsam obligare non posse sub reatu æternæ damnationis, ex eo quòd eam per se infligere non possit, sed duntaxat per adiutorium Dei, cujus vices gerit.*

*Inst. D. Thom. 2. 2. q. 104. a. 5. ait: In iis quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo. Tenetur autem homo homini obedire in iis quæ exterius per corpus sunt agenda; ergo.*

*Resp. dist. textum*: In iis quæ &c. homo non tenetur homini obedire, quoad vim coactivam in foro contentioso, *conc.* quoad vim præceptivam, vel coërcitivam in foro purè interno, *nego ant.* Quòd hic sensus sit D. Thomæ proprius, patet, tum quia ibidem ad 3. dicit quòd *Religiosi obedientiam profitentur quantum ad regularem conversationem, secundum quam suis prælatis subduntur*; regularis autem conversatio plurimum Regularium, est conversatio interna cum Deo, seu vita contemplativa, ut constat ex regulâ Benedictinorum, Carthusianorum, Carmelitarum, &c. ergo votum obedientiæ in illis, extenditur ad interiores actus contemplationis. Tum quia doctrina D. Thomæ non est contraria doctrinæ Ecclesiæ; atqui doctrina est Ecclesiæ, quòd inferior subjiciatur Superiori quoad internos actus, ut constat ex his prop. Michaëlis Molinos, damnatis ab Innoc. XI. 65. *Præpositis obediendum est in exteriori, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodò exterius pertingit. In interiore verò aliter res se habet, quo solus Deus & director intrant.* Item 66. *Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesiâ Dei, quòd anima, quoad internum, gubernari debeat ab Episcopo . . . . quia Ecclesia non judicat de occultis.*

§. II. *Utrum modus, finisque legis cadant sub præcepto?*

*Nota* 1<sup>o</sup>. Per modum legis, intelligimus ea, quæ actui sunt necessaria, ut per eum verè lex adimpleatur. Quare quærimus utrum ad satisfaciendum legi necesse sit, 1<sup>o</sup> ut actus fiat scienter

& voluntariè ; 2<sup>o</sup>. ut fiat ex intentione legis implendæ ; 3<sup>o</sup>. ut fiat propter finem honestum.

*Nota* 2<sup>o</sup>. Per finem legis, intelligimus finem extrinsecum, seu finem à Legislatore intentum ; nulli enim dubium est, quin finis intrinsecus, cum sit ipsa res præcepta, cadat sub præcepto, & debeat intendi. Undè

Quæres 1<sup>o</sup>. *An modus legis, ut quis agat scienter & voluntariè, cadat sub præcepto ?*

*Resp. affirm.* Nam quod per legem præcipitur, non potest impleri, nisi per actum humanum ; atqui actus non est humanus, nisi fiat scienter & deliberatè ; ergo.

*Resolv.* Præcepto audiendi Sacri non satisfacit, qui ebrius aut dormiens Sacro interest ; sicut nec qui ipsi interest omninò invitus, ita ut nolit attendere & reipsâ non attendat ad Sacrum.

Quæres 2<sup>o</sup>. *An modus legis, ut quis agat cum intentione implendæ legis, cadat sub præcepto ?*

*Resp.* Vel lex est negativa, vel affirmativa : si sit negativa, talis modus non cadit sub præcepto ; cadit verò si sit affirmativa.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Per legem negativam prohibetur unicè, ne quis sciens aut volens faciat id quod est prohibitum, v. g. ne quis furetur ; atqui sine intentione legis implendæ, potest quis non facere sciens & volens, id quod per legem prohibetur ; ergo.

*Resolv.* Qui non furatur, quia non cogitat de furto, tam implet præceptum non furandi, quàm qui non furatur, quia cogitat furtum esse prohibitum.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Ex communi axiomate : *Actus hominum non operantur ultra intentionem eorum ;*  
ergo



ergo, ut qui legis satisfaciatur, necesse est, ut agat ex intentione legis implendæ.

*Resolv.* 1º. Qui audit Missam, nolens positivè satisfacere præcepto, illi non satisfacit 2º. Qui audit Missam eo die quem festivum novit, sed non vult præcepto satisfacere, quia vult eidem satisfacere per alteriùs Missæ, putà solemnis, auditionem, non satisfacit præcepto; sed

*Petes: Quænam intentio satisfaciendi præcepto requiratur, ut ei satisfiat?*

*Resp.* Requiritur & sufficit intentio interpretativa. Ratio est, quia lex non præcipit, ut eliciatur actus quatenus est præceptus, sed solum ut eliciatur voluntariè; ergo ut satisfiat legi, sufficit intentio interpretativa ei satisfaciendi; hæc autem intentio continetur in voluntate actum præceptum exequendi, quæ non excludat intentionem implendi legem.

*Resolv.* Qui ignorans, vel non advertens ad diem festum, Missam audit devotè, satisfacit præcepto, nec aliam tenetur audire postquam resciverit esse diem festum.

*Quæres 3º. An modus legis, ut quis agat ex fine honesto, cadat sub præcepto?*

*Resp.* Cadit sub præcepto legis Ecclesiasticæ, non verò legis civilis.

*Prob. 1ª. p.* Quia Ecclesia præcipit actus ad salutem æternam conducentes; sed actus hominis ad hunc finem conducere nequeunt, nisi fiant propter finem honestum & virtuosum; ergo.

*Resolv.* Clericus, qui divinum celebrat Officium principaliter propter retributionem temporalem, præcepto non satisfacit, imò mortaliter peccat, ut docet D. Thomas, quodl. 8. a. 11.

Dixi tamen, *principaliter* : quia si talis pravus finis se tantum concomitanter habeat ad celebrationem Officii, præcepto Ecclesiæ satisfacit : hinc qui devotè recitat Officium ex motivo religionis, licèt ad id moveatur ex appetitu retributionis temporalis, præcepto Ecclesiæ satisfacit.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Quia potestas civilis præcipit tantum actus ad externum regimen politicum conducentes; atqui actus ad hunc finem conducere possunt, etiam si non fiant propter finem honestum & virtuosum; ergo.

*Resolv.* Miles fortiter pugnans ex vanâ gloriâ, implet præceptum Ducis, licèt peccet contra legem naturalem, quæ præcipit, ut bonum benè fiat.

Quæres 4<sup>o</sup>. *Utrùm finis legis extrinsecus, seu à Legislatore intentus cadat sub præcepto?*

*Resp.* Vel finis legis extrinsecus præcipitur à Legislatore, vel non præcipitur. Si 1<sup>um</sup>. tunc cadit sub præcepto, ut patet ex terminis; undè qui hunc finem non intenderet, non satisfaceret præcepto, licèt rem præceptam exerceret ex alio motivo honesto. Si 2<sup>um</sup>. non cadit sub præcepto, quia tunc solùm præcipitur voluntaria operis executio.

Hinc qui jejunit, satisfacit præcepto jejunii, licèt non intendat macerationem corporis, quia hæc intentio non præcipitur ab Ecclesiâ.

### ARTICULUS III.

*Qualis esse debeat promulgatio legum humanarum?*

*Nota.* **C**ertum est 1<sup>o</sup>. leges Imperiales non priùs obligare, quàm in singulis provinciis fuerint promulgatæ; imò non obligare

in provinciis, ubi promulgatae sunt, nisi post elapsum bimestre à die promulgationis; id enim sancitum est authenticâ 66. Justiniani, *Ut factae novae constitutiones*; quæ juris dispositio valet pro Principibus Imperatori subditis, cum teneantur servare jus commune Imperii, hæc enim conditione Principatum acceperunt.

*Certum est* 2. Reges & Principes, Imperatori non subditos, non teneri authenticæ citatæ se conformare; quare sufficit, ut eorum leges promulgentur in uno loco, ex quo ad alia loca possint commodè divulgari, nisi aliud ipsi statuerint, vel nisi consuetudo legitimè præscripta obstet. Ratio est, quia talis promulgatio ex naturâ rei sufficit ad obligandum subditos.

Porro in omnibus fere Regnis usus invaluit, ut novæ leges in omnibus provinciis promulgentur, nec aliter singulas provincias obligent; sic in Galliâ leges Regiæ non prius obligant quàm relatæ fuerint in Actis supremarum Curiarum, ait Ferriere, *Introd. à la pratique*, v. Ordonnance; ex quo notat Paulus à Lug. nonnullas leges gallicanas, defectu illius specialis promulgationis robur obtinere in unâ provinciâ, quòd non habent in alterâ.

Supereft ergo inquirendum, an Pontificiæ leges non prius in singulis Regnis ac Provinciis obligent, quàm in illis promulgatae fuerint? negant Itali, docentes sufficere promulgationem factam in Curia. Econtrà, *omnes fere Galli, Germani, & Hispani: qui quæstionem illam attigerunt, necessariam esse per singulas Provincias legis Ecclesiasticæ promulgationem contendunt*, ait Illustr. de Marcâ, l. 2. de concord. Sacerd. & Imperii, c. 15.



*Leges Pontificiæ non antè obligant , quàm in singulis provinciis promulgatæ fuerint.*

*Prob.* Leges civiles non ante obligant , quàm in singulis provinciis promulgatæ fuerint , ut statuit Justinian. ergo nec leges pontificiæ. Dùm enim in Jure Canonico , nihil circa quidpiam statutum est , servandum est Jus civile , ut definiit Lucius III. c. I. *de novi operis renuntiat.* his verbis : *Sicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari , ità & Sacrorum statuta Canonum principum constitutionibus adjuvantur.* Atqui , circa legum Canonicarum promulgationem in singulis provinciis faciendam , nihil statutum est in Jure Canonico ; ergo , circa eandem , standum est Juri civili ; ergo cùm , &c.

*Confirm.* 1<sup>o</sup>. Ex constanti Ecclesiæ praxi , quæ semper suarum legum promulgationem summâ sollicitudine ac diligentiam fieri curavit. Sic Apostoli decretum in Concilio Jerosolymitano Act. 15. editum , miserunt his qui erant *Antiochiæ , & Syriæ , & Ciliciæ* , per *Judam & Silam viros primos in fratribus.*

Sic Concilium Lateran. IV. statuit ut Constitutio , quam ediderat contra medicos corporum , qui non monent infirmos , ut quamprimùm ad medicos animarum recurrant , robur habeat , *postquam per Prælatos locorum fuerit publicata.*

Sic Concilium Trid. sess. 24. de ref. Matrim. *Ordinariis omnibus præcipit , ut cùm primùm potuerint , curent hoc decretum , quo matrimonia clandestina irritantur , populo publicari , & explicari in singulis suarum diœcesum Parochialibus*

*Ecclesiis . . . decernit insuper ut hujusmodi decretum in unâquaquâ Parochiâ suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eâdem Parochiâ factæ, numerandos.*

*Confirm. 2º.* Quia etiam Romæ pro validis habentur matrimonia clandestina, quæ in iis locis contracta sunt, ubi Concilium Tridentinum nondum fuit promulgatum.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1º.* Canones fidei & morum, in Conciliis conditi, obligant, etiam in iis provinciis, in quibus non fuerunt promulgati; ergo leges canonicæ non indigent promulgatione in singulis provinciis factâ.

*Resp. dist. conseq.* Leges canonicæ, spectantes fidem & mores, *conc. conseq.* spectantes disciplinam, *nego conseq.* Ratio disparitatis est, quòd definitiones fidei & morum nihil novi contineant, sed sint meræ juris naturalis & divini, jam sufficienter promulgati, declarationes; undè eis adhærendum est statim ac certò cognoscuntur, sive promulgationis viâ, sive aliâ quacunque ratione cognoscantur; econtrâ leges ad disciplinam spectantes, aliquid novi continent, quod non eodem modo omnibus locis convenit, & ideò pro locis omnibus non feruntur necessario; ergo tamdiù incertum est, an pro hâc, vel illâ provinciâ ferantur, donec in eâ promulgatæ sint.

*Inst.* Atqui leges canonicæ, disciplinam spectantes, non indigent promulgatione in singulis provinciis; ergo.

*Prob. subsf.* Multi Canones juris canonici habent vim legis in Galliâ; atqui tamen ibi non fuerunt promulgati; ergo.

*Resp. dist. min.* Non fuerunt promulgati, formaliter, *conc. min.* virtualiter, *nego min.* Porro duobus modis leges canonicæ virtualiter promulgantur in Galliâ; 1°. Quando in Regiis latæ sunt edictis; 2°. Quando longo usu, & judiciorum consuetudine sunt probatæ; atque indè est, quòd nostri Judices alias è decretalibus sequantur, alias rejiciant, eas maximè quæ consuetudinibus in Regno constanter observatis ad-versantur.

*Objic. 2°.* In Curiâ Romanâ, provinciarum causæ & lites definiuntur juxta leges Romæ tantùm promulgatas; ergo pro certo habent Romani Præsules, promulgationem Romæ factam sufficere.

*Resp. nego ant. 1°.* Quia, ut dictum est, Romani Judices etiam Romæ judicant valida esse matrimonia clandestina ibi contracta, ubi lex ea irritans nondùm fuit promulgata. 2°. Quia plures causæ Romam evocatæ, Romæ non judicantur, sed ad Episcopos, vel alios remittuntur, ut dirimantur secundùm leges, quæ in iis regionibus fuerunt promulgatæ. 3°. Quia Romani Judices supponunt leges, juxta quas diffitarum Româ provinciarum lites dirimunt, in illis provinciis fuisse promulgatas, ibique vigere; *Siquidem*, ait Paul. à Lug. de Legibus q. 4. a. 1. *moraliter impossibile est, ut omnium regionum atque provinciarum usus particulares perfectè calleant.*

#### ARTICULUS IV.

*An, ut lex humana obliget, requiratur consensus, sive acceptatio populi?*

*Nota.* **H**Æc quæstio procedit de Legislatore absoluto, hoc est, qui potestatem



acceptit absolutam, & sine dependentiâ à populi acceptatione. Potestas enim legislativa respondet formæ regiminis; & ideò princeps aliquandò leges ferre non potest, vel sine consensu majoris partis optimatum, ut in regimine *aristocratico*; vel majoris partis populi, ut in regimine *democratico*, de quo intelligi debet istud Justiniani, cap. 3. ff. de Legib. *Leges nullâ aliâ ex causâ nos tenent, quàm quòd iudicio populi receptæ sunt.* Hoc notato sit

### CONCLUSIO.

*Ut lex obliget, non requiritur consensus, sive acceptatio majoris partis communitatis.*

*Prob.* Ea lex non pendet ab acceptatione majoris partis communitatis, quæ ad sui acceptationem obligat; atqui lex humana, à Legislatore absoluto absolutè lata, ad sui acceptationem obligat, juxta illud Apost. Rom 13. v. 2. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*; ergo non pendet ex acceptatione; ergo sicut præceptum legitimi Superioris obligat inferiorem, independenter ab acceptatione inferioris; ità lex, quæ est commune præceptum, obligat communitatem, independenter ab acceptatione communitatis.

Undè hæc prop. *Populus non peccat, etiamsi absque ullâ causâ non recipiat legem à Principe promulgatam*; damnata est ab Alex. VII. & à Clero Gallicano, anno 1700.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objic.* 1º. Illud Gratiani, cap. in istis, *dist.* 4. *Leges instituuntur, quando promulgantur* :

*firmantur, cum moribus utentium approbantur; ergo.*

*Resp. nego conseq.* Nam leges per usum firman-  
tur, non hoc sensu, quòd per usum accipiant vim  
obligandi: leges enim habent vim obligandi,  
cum instituuntur, atqui ex primâ parte Cano-  
nis, *instituuntur, cum promulgantur*; ergo: sed  
eo sensu quòd per usum eximantur à periculo  
abrogationis; leges enim, quarum observatio  
negligitur, tandem abeunt in desuetudinem, vel  
à Principe, nimix populi resistentix cedente,  
relaxantur.

*Objic. 2º.* Legislatores civiles accipiunt potestatem  
legislativam à communitate; ergo ejus leges non  
obligant, nisi dependenter à consensu commu-  
nitatis.

*Resp. nego ant.* Licet eligatur in principem  
communitatis à communitate, non idcirco po-  
testatem legislativam ab ipsâ communitate acci-  
pit, ut patet ex dictis art. 1. & ex illo sap. 6.  
v. 4. ad principes politicos directo: *Data est à  
Domino potestas vobis & virtus ab altissimo.* Sic  
quamvis Cardinales S. Pontificem eligant, non  
ideo S. Pontifici potestatem legislativam confe-  
runt. Idem de Principibus sæcularibus dicen-  
dum.

*Inst.* Potestas legislativa, absolutè, & sine li-  
mitatione concessa, non est benè instituta; ergo  
nemini est concessa.

*Resp. nego ant.* Imò potestas legislativa esset  
pessimè concessa, si non includeret vim com-  
pellendi subditos ad ea observanda, quæ bo-  
no regimini Republicæ necessaria vel utilia  
sunt; & hoc eò verius est, quòd pars major  
soleat esse deterior, quæ si cogi non posset, &

valor legis ab ejus nutu penderet, optimæ leges ferè semper rejicerentur.

*Objc. 3º.* Consuetudo potest abrogare legem jam obligantem; ergo multò magis prævenire potest ne obliget.

*Resp. dist. ant.* Consuetudo, legitimè præscripta, *conc. ant.* consuetudo, non legitimè præscripta, *nego ant.* Porrò ideò consuetudo legitimè præscripta legem abolet, quia Princeps tunc consentit tacitè, ut lex sua in desuetudinem abeat; non mirum est autem si lex, quam Princeps tacitè revocat, non ampliùs obliget.

*Objc. 4º.* Lex à majori parte communitatis non recepta, est inutilis ac nociva; ergo.

*Resp. dist. ant.* Est nociva, ex malitiâ populi, qui ideò peccat eam non recipiendo, *conc. ant.* ex seipsâ, *nego ant.* nam fertur propter bonum commune.

*Inst.* Illa lex est inutilis ex seipsâ, quæ non potest cogere subditos ad sui observantiam; atqui lex, quæ non observatur à majori parte communitatis, non potest cogere ad sui observantiam; nam adversùs majorem partem communitatis, non suppetit vis coactiva; ergo.

*Resp. nego min.* Nam licet non possint omnes delinquentes puniri; at possunt ex multis aliqui ad pœnam eligi, *ut & cæteri timorem habeant*, 1. ad Tim. 5. Cavere tamen debet Legislatoꝝ, ne, urgendo executionem legis contra majorem partem communitatis, plus mali, vel perturbationis afferat, quàm utilitatis; talis enim lex non expedit bono communi.

*Objc. 5º.* Quando leges aliquæ non servantur à majori parte, licet deteriori, non tenetur



pars minor eas servare ; ergo valor legis pendet à consensu majoris partis.

*Resp. nego ant.* Quod si verum esset , pluri leges non obligarent bonos & timoratos , quia à majori & deteriori parte non servantur , quod est falsum , si excipiantur duo casus. 1°. Quando Legislatores tacite consentit , ut leges non serventur à minori parte , ob resistentiam , vel non usum majoris partis. 2°. Cùm non possunt servari leges à minori parte sine suo gravi incommodo ; vide Pontas , v. Dimanche , cas 7. Ex quibus apparet sæpiùs evenire , ut qui legem primi transgrediuntur , graviter peccent , immunes verò sint ab omni culpâ , qui eam postea negligunt.

#### ARTICULUS V.

*Quinam legibus humanis teneantur ?*

*Nota.* **C**ertum est , omnes & solos subditos , rationis usum habentes , subdi legibus humanis.

Dixi 1°. *Omnes & solos subditos* : quia potestas legislativa subjectionem in aliis essentialiter connotat ; ergo non potest exerceri nisi in subditos , ut definit Clemens III. *cap. à nobis , de Sent. excom.* Undè.

*Resolves.* 1°. Infideles non baptisatos teneri lege baptisati , & aliis præceptis Evangelicis , quia subditi sunt Deo , qui omnibus legem Evangelicam imposuit ; non tamen tenentur legibus merè Ecclesiasticis , quia non sunt Ecclesiæ subiecti , juxta illud Apostoli , 1. Cor. 5. v. 12. *Quid mihi de iis , qui foris sunt , judicare ?*

Hinc , secluso scandalo & contemptu legis Ecclesiæ , non peccant , qui carnes eis minis-

trant die vetito, quia nullius peccati, nequidem materialis, sunt causæ.

*Resolves* 2°. Hæreticos teneri legibus Ecclesiasticis; quia per baptismum sunt subditi Ecclesiæ, quamvis rebelles.

*Dixi* 2°. *Rationis usum habentes*: quia lex non imponitur nisi subditis obedientiæ & directionis capacibus; atqui qui non habent usum rationis, non sunt obedientiæ & directionis capaces; ergo.

*Resolv.* Perpetuò amentes, ac pueri ante usum rationis, qui carnes manducant diebus prohibitis, non peccant, sicut nec ii qui illis carnes administrant: econtrà peccarent, qui ebriis, & ad tempus delirantibus, carnes darent comedendas die vetito, quia sunt in statu habituali usûs rationis, licèt per accidens pro aliquo tempore impediti; nam non licet peccato alieno materiali cooperari.

*Dices*: Infantes, tempore interdîcti, privantur Ecclesiasticâ sepulturâ: item obligantur ad baptismum; ergo legibus astringuntur.

*Resp. nego conseq.* Ad hæc enim tenentur, non quia subjacent præceptis Ecclesiæ; sed 1°. Quia privantur sepulturâ in interdîcto generali in pœnam aliorum, & in interdîcto locali ob incapacitatem loci, in quo nemo sepeliri debet. 4°. Quia Baptismus est medium sine quo salus obtineri non potest. His tanquam certis positis:

*Restat resolvendum*, 1°. utrùm legislator ipse; 2°. Clerici; 3°. Peregrini, advenæ, & vagi teneantur legibus humanis, triplici paragrapho.

§. I. *Utrùm Legislator suis legibus obligetur?*

*Nota* 1°. Hic agitur de Legislatore, habente

potestatem legislativam absolutam & independentem à Communitate ; certum est enim Duces Rerumpublicarum teneri legibus , quas cum Republicâ tulerunt ; & Generales Ordinum , legibus in Capitulo generali latis , quia sunt inferiores Communitati , à quâ leges feruntur.

*Nota 2<sup>o</sup>.* Item agitur de legibus , quarum materia convenit Principi & subditis ; tales sunt leges , quæ præcipiunt Communionem paschalem , taxant pretia rerum , &c. Legislator enim non teneretur lege prohibente v. g. armorum gestationem. Itaque

### C O N C L U S I O .

*Legislator non tenetur propriè suis legibus , neque quoad vim coactivam , neque quoad vim directivam ; sed ad eas servandas tenetur vi legis naturæ , dictantis ut Superior suis subditis præcat exemplo.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Quia qui non est subditus , nullo modo tenetur legibus ; atqui Legislator non est sibi , nec prædecessoribus suis subditus ; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Quia æquitas & ratio naturalis dictat Principem debere vitâ & moribus concordare cum subditis , in iis quæ ipsi æquè ac subditis conveniunt ; si enim , ut ait Aug. l. 3. Confess. c. 8. *Turpis est omnis pars suo universo non congruens ; quanto magis caput non congruens.* Hinc illa utriusque Juris axiomata : *Iustum est Principem legibus obtemperare suis* , l. iustum , dist. 9. Et , *Digna vox est majestate regnantis , legibus alligatum se Principem profiteri.* L. 4. Cod. de Legibus ; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. contra 1<sup>am</sup>. p.* Axiomata Juris citata ,



videntur significare Principem astringi legibus suis; ergo.

*Resp. nego ant.* Significant enim præcisè, Principem teneri leges suas observare, sed non explicant undè oriatur talis obligatio; dico autem illam oriri, non ex legibus Principis, sed ex jure naturali: lex ergo à Principe lata, est tantùm occasio, seu conditio obligationis quæ ex æquitate naturali oritur.

*Inst. 1º.* Licèt Princeps non teneatur vi coactivâ legis suæ, tenetur saltem vi directivâ; ergo tenetur propriè lege suâ.

*Prob. ant.* Vis directiva non videtur necessariò requirere superioritatem in eum quem obligat; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam sicut vis coactiva legis non agit nisi in subditum, ità nec vis directiva, ac proindè utraque supponit superioritatem in Legislatore; alioquî lex non dirigeret, nisi per modum regulæ consulentis, non obligantis.

*Inst. 2º.* Princeps, transgrediendo legem, committit idem specie peccatum cum subditis eam transgredientibus v. g. peccatum injustitiæ, si vendat triticum ultrà pretium à se taxatum lege communi; ergo tenetur suâ lege quoad vim directivam.

*Resp. nego conseq.* Nam ex antecedente sequitur tantùm quòd jus naturale Principem obliget ad servandam legem suam, ex affectu virtutis, quam præcipit.

*Inst. 3º. cum Suare:* Deus dedit potestatem legislativam hominibus, eâ tantùm conditione, ut leges, si sint universales, comprehendant ipsum Legislatorem; ergo propriè illum obligant.

*Resp. nego ant.* Deus enim non potest dare potestatem legislativam sub tali conditione, quia non potest facere, ut idem sit sibi superior, & subditus juridicè; ergo nec facere, ut Legislator se lege suà comprehendat: sed solum potest velle, & de facto vult, & per lumen naturale præcipit, ut Princeps servet leges suas, quando materia est ipsi cum subditis communis; sed aliud est Deum velle, ut Princeps servet leges suas, & aliud velle, ut teneatur ex vi suarum legum; illud verum est, & indè nascitur obligatio Principis; hoc impossibile, defectu jurisdictionis in seipsum.

*Objic. contra 2<sup>am</sup>. p.* Non videtur lex naturalis Principem ad servandas leges suas obligare posse, nisi ratione scandali; sed hæc obligatio non sufficit; alioquî, remoto scandali periculo, posset Princeps non servare leges suas, quod falsum est, ergo.

*Resp. nego maj.* Et dico legem naturalem, Principi hanc obligationem imponere, non tantum ratione scandali, sed etiam ratione boni communis, rectæ gubernationis, & necessariæ conformitatis cum subditis, & sic obligatur Princeps, etiam extra scandali periculum.

*Inst.* Bonum commune, rectaque gubernatio non exigit necessariò, ut omnia membra communitatis vivant conformiter, in iis quæ omnibus accommodata sunt; ergo Princeps non tenetur necessariò conformari cum subditis.

*Prob. ant.* Si hoc esset, Princeps non posset dispensare, aut privilegia concedere; falsum conseq.

*Resp. dist. sequet.* Non posset dispensare, aut

privilegia concedere , sine justâ causâ , *conc.* cum justâ causâ *nego seq. maj.* Itaque Princeps , si justa causa subsit , potest dispensare à suâ lege , subditos quidem propriè , seipsum verò impropiè , quatenùs interpretatur se lege naturali non obligari ad legem suam servandam , quando habet rationabilem causam , ob quam ipse subditum meritò ab ejus obligatione liberaret ; cum non sit deterioris conditionis , quàm subditi.

§. II. *An Clerici legibus civilibus obligentur ?*

CONCLUSIO.

*Clerici obligantur legibus civilibus , salvâ tamen eorum immunitate.*

*Prob.* Omnes partes communitatis politicæ , obligantur legibus politicis , atqui Clerici sunt partes communitatis politicæ , de quibus , sicut & de aliis , dixit Apóst. Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quem locum interpretans Theodoretus , ait : *Et Sacerdos , & Antistes , & monasticam vitam professus , iis debent parere , quibus demandati sunt , Principibus ; ergo.*

*Resolv.* Ecclesiastici tenentur vendere pretio per leges taxato , observare formalitates contractuum , non extrahere merces extra territorium , &c.

Dixi : *Salvâ tamen eorum immunitate* : quæ , ut ait Trid. Sess. 25. de ref. c. 20. *Dei ordinatione , & Canonicis sanctionibus constituta est , & quæ præcipuè consistit in immunitate à vectigalibus & tributis , ut declaratur in utroque Jure , Canonico & Civili , cap. Clericis , de immunit. Eccles. Et l. Casta , de SS. Ecclesiis.*

*Dices* : Principes sæculares , etiam pietate



præstantes, à Clero plerumque pecuniarum subsidium exigunt; ergo Clerici non sunt exempti à lege tributorum.

*Resp. nego conseq.* Quia illud subsidium, non auctoritate absolutâ, sed gratiosè postulant, & à Clero gratis & liberè conceditur; undè vocatur *donum gratuitum*.

*Nota* tamen, duos esse casus, in quibus Clerici Principibus sæcularibus tributa solvere tenentur.

1<sup>o</sup>. Si bona quædam titulo laïco possideant, quia illa bona onus suum non amittunt, ex eo, quòd ab Ecclesiasticis possideantur.

2<sup>o</sup>. Si necessitas, ob quam tributa exiguntur à laïcis, non minùs ipsos, quàm laïcos, concernant; ut si infideles regnum devastarent, si pestis grassaretur, inundatio immineret, &c.

### §. III. *An peregrini, advenæ, & vagi teneantur legibus?*

*Nota* 1<sup>o</sup>. Peregrini, advenæ, & vagi inter se differunt. *Peregrinus*, est is, qui è loco domicilii sui egrediens, transit per aliquem locum, vel ibi moratur ad tempus, cum animo ad sua revertendi. *Advena*, est is, qui extra patriam suam, domicilium fixit. *Vagus*, est qui nullibi domicilium fixum habet, ut milites.

*Nota* 2<sup>o</sup>. Certum est præcepta personalia, quæ nimirum non afficiunt immediatè territorium, sed personas, illas obligare ubicumque fuerint, quia ipsas semper afficiunt.

Hinc Sacerdos in suâ Diœcesi à muniis Sacerdotalibus suspensus, non potest in alienâ Diœcesi celebrare. His positis sit

CONCLUSIO I.

## CONCLUSIO I.

*Peregrini & advenæ non tenentur legibus localibus suæ patriæ ; undè non peccant eas non servando , nisi absint in fraudem , vel fictione juris censeantur ipsas in propriâ patriâ transgredi.*

*Prob.* Quia Legislatoris jurisdictionis est ita affixa proprio territorio , ut extra illud non extendatur ; ergo non potest obligare eos qui extra territorium existunt ; undè Bonifacius VIII. cap. 2. de constit. in 6. definit poenam latam per statutum Episcopi , non incurri ab eo qui extra illius territorium non servat tale statutum , cujus definitionis rationem reddens , ait : *Cum extra territorium jus dicenti non parantur impunè : quæ ratio desumitur ex jure Civili , l. ult. ff. de jurisdic. ergo.*

*Resolves* 1°. Qui bonâ fide , è propriâ Diœcesi , ubi diebus sequentibus erit jejunium & dies festa , transit in alienam Diœcesim , ubi neutrum est præceptum , nec jejunii , nec Missæ audiendæ legibus tenetur , etiamsi sit lex Ecclesiæ universalis ; quæ ex privilegio , aut consuetudine legitimâ , non servatur in loco , in quem bonâ fide se transtulit ; quia consuetudo localis spectat omnes , qui sunt in loco.

2°. Qui peccatum , in suâ Diœcesi reservatum , committit , sive illud in suâ , sive in alienâ Diœcesi commiserit , potest in aliena Diœcesi , ubi non est reservatum , absolvi à communi Confessario.

*Dixi* 1°. *Nisi absint in fraudem :* quia lex est generalis ubique recepta & obligans. *Nemini fraus sua patrocinari debet , cap. Si vir , de cognat. spi.*

rit. & verò quâ ratione servari posset ordo, si cuique liceret Ecclesiæ leges, fugiendo, eludere? hinc

*Resolves* 1°. Qui è territorio suo, ubi jejunatur, aut agitur festa dies, in aliud ubi neutrum viget, eo fine se transfert, ut carnibus vesci, aut servile opus exercere possit, peccat mortaliter, & pœnis contra transgressores latis subjacet.

2°. Qui è propriâ Dioecesi, ubi peccatum reservatum commisit, discederet eâ mente, ut in alienâ ubi non est reservatum, facilius absolutionem impetraret, sacrilegium perpetraret, nec verè abolveretur, ut declaravit Clem. x. Bulla, *Superna*.

*Dices* 1°. Qui ex propriâ Dioecesi egreditur, ut eximatur à lege, utitur jure suo; ergo non agit in fraudem legis.

*Resp. nego ant.* Nullus enim habet jus obligationem, quæ ad sui utilitatem condita est, absque causâ eludendi, & intentionem Legislatoris fraudandi.

*Dices* 2°. Quilibet jus habet mutandi domicilium, ut se à durioribus patriæ suæ legibus eximat; ergo à pari, potest ad tempus abesse, ut se ab isdem iiberet.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quòd unicuique sit liberum hoc vel illud domicilium eligere, adeoque his vel illis legibus se subicere; sed non est ipsi liberum, quandiù est membrum communitatis, leges in eâ vigentes eludere, contra earundem & Legislatoris intentionem, id enim necessarium est ad efficaciam legum.

*Dixi* 2°. *Vel nisi fictione juris censeantur eas*



*leges in propriâ patriâ transgredi* : tales sunt leges versantes circa res in proprio territorio sitas ; vel circa actiones aut omissiones quæ consummantur in territorio , licet persona sit extra illud.

*Ex 1º. sequitur*, leges concernentes agros , ædificia , aut tributorum realium solutionem , omnes ubique subditos ligare.

*Ex 2º. sequitur*, leges præcipientes beneficentis residentiam , Synodorum aut Capitulorum convocationem ; item prohibentes mercium , frumentorum , armorum , & monetarum transmissionem ; locorum peste infectorum frequentationem , omnes ubique subditos obligare ; unde ubicumque existant , incurrunt pœnas contra transgressores latas ; sic Leo III. *cap. de Cleric. non residentib.* deposuit Cardinalem Anastasium , quia per annos quinque , *contra Canonum statuta* , in Ecclesiâ sui tituli non residebat.

Quæres : *An qui è domicilio suo , ubi lex v. g. festi , jejunii , &c. obligat , transit in locum ubi non obligat ; teneatur illam implere antequam exeat ?*

*Resp.* Tenetur , seclusâ gravi necessitate , si prævideat legem impleri non posse in alio loco. Ratio est , quia præceptum quod actu obligat , actu impleri debet , si postea impleri non possit , atqui præceptum v. g. audiendi Missam , actu obligat in loco , ubi festa dies agitur , si non possit impleri in alio loco etiam non festivo ; ergo actu impleri debet ; sicut ad primam Missam tenetur , qui prævidet se postea ab auditione secundæ Missæ impediendum fore.

Hinc qui egreditur è loco jejunii , paulò post adventurus in locum non jejunii , non potest antè

discessum vesci carnibus, nec manè jentare; potest tamen circa meridiem prandere, more eorum qui inibi jejulant.

### CONCLUSIO II.

*Vagi, peregrini, & advenæ legibus locorum, in quibus existunt, & per quæ transeunt, adstringuntur.*

*Prob. 1a. p.* Quia homo non potest esse exlex; Reipublicæ enim interest, ut quilibet aliquibus legibus ac alicujus Superioris gubernationi subsit; atqui, si vagi non subicerentur legibus locorum per quæ transeunt, essent exleges; ergo.

*Prob. 2a. & 3a. p. 1º.* Quia ibi lex ligat, ubi persona forum sortitur. 2º. Sufficit brevis absentia ad eximendum peregrinos & advenas ab obligatione legum proprii territorii, à quo discedunt; ergo debet quoque sufficere brevis præsentia ad subjiciendum illos legibus alieni territorii, in quo existunt, vel per quod transeunt, nam *qui sentit onus, sentire debet commodum, & econtrà*, Reg. 55. Jur. in 6. Undè divus Ambrosius, à D. August. consultus, utrùm liceret civi Romano, Mediolani existenti, non jejunare Sabbato, respondit: *Cùm Romam venio, jejuno Sabbato; cùm hìc (Mediolani) sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quàm fortè Ecclesiam veneris, morem illius serva.* Ex quâ responsione quæ refertur, cap. illa, dist. 12. prodire hi versus:

*Cùm fueris Romæ, Romano vivito more.*

*Cùm fueris alibi, vivito sicut ibi.*

*Dices 1º.* Peregrini non sunt subditi legibus Principis alteriùs territorii; ergo non adstringuntur legibus alieni territorii.

*Resp. dist. ant.* Non sunt subditi, permanenter & habitu, *conc. ant.* transeunter & actu, *nego ant.* Porrò ad transitoriam subjectionem, sufficit transitoria præsentia in loco; sicut ad transitoriam exemptionem à jurisdictione & legibus sui territorii, sufficit brevis absentia.

*Dices 2º.* Sacerdotes Græci, apud Latinos versantes, non tenentur Latinorum ritu celebrare; ergo non adstringuntur legibus alieni territorii.

*Resp. nego consequ.* Equidem Græci non tenentur, imò non possunt licitè consecrare in azy-mo, quia in Concil. Florent. sancitum est, ut unusquisque, ubicumque degeret, Ecclesiæ suæ ritum sequeretur, ut pax & unio Ecclesiæ Latinæ & Græcæ servaretur; porrò exceptio firmat regulam, & ostendit in aliis casibus peregrinos, locorum per quæ transeunt, legibus obligari.

*Resolves 1º.* Peregrinus veniens è loco non jejunii, & accedens sub vesperam in locum jejunii, non potest cœnare, sed tantùm collatiunculam sumere, ut inibi faciunt jejunantes; sicut si è loco jejunii, se conferret in locum non jejunii, posset cœnare & carnibus vesci, licèt in loco jejunii prandisset; par enim est, ut *qui sentit commodum, sentiat & onus*; undè in omnibus se debet aliis conformare.

2º. Peregrinus transiens per aliquem locum, & ibi pernoctans, tenetur omnibus præceptis negativis, quibus, v. g. prohibentur esus car-nium, opus servile, &c. sed ut teneatur præceptis positivis, quibus v. g. præcipitur auditio Missæ, requiritur ut per aliquod tempus v. g. matutinis horis, moretur in oppido, in quo est



dies festa ; ratio disparitatis est , quia præcepta negativa in transitu fervari possunt , nec iter retardant ; econtrà præcepta affirmativa iter retardant , nec peregrinus , ut illa exequatur , tenetur iter retardare.

*Nec dicas* : Ex suprâ dictis , incola transiens è loco sui territorii festivo in alienum territorium non festivum , tenetur audire Missam antequàm discedat , si prævideat se alibi non auditurum ; ergo à pari , &c.

*Resp. nego consequ.* Disparitas desumitur ex communi hominum sensu , secundùm quem , ad plus tenetur incola , quàm viator ; quia incola territorii sui legibus permanentè adstringitur , viator verò non nisi transitoriè.

## ARTICULUS VI.

*Quæ sit formalis legum humanarum obligatio ?*

*Nota.* **U**T in hoc articulo , sub quo multa comprehenduntur , ordine procedamus ; resolvemus 1°. utrùm leges humanæ obligent in conscientiâ & sub peccato ? 2°. proponemus & solvemus nonnullas quæstiones circa obligationem formalem legum humanarum , duplici paragrapho.

§. I. *An leges humanæ obligent in conscientiâ ?*

Negant speudo-reformati ; negare etiam videtur Gerson l. de vitâ spirit. lect. 4. qui docuit solum Deum posse dare præcepta obligantia sub pœnâ mortis æternæ , ideòque addit , quoties peccari videtur contra legem humanam , non incurri culpam ex transgressione legis humanæ , nisi quatenus est determinatio juris naturalis vel divini ; contra quos sit

## CONCLUSIO.

*Lex humana, tam civilis, quàm Ecclesiastica, obligat in conscientiâ.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p. Math. 18. v. 17. Quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, id est, ab Ecclesiâ præcisus & excommunicatus, & Publicanus, id est, publicus peccator; ergo.*

*Hinc Alexand. VII. damnavit sequentem prop. quæ est 23<sup>a</sup>. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter. Et Innoc. XI. hanc quæ est 55<sup>a</sup>. Præceptum servandi festa, non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

*Prob. 2<sup>a</sup>. p. ex Apost. Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo... itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem, (nempè æternam, ut interpretantur Patres) acquirunt. Et subdit: Idèò necessitate subditi estote, id est, necesse est ut subditi sitis, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam; hoc est, non tantùm ob pœnam ab humano iudice infligendam, sed etiam ob culpam quam incurretis, si non obediat; ergo.*

*Et verò lex humana, est verum præceptum; atqui verum præceptum obligat in conscientiâ, juxta illud D. Aug. l. de Virginit. c. 15. Illud est præceptum, cui non obedire peccatum est: consilium, quo si uti nolueris, minùs boni adipisceris, non mali aliquid perpetrans; ergo.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. 1<sup>o</sup>. Ecclesia aliquid de fide credendum*

definire non potest, quod in Verbo Dei non contineatur; ergo nec potest aliquid præcipere sub poenâ peccati, quod in lege naturali vel divinâ non habeatur.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quòd Ecclesia nihil de fide credendum definire potest, quin sit à Deo revelatum; omne autem revelatum in Verbo Dei est contentum; econtrà multa sunt pro loco & tempore utilia, quæ Deus non præcepit, sed ab hominibus præcipi permisit; ergo Ecclesia potest aliquid præcipere in conscientiâ, quod à Deo non fuerit præceptum.

*Inst. 1°.* Inferior non potest ligare in foro Superioris, sicut nec solvere; ergo Legislato humanus non potest obligare in conscientiâ, quæ est forum Dei.

*Resp. dist. ant.* Non potest, potestate propriâ, *conc. ant.* potestate sibi traditâ à Superiore, *nego ant.* Porro Legislato humanus accepit à Deo potestatem ligandi in ejus foro, ut fuse probatum est.

*Inst. 2°.* Saltem Legislato civilis non potest ligare in foro conscientiæ; ergo.

*Prob. ant.* Ille non potest ligare in foro conscientiæ, qui in eodem non potest solvere; atqui, &c.

*Resp. nego maj.* Homo enim potest suam ligare conscientiam per peccatum, per vota, &c. nec tamen potest se solvere. Potest ergo Legislato civilis ligare indirectè conscientiam, quatenus suâ lege objectum aliquod, de se indifferens, reddit malum, illud prohibendo; sed non potest peccatum semel commissum relaxare, quia potestatem remittendi peccata, solis Ecclesiæ ministris Deus concessit.



*Inst.* 3°. Potestas civilis, est merè temporalis; ergo non obligat in foro conscientiæ.

*Resp. dist. ant.* Est merè temporalis, ratione objecti, nempe versatur circa res fluxæ & labentis naturæ, *conc.* ratione debiti, quod imponit, *nego ant.* est enim potestas, quæ emanat à Dei potestate, juxta illud Apostoli: *Non est potestas nisi à Deo.*

*Objic.* 2°. Ad vitandam damnationem, sufficit servare Dei mandata; ergo mandata hominum non obligant sub peccato.

*Resp. nego conseq.* Nam est mandatum Dei, ut serventur mandata hominum, Hebr. 13. 17. *obedite præpositis vestris & subjacete eis.*

*Inst.* Ex hac responsione, sequitur mandata hominum esse juris divini; falsum ex nobis conseq.

*Resp. nego seq. maj.* Illud solum dicitur esse juris divini, quod Deus dictat per se, non quod homo dictat per potestatem à Deo acceptam; neque enim est juris divini, quod matrimonium contrahatur coram Parocho & duobus testibus, quod Clerici à venatione abstineant, licet à superioribus humanis illa præcipiantur, per potestatem à Deo acceptam.

Quæres 1°. *Quot requiruntur, ut lex humana obliget sub mortali?*

*Resp.* Duo requiruntur, 1°. ut materia sit gravis, 2°. ut intentio Legislatoris sit graviter obligandi.

*Prob.* 1°. *p.* Legislator non habet potestatem condendi leges iniquas & injustas, lex enim debet esse rationi consentanea: atqui lex, quæ obligaret graviter & sub mortali in re levi, esset iniqua & injusta; nam illa lex est injusta, quæ

non conformatur legi divinæ; atqui lex, quæ præciperet graviter & sub mortali rem levem, non conformaretur legi divinæ; lex enim divina non præcipit rem levem, nisi sub veniali, ut patet in mendacio jocosò; in furto unius assis, &c. ergo.

*Dices*: Legislator humanus potest Deo se conformare; atqui Deus esum pomi, rem sanè levissimam, sub mortali prohibuit; ergo.

*Resp. dist. min.* Esus pomi fuit res levissima, in se, *conc. min.* relativè ad finem à Deo intentum, *nego min.* Porrò finis à Deo intentus, erat ut homo suam subjectionem & dependentiam à Deo profiteretur; qui finis fuit gravis. Sic ingressus Clericorum in tabernas, armorum delatio, habitûs talaris gestatio, quamvis de se sint levia, si tamen pensentur ex eorum fine, qui est decus ordinis Ecclesiastici, sunt valdè gravia. Sic pariter egressus momentaneus è castris est valdè gravis morteque puniendus in Milite, quia disciplinam militarem multùm labefactat.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Lex cujus obligatio tota pendet à Legislatoris voluntate, non obligat, nisi prout vult Legislator; actus enim liberè agentium, non operantur ultra intentionem eorum; atqui legis humanæ obligatio, tota pendet à libera Legislatoris voluntate; ergo potest obligare tantùm leviter in re gravi, vel omninò non obligare, & tantùm consulere, si existimet hoc esse utile ad suaviorem gubernationem; ergo ut lex humana obliget sub mortali, requiritur, ut intentio Legislatoris sit graviter obligandi.

*Dices* 1<sup>o</sup>. Legislator humanus non potest graviter obligare in re levi: ergo nec leviter in re gravi.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quòd materia levis non sit capax gravis obligationis; undè si Legislatoꝝ rem levem sub gravi peccato præciperet. excederet potestatem suam ferendo præceptum imprudens & injustum; econtrà materia gravis, sicut capax est majoris obligationis, est etiam capax minoris; undè Legislatoꝝ potest justis de causis, esse benignior in obligando, & nolle uti totâ suâ potestate, & in hoc maxima est prudentia.

*Inst. 1º.* Obligatio sub veniali, vel sub mortali, à solâ materiâ pendet, non à voluntate Superioris; ergo non pendet ab ejus intentione, ut obligatio sit levis, vel gravis.

*Resp. nego ant.* Quamvis enim, positâ gravitate materiæ; & obligatione gravi, non pendeat à voluntate extrinsecâ Legislatoꝝ, ut peccatum sit grave, vel leve; tamen, absolutè loquendo, pendet à voluntate Legislatoꝝ, ut obligatio sit gravis, vel levis, sicut pendet ut sit, vel non sit obligatio; & consequenter pendet ab ejus voluntate, ut peccatum sit grave, vel leve in materiâ gravi, sicut pendet ut sit peccatum, vel non sit; potest enim uti jure suo, ut libuerit, justè tamen & prudenter.

*Inst. 2º.* Positâ lege, oritur obligatio ex jure naturali pro quantitate materiæ, proindèque gravis in materiâ gravi, independenter ab intentione Legislatoꝝ; ergo.

*Resp. dist. ant.* Oritur obligatio ex jure naturali, proportionata intentioni Legislatoꝝ, scilicèt gravis ex gravi præcepto; levis ex levi, *conc. ant. secùs, nego ant. & conseq.* Porrò jus naturale & divinum dictant tantùm obediendum esse



Superiori quatenus & quantum præcipit; ergo si non nisi leviter suos subditos obligari velit, jus naturale & divinum non strictius eos obligari dictabunt.

*Inst.* 3°. Communi omnium consensu, receptum est, ut leges modo materiæ gravitati proportionato obligent; ergo obligatio levis, vel gravis, non pendet ab intentione Legislatoris.

*Resp. dist. ant.* Leges modo materiæ gravitati proportionato obligant, quando Legislator earum obligationem expressè non limitat, *conc.* quando expressè limitat, *nego ant.* Equidem cum Legislator sine limitatione præcipit, tunc lex ejus secundum totam materiæ capacitatem obligat; sed potest illam obligationem limitare, exprimendo se nolle obligare sub mortali, sed tantum sub veniali, ut fit in multis Religiosorum Constitutionibus, quæ sunt veræ leges à summis Pontificibus approbatæ.

*Inst.* 4°. Votum de materiâ gravi obligat graviter, nec potest vovens hanc obligationem temperare; ergo à pari, &c.

*Resp. nego ant.* Nam potest vovens se obligare voto, tantum sub veniali, sicut potest non omnino vovere, quia, ut diximus, actus agentium, non operantur ultra intentionem eorum, cum ab eâ omnem vim suam sumant.

*Dices* 2°. Cum Legislator verè obligat subditos in re gravi, tunc transgressio legis notabiliter obest bono communi; atqui non est in potestate Legislatoris, ut transgressio quæ notabiliter obest bono communi, sit tantum levis; ergo nec est in ejus potestate, ut cum obligat subditos in re gravi, obliget eos sub veniali tantum.

*Resp. nego min.* Intellectam de transgressione rei gravis, quæ nec jure naturali, nec divino est prohibita, sed quæ utroque illo jure est indifferens; potest enim Legislator facere, ut transgressio legis suæ sit tantum levis, leviter præcipiendo aut prohibendo; tunc enim legis transgressio notabiliter obest bono communi solum privativè, quatenus ponitur vel omittitur aliquid, quod omitti vel poni multum expedit bono communi.

Quæres 2°. *Quomodo dignosci potest Legislatorem vel obligare sub mortali?*

*Resp.* Hoc dignosci ex quadruplici capite.

1°. Ex materiâ gravi absolutè præcepta, id est, cum Legislator rem, ex se, vel ex circumstantiis gravem, præcipit aut vetat, nec expressè significat se velle solum obligare sub veniali; quia tunc Superior potestate præcipiendi utitur sine limitatione, & secundum materiæ capacitatem, cui censetur se accommodare.

2°. Ex gravitate verborum quibus utitur: v. g. cum præcipit, aut prohibet *sub indignatione Dei: sub interminatione divini judicii: in virtute sanctæ obedientiæ: ex totâ potestate, &c.*

3°. Ex gravitate pœnæ transgressoribus impositæ, qualis est pœna excommunicationis, aut alterius censuræ, depositionis, &c. item pœna mortis, exilii, carceris perpetui, infamiæ, bonorum confiscationis.

4°. Ex communi prudentium judicio, & benè fundatâ consuetudine, quæ est *optima legum interpretis*, cap. 8. de consuet.

§. II. *Proponuntur, & solvuntur nonnullæ quæstiones, circa obligationem formalem legum humanarum.*

*Quæres 1º. An lex fundata in falsâ præsumptione, obliget in conscientiâ?*

*Nota: Duplex est præsumptio, altera periculi, altera facti.*

*Præsumptio periculi, est ea, quâ Legislator præsumit in tali actu posse esse aliquid repugnans substantiæ ejusdem actûs, v. g. dolum, defectum consensûs, judicii, &c.*

*Præsumptio facti, est ea, quâ actus præsumitur tali modo factus. Porrò non videtur ulla lex fundari in præsumptione facti, benè verò præceptum particulare; quare*

*Resp. 1º. Lex fundata in præsumptione periculi, semper obligat in conscientiâ, licet præsumptio in quibusdam casibus particularibus falsa reperiatur. Ratio est; quia hujusmodi leges semper nituntur veritate & judicio certo periculi, ut sæpè, aut aliquando contingentis; atqui hoc judicium semper verum est.*

*Resol. Lex irritans matrimonia clandestina, fundata in periculo fraudis, scelerum & incommodorum quæ ex illis facillè oriri possunt, obligat, etiam in casu, in quo ista certò non evenirent.*

*Resp. 2º. Præceptum fundatum in præsumptione actûs tali modo facti, quo reipsâ factus non est, non obligat in conscientiâ. Ratio est, quia præceptum non obligat, cum Superior obligare non intendit, obligatio enim præcepti ex intentione Superioris desumitur; atqui Superior*



obligare non intendit, dum factum, propter quod præceptum posuit, non est verum; ergo.

Hinc si aliquis, ex falso allegatis & probatis, ad restituendum obligatus sit per sententiam Superioris, non tenetur in conscientia ad restituendum, secluso scandalo. Vide cap. 44. *de sent. excomm.*

Quæres 2<sup>o</sup>. *An lex humana possit obligare cum gravi periculo, etiam mortis?*

*Resp. ordinariè non obligare:* Quia nemo tenetur ad id quod est moraliter impossibile; atqui observatio legis, cum gravi periculo vitæ, sanitatis, famæ, amissionis bonorum, &c. est moraliter impossibilis; ergo. Hinc cap. 4. de reg. Juris, dicitur: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum; nam & sabbatum custodiri præceptum est, Macchabæi tamen sine suâ culpâ in Sabbato pugnabant: sic & hodie si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.*

Dixi, *ordinariè:* quia nonnulli sunt casus, in quibus lex obligat, etiam cum periculo vitæ.

1<sup>o</sup>. *& per se,* cum id exigit Reipublicæ, sive civilis, sive ecclesiasticæ conservatio, quia æquum est, pro totius salute, partem sese periculo objicere; sic Dux potest obligare milites ad servandam suam stationem, vel irruendum in hostes cum certo vitæ periculo; sic Episcopus potest præcipere. ut Vicarius, mortuo Parocho, non deserat populum, peste infectum, &c.

2<sup>o</sup>. *& per accidens,* dum violatio legis cederet in contemptum fidei, aut legitimæ auctoritatis: sic si quis ex contemptu fidei, aut Ecclesiæ, fidelem compelleret ad violationem jejunii, teneretur ille potius mori, quàm jejunium frangere;

ratio est, quia contemptus fidei & Ecclesiæ est intrinsecè malus, præponderatque bono vitæ privati.

3<sup>o</sup>. *Item per accidens* dùm lex humana non potest violari sine gravi scandalo; quia scandalum, est intrinsecè malum; ergo nunquam potest fieri licitum. Undè Eleazarus 2. Machab. 6. elegit potius mori, quàm simulare se carnem porcinam manducâsse in contemptum legis, & cum gravi adolescentium scandalo.

*Dices contra Resp.* Lex humana obligat sub peccato; ergo obligat sub periculo vitæ; potius enim moriendum est, quàm peccandum etiam venialiter.

*Resp. dist. ant.* Extra casum gravis damni; *conc.* in casu gravis damni, *subdist.* aliquando, ut constat ex dictis, *conc.* semper, *nego ant.* Etenim improbable est, quòd omnia præcepta humana magis obligent, quàm aliqua præcepta legis naturalis & divinæ; atqui sunt quædam præcepta legis naturalis & divinæ per se obligantia ad mortale, quæ tamen non obligant cum periculo vitæ, qualia sunt præcepta solvendi debitum, confitendi integrè, &c. ergo.

*Inst.* Carthusianus qui ex medicorum judicio, novit se moriturum, nisi carnem comedat, non potest tamen carnibus uti, propter consuetudinem apud Carthusianos vim legis habentem, non utendi carnibus, etiam in extremâ necessitate; ergo lex humana obligat cum vitæ periculo.

*Resp. conc. ant.* pro casu in quo Carthusianus alios haberet cibos, *dist. conseq.* Lex humana obligat, aliquando, cum nempè pluris interest eam servari, quàm servari vitam alicujus privati,

vati, conc. semper, nego conseq. Porrò pluris interest legem Carthusianorum seruari, quàm seruari vitam alicujus privati, quia si semel in eâ dispensaretur, facilè tepesceret sanctissimi illius instituti disciplina, & brevì tandem funditùs evanesceret, sine ullâ spe remedii, quia, ut benè docet Gerson, Tract. de non esu carni-um Carthusiens. tom. 2. p. 726. *Semel lapsa religio, ut experti scripserunt, nunquàm, aut vix reparari potest; nova faciliùs à fundamentis conderetur.*

Quæres 3<sup>o</sup>. *An peccet contra legem, qui non tollit, aut qui ponit impedimentum executioni legis?*

*Resp.* Peccat contra legem, qui eo tempore quo urget præceptum, vel paulò antè, ejus executioni ponit, vel non tollit impedimentum; nisi illud sit necessarium, vel tam utile ut melius sit illud non tolli, quàm legem seruari.

*Prob.* Quia, qui præcipit finem, simul præcipit media necessaria ad affecutionem illius finis, saltem si non sint nimis difficilia; atqui tollere, aut non ponere impedimentum, est medium necessarium ad legis executionem; ergo.

*Resolves* 1<sup>o</sup>. Peccat contra legem audiendæ Missæ, qui lectum, studium, & quamvis aliam actionem non necessariam, non omittit, dùm urget præceptum audiendæ Missæ, quia non tollit impedimentum non necessarium; item, qui paulò antequàm urgeat præceptum, se inebriat, prævidens indè futurum, ut Missam audire nequeat, peccat non solùm contra temperantiam, sed etiam contra præceptum audiendæ Missæ.

*Resolves* 2<sup>o</sup>. Peccat contra præceptum jejunii,  
MORAL. Tom. IV. X



1°. qui venationi, aut ludo pilæ, absque causâ necessariâ vacat, prævidens ità se defatigatum iri, ut inhabilis erit ad jejunium . . . . 2°. Qui simul jejunare & iter pedibus facere non valens, peregrinationem in aliud tempus non differt, *Si tamen*, ait D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. *commodè differri possit, aut diminui, absque detrimento corporalis salutis & exterioris statûs . . . .* 3°. Operarii non jejunantes, *si jejunando, possunt competenter victum pro suâ personâ habere, & pro familiâ, sive quia aliàs divites sunt, sive quia de eo quod minori labore fit, qui secum jejunium compatitur, lucrari sufficientia possunt.* Ità D. Thom. ibid. . . . 4°. Peccant etiam ex D. Thom. in 4. dist. 15. 4. 3. *qui operarios conducere nolunt, nisi tali pacto, ut jejunium solvant, nisi fortè sit causa necessaria, quæ festinationem operis exposcat.* Quod intelligendum est, juxta limitationem casûs præcedentis.

Dixi: *Nisi illud impedimentum sit necessarium, vel saltem tam utile, &c.* quia certum est legem humanam non adeò strictè obligare, ut ad eam implendam tolli debeant impedimenta necessaria, aut maximè utilia; ita communiter Theologi, post D. Thom. q. 147. a. 4. ad 3. docentem, quòd *necessitas statim peregrinandi, vel etiam multùm laborandi; vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem, à jejunio dispensat, quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc, impediret alias pias & magis necessarias causas.*

*Resolves* 1°. Cum tempore Sacri urget necessitas opitulandi infirmo, Missa omitti debet, ut ei opituletur.

2<sup>o</sup>. Qui jejunium non potest servare, concionando, aut confessiones excipiendo, non tenetur opera illa pietatis, quæ per se jejunio meliora sunt, omittere ut jejuset, nisi per regulam, aut Constitutiones alicujus Religionis aliter sit statutum; prout statutum est apud PP. Capucinos, Const. c. 9.

Quæres 4<sup>o</sup>. *An qui non potest totum opus præceptum implere, teneatur ad partem quam potest?*

*Resp. affirm.* si præceptum sit de re divisibili. Ratio est, quia præceptum de re divisibili obligat ad omnes & singulas partes, etiam seorsim sumptas; undè Innoc. XI. damnavit hanc Dianæ prop. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.*

*Resolves* 1<sup>o</sup>. Qui tempore præfationis, aut communionis ad Missam accedit, nec alteriûs copiam habet, residuam illius Missæ partem tenetur audire.

2<sup>o</sup>. Qui die jejunii, non potest à carnibus abstinere, potest tamen à duabus refectionibus, violat jejunium, duas integras refectiones sumendo.

Quæres 5<sup>o</sup>. *An eodem tempore duobus præceptis satisfieri potest per plures actus?*

*Resp. affirm.* modo unus actus non impendiat alium, nec aliter mentem suam exprefferit Legislator. Ita omnes ferè Doctores quos citat & sequitur Bonacina. Ratio est, quia ille præcepto satisfacit, qui facit id quod lege præscribitur; sed possumus, eodem tempore, facere quod lege præscribitur, cum in lege non præscribitur diversitas temporum; ergo.

*Resolves* 10. Qui tempore Missæ recitat Horas canonicas, aut pœnitentiam à Confessario injunctam, satisfacit præcepto Missæ, & præcepto divini Officii, aut pœnitentiæ injunctæ; quia recitatio Horarum aut pœnitentiæ, non impedit attentionem & devotionem quæ debetur sacrificio Missæ.

2º. Qui tempore Missæ peccata sua confitetur, aut facit examen conscientiæ, non facit satis præcepto Missæ, quia utrumque impedit attentionem, quæ auditioni Missæ debetur: nam Ecclesia præcipit assistere Missæ per modum orationis; qui autem confitetur, aut facit examen conscientiæ tempore Missæ, non assistit per modum orantis; ergo.

Quæres 6º. *An per unum eundemque actum possint impleri plura præcepta?*

*Resp.* Possunt, quoties Superior prudenter existimatur concedere, ut per eundem actum, pluribus præceptis satisfiat. Ratio est, quia obligatio legis pendet à mente Legislatoris, ipsiusque voluntatem non excedit; ergo.

*Dices:* Non possumus unâ solutione, satisfacere pluribus debitis justitiæ commutativæ; ergo neque possumus unico actu, satisfacere pluribus præceptis.

*Resp. nego consequ.* Disparitas est, quòd justitia commutativa respiciat æqualitatem rei ad rem, æqualitas autem rei ad rem non salvatur unicâ solutione in pluribus debitis; econtrà, in præceptis attenditur intentio Legislatoris, quæ ferri potest in unum, idemque opus. Intentio autem Legislatoris cognosci potest, vel ex naturâ operis præscripti, vel ex communi usu & interpretatione.



*Resolves* 1°. Qui tenetur Horas canonicas recitare ratione ordinis & beneficii, unicâ recitatione utrique obligationi satisfacit, ut constat ex communi usu.

2°. Si cui à Confessario injunctum sit onus audiendi Missam singulis diebus, satisfacit præcepto Ecclesiæ & Confessarii unicam Missam audiendo diebus festis, hæc enim præsumitur intentio Confessarii. Econtra, si cui operario injungeretur à Confessario, ut Sacrum omnibus diebus festis audiret (per annum v. g.) non satisfaceret unicam Missam audiendo, sed teneretur duas audire; quia talis esse præsumeretur mens Confessarii, quæ colligitur ex naturâ satisfactionis, quæ solet esse opus aliàs indebitum.

Quæres 7°. *Quanam sit differentia inter obligationem legis affirmativæ & negativæ?*

*Resp.* In hoc differunt, quòd lex affirmativa obliget semper, sed non pro semper; hoc est, quòd vim obligandi semper habeat, non tamen pro omni tempore, actu obliget, sed pro eoduntaxat, quo actio præcepta executioni est mandanda. Lex verò negativa semper obliget & pro semper, ac proinde omni tempore actu obligat, sic omni tempore teneor non furari, quia præceptum, *non furaberis*, est negativum.

Porro, ex ipsâ præcisè legis verborum formâ non potest dignosci, utrum præceptum sit affirmativum, vel negativum; cum idem præceptum (v. g. jejunii) affirmativè proponi possit sic: *jejuna*: vel negativè, *ne comedas*. Ut ergo ritè dignoscatur, videndum est, utrum actio positiva præcipiatur, vel prohibeatur: hinc præceptum jejunii est negativum; præceptum verò

eleemosinæ est affirmativum, quibuscumque verbis proponantur; quia illud positivum actum prohibet, istud verò actum positivum præcipit.

Quòd si eodem præcepto simul actio positiva præcipiatur, & alia quædam prohibeatur, dicendum est illud præceptum, affirmativum esse simul & negativum; tale est præceptum de cultu parentum, quo præcipitur, ut honor parentibus exhibeatur, & simul prohibetur ne injuria illis inferatur.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*De variis speciebus legum humanarum.*

*Nota.* **L** Ex humana dividitur in scriptam, & non scriptam seu consuetudinariam; & utraque, vel est merè præceptiva aut prohibitiva, vel pœnalis, vel favorabilis, vel irritans.

De merè præceptivâ & prohibitivâ, huc-usque diximus, restat de aliis hic breviter differendum, quinque articulis.

### ARTICULUS I.

*De Lege scriptâ.*

**L** Ex scripta, alia est civilis, quæ Jus Civile; alia Ecclesiastica, quæ Jus Canonicum appellatur.

§. I. *De Jure Civili.*

Quæres 1<sup>o</sup>. *Quid sit Jus Romanum?*

*Resp.* Est corpus Juris, quod dividitur in quinque partes, nimirum

1<sup>o</sup>. In *Institutiones*, quæ quatuor libris constant, & quæ continent totius Juris elementa,

seu principia , in gratiam jurisprudentiæ studioforum.

2°. In *Digestum* , seu *pandectas* , à verbo græco , *totum capio* : continet quinquaginta libros , qui cunctas penè veterum leges meliori ordine digestas complectuntur.

3°. In *Codicem* , qui vocatur *Codex Justiniani* , & constat duodecim libris.

4°. In *Novellas* , seu *authenticas* , quarum extat unicus liber continens 168 novas constitutiones , quas Justinianus , imperii sui tempore , promulgavit.

5°. In *Unicum librum feudorum* , quo jura *feudalia* exponuntur.

Quæres 2°. *Quomodo citetur Jus civile ?*

*Resp.* 1°. Institutiones hoc modo citantur : *Inst. de rer. divis. §. item ea*. Id est , in institutionibus Justiniani , titulo *de rerum divisione* , paragrapho qui incipit , *item ea*.

2°. Digesti leges sic citantur : *L. creditor* , vel *L. 23. D. vel ff. de pignorib.* Id est , *Lege creditor* , vel *Lege 23. digesti* , vel titulo , *de pignoribus*.

3°. Codex sic citatur : *L. novum* , vel *L. 2. c. vel cod. de appel.* Id est , *lege quæ incipit , novum* , vel *L. 2. codice* , *de appellationibus*.

4°. Novellæ seu authenticæ sic citantur : *authent. vel novel. ut factæ novæ const. vel authent. 66. c. 1. §. igitur etiam*. Id est , *authentica* , cujus titulus est , *ut factæ novæ constitutiones* , quæ est *66. cap. 1. §. qui incipit , igitur etiam*.

5°. Liber feudorum , sic allegatur ; *feud. de prohib. feud. alien. c. vel L. quoniam*. Id est , in libro feudorum , titulo *de prohibita feudi alienatione* , in Capite , vel *Lege quæ incipit , Quoniam*.



Quæres 3°. *Quid sit Jus gallicum?*

*Resp.* Jus gallicum, non est idem in toto regno; nam aliæ provinciæ (ut Occitania, Provincia, Delphinatus, Vasconia, tractus Lugdunensis) utuntur Jure Romano, & ideò dicuntur. *Provincia Juris scripti.* Aliæ utuntur consuetudinibus, quæ licet primam originem, non à scripturâ, sed ex solo populorum consensu desumpserint, hodiè tamen ut habeant auctoritatem, debent esse scriptæ, & à Rege approbatæ, ut sanxit Carol. VII. an. 1553. & ideò vocantur. *Provincia consuetudinariæ.* Circa hoc

*Nota 1°.* Etsi jus Romanum vim legis non habeat, in provinciis consuetudinariis, ad illud tamen confugiunt; ubi deficit consuetudo, ut notat *Mornac* in l. 9. ff. de Just. & Jure.

*Nota 2°.* In singulis regni provinciis, sive *juris scripti*, sive *consuetudinariis*, Regum edicta & constitutiones facere jus, undè derogant juri Romano & consuetudinibus provinciarum. Unde maximè optandum est, ut Confessarii habeant aliqualem saltem, consuetudinis locorum, & edictorum regalium cognitionem, ut obvios conscientie casus possint ritè resolvere, & de aliis dubitare.

## §. II. *De Jure Ecclesiastico, seu Cánico.*

Quæres 1°. *Quid sit Jus Canonicum?*

*Resp.* Definitur à Lancelotto, *Inst. Juris Can. tit. I. Jus quod civium actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit.* Constat scripturâ sacrâ, Apostolorum traditionibus, decretis Conciliorum, sive generalium, sive particularium, & decretalibus summorum Pontificum Epistolis.

Quæres 2°. Quibus partibus constat Jus Canon-  
nicum ?

Resp. Constat sex partibus, 1°. Decreto, 2°. Decretalibus, 3°. Sexto decretalium, 4°. Clementinis, 5°. Extravagantibus Joannis XXII. 6°. Extravagantibus communibus.

1°. *De Decreto Gratiani.*

Decretum fuit collectum, circa annum 1150. à Gratiano, Ordinis S. Benedicti monacho, ex sacrae Scripturae sententiis, Conciliorum, & summorum Pontificum decretis & responsis, Imperatorum legibus, sanctorum Patrum, & Ecclesiasticorum Historicorum dictis, ipsiusque Gratiani ac ejus discipuli Paleæ commentariis. Illudque divisit in tres partes.

*Prima pars*, agit de personis Ecclesiasticis, habetque unam supra centum distinctiones, in canones, seu capita divisas.

Sic citatur: *can. vel cap. illitteratos, dist. 36. vel brevius, can. vel cap. I. dist. 36.*

*Secunda pars* continet 36 causas, in quibus agitur de materia & forma judiciorum. Quæstio autem tertia causæ trigessimæ tertiæ, septem habet distinctiones, *de Pœnitentiâ.*

Quia verò causæ in quæstiones, quæstiones in capita, seu canones dividuntur, ideò sic citantur: *can. vel cap. Si quis*, vel canone tertio, tertiâ, quartâ; id est, canone tertio, causâ tertiâ, quæstione quartâ.

Tractus de Pœnitentiâ sic citatur: *can. 16. vel can. vulgaris, distinctione primâ, de Pœnitentiâ.*

*Secunda pars*, agit de rebus sacris. Habet

quinque distinctiones, quæ sic citantur: *can. Basilicas*, vel *can. 6. dist. 1. de Consecrat.* id est, *de Consecratione*.

2º. *De Decretalibus Gregorii IX.*

Decretales, jussu Gregorii IX. fuerunt compilatæ à sancto Raymundo de Pennafort, & in quinque libros divisæ, quorum 1<sup>us</sup>. Agit de Judicibus, seu Prælati Ecclesiæ. 2<sup>us</sup>. De Judiciis civilibus. 3<sup>us</sup>. De rebus Clericorum. 4<sup>us</sup>. De Sacramento Matrimonii. 5<sup>us</sup>. De Judiciis criminalibus. Quæ omnia hoc versu continentur:

*Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.*

Decretales sic citantur: *cap. 12. vel cap. innotuit. De arbitris.* Olim addebatur *extra*, sic: *cap. 12. Extra, de arbitris.*

3º. *De sexta Decretalium.*

Liber sextus Decretalium, ( sic dictus, quia quinque libros Decretalium Gregorii IX. sequitur ), à Bonifacio VIII. an. 1298. ex diversorum Pontificum responsis, fuit compilatus.

In quinque libros dividitur, in quibus servatur idem ordo materiarum ac titulorum, qui in Decretalibus Gregorii IX. servatus est; undè citatur eodem modo, excepto quòd addatur, *in 6. v. g. cap. nemo*, vel, *cap. 15. de electione*, *in 6.*

4º. *De Clementinis.*

Clementinæ, sic dicuntur, quia quinque libris complectuntur Constitutiones, tum Clementis V. tum Concilii Viennensis, cui Clemens XV. præfuit an. 1311. quas Joan. XII. promulgavit an. 1317.



Clementinæ sic citantur : Clem. *Cùm secundum*, *De Pœnitentiis*; vel sic, *cap. Cùm secundum*; vel *cap. I. de Pœnitentiis*, *in Clementinis*.

5°. *Extravagantes Joannis XXII.*

Extravagantes Joannis XXII. sunt viginti Decretales, quas Joan. XXII. prioribus pontificatûs sui annis emisit: æque *extravagantes* dicuntur, quia vagabantur extra corpus Juris hæcenus editum.

Citantur hoc modo: *cap. I. vel cap. ad onus, de electione, in Extravag. Joan. XXII.* vel brevius, *Extrav. ad onus, de electione.*

6°. *Extravagantes communes.*

Extravagantes communes, sunt decretales, tum Joan. XXII. tum aliorum ante ipsum Pontificum, quæ prioribus collectionibus insertæ non fuerant.

Citantur hoc modo: *Extravag. injunctæ, de electione, cap. 3. vel, cap. sancta, int. comm.* id est, inter communes.

*Nota.* Ad extravagantes revocari debent decreta Conciliorum approbatorum, Pontificum Bullæ, & aliæ constitutiones, quæ nondum in corpus juris sunt insertæ, & quæ postquam sufficienter promulgatæ sunt in singulis Provinciis, irrefragabilem habent auctoritatem.

Quæres 3°. *Quâ auctoritate corpus Juris viget in Ecclesiâ.*

*Resp.* 1°. Decretum Gratiani, licet correctum auctoritate Gregorii XIII. an. 1582. tamen cum à nullo hæcenus Pontifice solemniter & authenticè sit confirmatum, ejus Canones nul-

lam aliam auctoritatem obtinent, quam eorum, à quibus deprompti sunt; quod est maximè observandum.

*Resp.* 2<sup>o</sup>. Aliæ quinque partes Juris canonici ubiquè vim legis irrefragabilem obtinent, nisi per novam constitutionem, vel justam consuetudinem, Canones in illis contenti sint aboliti.

Dixi: *Nisi per justam consuetudinem*, &c. quia in Galliâ, licèt magni sint ponderis, tamen in ea vim juris non habent, nisi in his in quibus cum antiquis Regni usibus concordant, de quo vide *de Hericourt*, in Præfat. Tract. de legibus Eccles. p. 14.

Quæres 4<sup>o</sup>. *Quid Galli intelligant per libertates Ecclesiæ Gallicanæ?*

*Resp.* Intelligimus *jus constanter sequendi receptos universalis Ecclesiæ Canones, & antiquos, Regni usus, quidquid de novo in contrarium dècernatur.*

Dicitur 1<sup>o</sup>. *Jus sequendi receptos Ecclesiæ Canones*: quibus vocibus significatur has libertates non consistere vel in potestate faciendi quod libuerit; vel in summâ à Romano Pontifice independentiâ; cum antiqui Canones quos sequimur, exigant ut Papa ab omnibus habeatur ut Pastorum omnium primus, omnium Ecclesiarum caput, habens jurisdictionem, non solum in omnes Ecclesias, sed & in omnes earumdem Pastores, &c. Undè liber, cui titulus: *Des Droits & des libertés de l'Église Gallicane*, fuit suppressus, Arresto Regii Consilii, dato an. 1638. die 20. Decemb. & damnatus à Cardinal. Archiepisc. & Episcopis 22. eò quod ausu temerario contrarium asseruerit.

Dicitur 2°. *Et antiquos Regni usus* : qui, cum gentis genio & moribus congruant, sine magnâ publicæ tranquillitatis perturbatione, mutari non possent, nec eos mutare intendit Ecclesia, juxta illud Zozimi Papæ : *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis Apostolicæ potest auctoritas*, Can. *contra*, 25. q. 1.

Dicitur 3°. *Quidquid de novo in contrarium decernatur*. Undè profiteamur ea Decreta libenter nos amplecti, quæ nec legitimè receptis usibus, nec antiquæ disciplinæ adversantur. Idque patet ex Comitibus Blesensibus, in quibus eadem fanciuntur circa disciplinam, quæ à Concilio Tridentino fancita fuere; paucis exceptis, quæ libertatibus Gallicanis adversabantur.

## ARTICULUS II.

### *De Lege consuetudinariâ.*

*Nota.* **D**uplex est consuetudo, alia facti, alia juris. Et utraque, vel est secundum legem, vel præter legem, vel contra legem. Ideo

Quæres 1°. *Quid sit consuetudo facti?*

*Resp.* Est continuata & publica frequentatio actuum humanorum ejusdem rationis, à majori & saniori parte communitatis exercitorum, cum animo se obligandi.

Dicitur 1°. *Frequentatio continuata* : quia non per unum actum bis aut ter repetitum, sed per actus frequenter repetitos, consensus populi necessarius ad consuetudinem inducendam, potest sufficienter exprimi.

Dicitur 2°. *Publica* : quia illa frequentatio actuum, debet tenere locum promulgationis, &



indicare populi consensum; ergo requiritur, ut actus illi sint publici & notorii, nec ad id sufficiunt actus clam exerciti.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *Actuum humanorum*: id est, qui fiunt voluntariè & liberè. Hinc si populus per vim, metum, aut errorem, aliquid repetitis actibus faciat, nulla indè nascitur consuetudo vim legis habens.

Dicitur 4<sup>o</sup>. *A majori parte*: quia mos aliquorum privatorum non potest facere, nisi consuetudinem privatam; agitur autem hic de consuetudine communi, quæ, post certum tempus, vim tandem legis fortiatur.

Dicitur 5<sup>o</sup>. *Saniori parte communitatis*: quia si consuetudo à sapientibus & timoratis rejiceretur ut mala, vera consuetudo non esset, sed abusus & corruptela, utpotè quæ non posset esse morum regula.

Dicitur 6<sup>o</sup>. *Cum animo se obligandi*: quia consuetudo accipitur pro legè; sed ad legem requiritur voluntas obligandi ergo.

Hinc consuetudines salutandi B. M. V. ad pulsus campanæ, sumendi aquam lustralem in Ecclesiæ ingressu, vim legis obligatoriæ non fortiuntur; quia illi actus ex merâ devotione fuerunt frequentati, & frequentantur.

Porro cognoscitur consuetudinem inductam esse animo se obligandi, 1<sup>o</sup>. Cùm Superiores puniunt & redarguunt transgressores consuetudinis; non enim præsumuntur velle pœnam imponere pro transgressione actûs aliàs in debiti. 2<sup>o</sup>. Cùm indè populus scandalizatur; nullus enim scandali occasionem censetur accipere ex eo quod alicui liberum est præstare. 3<sup>o</sup>. Cùm

materia consuetudinis bono communi plurimum utilis est ; talis enim consuetudo præsumitur inducta ad præstandum id quod præstare tenemur ; atqui tenemur bono communi consulere ; ergo,

Quæres 2<sup>o</sup>. *Quid sit consuetudo Juris ?*

*Resp.* Definitur ab Isidoro : *Jus quoddam moribus institutum , quod pro lege suscipitur cùm deficit lex.* Refertur Can. 5. dist. 1.

Dicitur 1<sup>o</sup>. *Jus* : per quod convenit cum lege scriptâ ; utraque enim est jus , & consuetudo legitima vim legis habet.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *Moribus institutum* ; id est , per consuetudinem facti , quæ potiùs est causa consuetudinis juris , quàm vera consuetudo.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *Quod pro lege suscipitur* , ut dicitur. L. 32. ff. de legibus : *Inveterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur ; & hoc est jus , quod dicitur moribus constitutum.*

Dicitur 4<sup>o</sup>. *Cùm deficit lex* : id est , cùm circa aliquid lex non est lata , vel cùm est inutilis , vel cùm est dubia , aut obscura. Undè

Quæres 3<sup>o</sup>. *Quid sit consuetudo secundum legem , præter legem , & contra legem ?*

*Resp.* 1<sup>o</sup>. *Consuetudo secundum legem* , est ea , quæ conformis est legi præexistenti ; talis est consuetudo , quæ interpretatur legem , vel quæ est legis existentis executio.

2<sup>o</sup>. *Consuetudo præter legem* , est ea quæ nec lege præcipitur , nec legi adversatur ; talis est consuetudo Missam quotidie audiendi.

3<sup>o</sup>. *Consuetudo contra legem* , est ea quæ legi adversatur ; talis est , quæ viget in quibusdam Diocesisibus , vescendi carnibus , singulis Sabbatis à Nativitate Domini usque ad festum Purificationis inclusivè. Ideò

Quæres 4<sup>o</sup>. Quot sunt effectus legitimæ consuetudinis ?

Resp. Sunt tres.

1<sup>us</sup>. Est legem dubiam interpretari, cùm sit *optima legum interpres*, cap. 8. de consuet.

2<sup>us</sup>. Est novam legem inducere; nam ex Aug. *In his rebus, de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, & instituta majorum, pro lege tenenda sunt.* Ita refertur Can. 7. dist. 11.

3<sup>us</sup>. Est veterem legem abrogare; nam consuetudo habet vim legis; atqui lex nova potest veterem abrogare; ergo & consuetudo. Undè Greg. IX. can. ult. de consuet. definit, quòd consuetudo longæva *non debeat juri positivo præjudicium generare, nisi fuerit rationalis, & legitimè sit præscripta.*

Quæres 5<sup>o</sup>. Quot requirantur conditiones, ut consuetudo vim legis habeat, aut Legem abroget?

Resp. Requiruntur tres; 1<sup>o</sup>. ut sit *rationalis*, id est, honesta, bono communi utilis, nec juri naturali, divino, aut religioni contraria, aliàs esset corruptela.

2<sup>a</sup>. Ut adsit *consensus Legislatoris*, vel personalis, vel legalis: quia non minorem potestatem requirit consuetudo, ut vim legis habeat, quàm lex; sed lex requirit consensum Principis; ergo.

Porrò consensus *personalis*, est is quo Princeps per se immediatè approbat consuetudinem, vel expressè, dando licentiam ut inducatur; vel tacitè, cùm conscius consuetudinis quæ introducitur, non resistit, cùm facilè resistere posset, imò deberet, cùm peccata multiplicentur, nisi consentiat; tenetur autem impedire peccatum....

Consensus *legalis*, est is quo Princeps, nescius consuetudinis



consuetudinis quæ grassatur, legem tulit, vel ejus prædecessores, quâ approbantur consuetudines rationabiles & legitimè præscriptæ.

3<sup>a</sup>. Ut sit *legitimè præscripta*: id est, continuata toto tempore requisito ad præscribendum, non contradicente Superiore. Sed

Quæres 6<sup>o</sup>. *Quantum requiratur temporis, ut consuetudo contra legem præscribat, seu quod idem est, ut legem abroget?*

*Resp.* 1<sup>o</sup>. Si adsit consensus Principis *personalis*, expressus, aut tacitus, consuetudo *contra*, à fortiori *præter* legem, præscribit ubi primùm constat de consensu Principis, nec requiritur tempus ad præscriptionem requisitum; quia tunc jus novum non inducitur vi præscriptionis, sed vi consensûs Principis, qui potest legem introducere & abrogare.

*Resp.* 2<sup>o</sup>. Si adsit consensus *legalis* tantùm, requiritur, juxta communioem sententiam, \* spatium 10 annorum, ad leges civiles; & 40 annorum, ad leges Ecclesiasticas præscribendas. Ratio est, quia leges sunt jura; atqui ad præscribenda jura civilia, requiruntur 10 anni; & ad præscribenda jura Ecclesiastica, requiruntur 40 anni; ergo.

*Dices*: Consuetudo *contra* legem, ubi non intervenit consensus personalis Principis, non est rationabilis; ergo non est legitima.

*Prob. ant.* Consuetudo inducta per actus malos & peccaminosos, non est rationabilis; atqui consuetudo inducta *contra* legem, est talis; ergo.

*Resp. dist. maj.* Non est rationabilis, ex parte

\* *Quæ est, S. Antonin. Navar. Azor. Fagnan. Suares, Reginald Bonac. Panormit. & aliorum.*

causæ efficientis, *conc. maj.* ex parte objecti, *nego maj.* & sic distinctâ min. *nego conseq.* Itaque, quando leges exigunt, ut consuetudo sit rationalis, unice attendunt ad illius objectum, quod debet esse bonum, utile Reipublicæ, nec contrarium legibus divinis & naturalibus, nec libertati Ecclesiasticæ: non verò attendunt ad actus illorum qui inchoant consuetudinem, quique peccaminosi sunt, donec elapsum sit tempus requisitum ad præscribendam consuetudinem, cum sint contra legem adhuc vigentem & obligantem; à quo peccato excusantur, qui bonâ fide putant legem jam non vigere.

*Inst.* Præscriptio nulla est, nisi procedat ex bona fide; atqui consuetudo, quæ per actus peccaminosos inchoatur, non procedit ex bonâ fide, ergo.

*Resp. dist. maj.* Præscriptio honorum, nulla est, nisi, &c. *conc. maj.* præscriptio legis, *nego maj.* Ratio est, quia jura ad præscriptionem legis nihil aliud requirunt, nisi quod sit rationalis, nimirum ex parte objecti: nam si requirerent, ut ex bonâ fide procederet, nullam admitterent consuetudinem legis abrogativam, cum non possit fieri, moraliter loquendo, quin inchoetur per actus peccaminosos, & consequenter malâ fide.

Quæres ult. *An sicut consuetudo potest abrogare legem, sic lex possit abrogare consuetudinem?*

*Resp. affirm.* ut expressè definivit Bonifac. VIII. Cap. 1. *de Constit.* in 6. Ratio est, quia consuetudo non habet vim legis, nisi auctoritate Principis approbantis, atqui per quascumque causas res nascuntur, per easdem dissolvuntur; ergo. Hic tamen

*Nota*, consuetudinem non abrogari per legem subsequenter, nisi justè præsumatur Princeps illam consuetudinem non ignorasse; ex quo

*Sequitur* 1°. consuetudines particulares unius provinciæ, aut loci, non abrogari per legem generalem totius Regni, vel Ecclesiæ, nisi in lege fiat specialis illarum mentio, ut definit Bonifac. VIII. vel nisi addatur hæc clausula: *Non obstante quacumque consuetudine contrariâ, etiam immemoriali.* Ratio est, quia possunt probabiliter ignorari à Legislatore, ait dictus Bonifacius VIII. loco cit.

*Sequitur* 2°. consuetudines universales abrogari per legem universalem contrariam, *quamvis de ipsis mentionem non faciat Legislator*, ait ibidem Bonif. VIII. nec addat clausulam derogatoriam; ratio est, quia præsumuntur non esse ignotæ Principi.

### ARTICULUS III.

*De Lege favorabili, seu de Privilegiis.*

Quæres 1°. **Q**uid sit privilegium?

*Resp.* Definitur ab Innocentio III. *Lex privata aliquid speciale indulgens.* Cap. 25. de verb. signific.

Dicitur 1°. *Lex*, non quidem imposita privilegiato, cujus respectu est gratia, sed communitati, quæ tenetur non impedire usum privilegii. Ex eo autem quòd privilegium sit lex, sequitur 1°. ab illo solo posse concedi, à quo lex potest ferri. 2°. quòd differat à dispensatione, in quantum dispensatio sit gratia transiens, ad unicum actum concessa, privilegium verò sit gratia permanens, quæ dat jus ex se stabile, nam cum limitatur ad tempus, hoc fit præter



naturam privilegii, quod exigit semper durare, donec revocatum fuerit.

Dicitur 2°. *Privata*: quia licet motivum formale privilegii sit bonum commune, quatenus Reipublicæ plurimum interest; ut privilegia dignis, aut indigentibus concedantur: tamen objectum ejus materiale indifferenter respicit, vel bonum alicujus, aut aliquorum particularium, vel bonum alicujus communitatis, ut privilegium canonis & fori, quod est concessum statui Clericali; per quod privilegium differt à lege, quæ necessario est immediate propter bonum commune.

Dicitur 3°. *Aliquid speciale indulgens*; id est, aliquid præter, vel contra jus commune: cum privilegium addit aliquid juri communi, est præter jus commune; talis est facultas dispensandi, absolvendi, alicui concessa: cum dispensat à jure communi, est contra jus commune; talis est exemptio Regularium ab Ordinariorum jurisdictione.

Quæres 2°. *Quomodo dividatur privilegium?*

*Resp.* dividitur 1°. In reale & personale.

*Reale*, est quod directè & immediate conceditur alicui rei, v. g. loco, dignitati, muneri, &c. hoc transit ad hæredes, aut successores.

*Personale*, est quod conceditur immediate personæ ratione suâ, nempe propter sanctitatem, excellentiam, doctrinam; &c. hoc *extinguitur cum personâ*, Reg. 7. Jur. in 6. Undè dicitur etiam *vitale*.

Porro privilegium censetur personale, quoties exprimitur nomen personæ cui conceditur, v. g. *committimus Claudio Episcopo Tullensi*. Si verò sola exprimat dignitas, est reale, v. g.

*committimus Episcopo Tullensi.* In dubio, est personale, si sit odiosum; reale verò si sit favorabile, quia odia sunt restringenda, favores vero sunt ampliandi.

Dividitur 2<sup>o</sup>. In gratiosum, & remunerativum.

*Gratiosum*, est illud quod datur gratis, nullâ habitâ ratione meritorum privilegiati; vel aliorum; hoc sine causâ licitè potest revocari.

*Remuneratorium*, est quod conceditur alicui, ratione meritorum ipsius, vel alterius. Tale non potest licitè revocari, nisi ex gravi causâ, & cum privilegii ablati compensatione.

Dividitur 3<sup>o</sup>. in favorabile, & odiosum.

*Favorabile*, est illud quod privilegiato confert commodum, nullique affert incommodum, tale est privilegium vescendi carnibus tempore quadragesimæ. Est amplæ interpretationis; quia *beneficium Principis latè explicandum est*, cap. *Olim*, de verb. signif.

*Odiosum*, est illud quod uni confert commodum, & alteri præjudicium, talis est exemptio à tributis, quæ alios onerat. Est strictæ interpretationis, quia *odia sunt restringenda*.

Dividitur 4<sup>o</sup>. In privilegium datum *motu proprio* & ex certâ scientiâ; & privilegium datum *ad instantiam partis*.

Porro privilegium semper censetur concessum *ad instantiam*, nisi in litteris concessionis exprimaturn datum fuisse *motu proprio*. Inter utrumque autem discrimen est, quòd privilegium *motu proprio* concessum, etsi sit alteri nocivum, semper tamen reputatur favorabile, juxta reg. Juris ult. ff. de constit. *Beneficium Imperatoris, quod à divinâ scilicet ejus indulgentiâ proficiscitur, quam plenissimè interpretari debemus.*

Quæres 3°. *An privilegiatus teneatur uti privilegio?*

*Resp.* Per se loquendo non tenetur; quia ex cap. 6. *de privilegiis* liberum est unicuique juri suo renunciare. Dico; *per se loquendo*; quia excipiuntur duo casus:

1°. Cùm privilegium datur, ad aliquid aliàs præceptum; v. g. ad audiendam Missam tempore interdicti.

2°. Cùm privilegium proximè respicit bonum communitatis; tale est privilegium canonis & fori, quod concessum est statui Clericali, cui proindè non potest cedere Clericus, cùm ex omissione ejus usûs, sequatur aliorum præjudicium.

Quæres 4°. *An quis privilegio, contra legem concesso, uti possit extra territorium concedentis?*

*Resp.* Non potest, si privilegium, sit locale; potest verò, si sit personale, modò non sit contra particulares alterius territorii leges. Ratio est, quia privilegium locale afficit territorium concedentis, ipsique annexum est; personale verò afficit personam, eamque sequitur quocumque pergat; ergo.

*Resolv.* Si cui concessum sit privilegium vescendi carnibus tempore Quadragesimæ propter penuriam piscium, eo privilegio non potest uti extra territorium concedentis, quia est locale; si verò concessum sit propter necessitatem ipsius privilegiati, potest ubique tali privilegio uti, quia est personale: talisque est praxis timoratorum, qui acceptâ à Parocho suo licentiâ comedendi carnes, iisdem in aliâ Parochiâ, absque novâ Parochi illius loci permissione, vescuntur.



Dixi, *Modò non sit contra particulares alterius territorii leges*: quia, ex dictis, viator tenetur legibus particularibus alieni territorii per quod transit, vel in quo, ad aliquod tempus moratur.

Hinc, qui à suo Episcopo facultatem obtinuit legendi libros prohibitos, potest illos in alienâ Diœcesi legere, modò non sint prohibiti per statutum Episcopi illius loci.

Quæres 5°. *Quot modis privilegium amittitur?*

*Resp.* Sex modis amittitur.

1°. Lapsu temporis præscripti, si sit temporale, aut cessatione causæ, propter quam concessum fuerat. *L. quoties*, de precibus imperatori offerend. Ratio est, quia privilegium non durat ultra intentionem concedentis; atqui concedens noluit privilegium concedere, nisi ad tale tempus, vel sub tali causâ; ergo.

2°. Amittitur per voluntariam & liberam renuntiationem, factam à privilegiato, & acceptatam à privilegiante; ratio est, quia *liberum est unicuique juri suo renuntiare*, cap. 6. de Privil.

3°. Amittitur per non usum, spatio ad præscriptionem sufficiente, si gravet alios; quia non usus privilegii, per tantum tempus, est tacita illius renuntiatio, ut definit Innocentius III. cap. 15. *de Privil.* Quòd si non gravet alios, non amittitur per præscriptionem, cum nemo sit, qui habeat jus de eo conquerendi.

4°. Amittitur per usum privilegio formaliter contrarium, si gravet alios. Ratio est, quia privilegiatus præsumitur renuntiare privilegio, *ibidem*. Quòd si non gravet alios, non amittitur, propter contrariam rationem.

Hinc, qui habens privilegium non solvendi

decimas, eas volens & sciens solvit, amittit privilegium: econtrà, qui habens privilegium non jejunandi tempore Quadragesimæ, jejunat, non amittit privilegium; quia præsumitur jejunare solum ex devotione, non ut renuntiet privilegio.

5°. Amittitur per abusum, *quia privilegium meretur amittere, qui permissâ sibi abutitur potestate.* Requiritur tamen sententia declaratoria Judicis, nisi privilegium concessum sit sub conditione illud amittendi *ipso factò*, per abusum.

6°. Amittitur per revocationem concedentis, aut ejus successoris privilegiato significatam, sive sit expressa, per hanc specificam formulam, *non obstantè tali privilegio*, vel per hanc genericam, *non obstantibus quibuscumque privilegiis*; sive sit tacita, nimirum, per collationem posterioris privilegii, priori privilegio contrarii.

## ARTICULUS IV.

### *De lege pœnali.*

*Nota.* **L** Ex, alia est præceptiva, alia pœnalis. **L** Pœnalis, alia purè pœnalis, alia mixta.

*Lex præceptiva*, est ea quæ sancit aliquid faciendum, vel omittendum, nullâ pœnâ transgressoribus constitutâ.

*Lex pœnalis*, est ea quæ pœnam transgressoribus expressè constituit.

*Lex purè pœnalis*, est ea quæ præcipit tantum disjunctivè, vel ut fiat aliquid, vel ut certa pœna subeatur; undè unicum præceptum continet disjunctivum, ut patet.

*Lex pœnalis mixta*, est ea quæ præcipit aliquid faciendum, vel omittendum, & simul pœ-

nam transgressoribus imponit: undè duo præcepta continet, alterum absolutum faciendi, vel omittendi, quod præcipitur, aut prohibetur; alterum subeundæ pœnæ, si omittatur quod præcipitur, aut fiat quod prohibetur. His expositis:

Quæritur 1°. an dentur leges purè pœnales, aut mixtæ; 2°. an leges pœnales obligent ad subeundam pœnam ante sententiam Judicis.

§. I. *An dentur leges purè pœnales, aut mixtæ?*

CONCLUSIO I.

*Possunt dari leges purè pœnales.*

*Prob.* Quia lex vim habet ex voluntate Legislatoris; ergo si Legislator nolit obligare subditos, nisi ad pœnam, subditi inobedientes non incurrent, nisi reatum pœnæ; atqui Legislator potest nolle obligare subditos nisi ad pœnam, eo modo quo quis potest vovère se numquàm lufurum, vel si luserit se talem pauperibus eleemosinam erogaturum; undè fit ut non peccet, si post ludum pactam eleemosinam largiatur; ergo.

Dixi, *possunt dari*; quia in Galliâ, non dantur ejusmodi leges, ut sæpius declararunt Curiæ supremæ.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic.* 1°. Nulla pœna potest imponi sine culpâ; ergo non potest dari lex purè pœnalis.

*Resp. nego ant.* Nam juxta Reg. 23. juris in 6. *sine culpâ, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*; ergo datur pœna, quæ aliquando, ob causam à culpâ diversam, infligitur.

*Inst.* 1°. Ex D. Aug. L. 1. retract. c. 9. *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium*



*nominatur* ; ergo nulla pœna potest justè imponi sine culpâ.

*Resp. dist. ant.* Omnis pœna , propriè dicta ,  
*conc. ant.* Omnis pœna , impropriè dicta , peccati pœna est , *nego ant.* Pœna propriè dicta , est malum propter culpam inflictum ; pœna impropriè dicta , est malum , aliâ de causâ impositum , putâ , ut illius metu impellamur ad faciendum aliquid , vel ut fiamus in posterum cautiores ad vitandos communes defectus : talis est pœna , quæ per leges purè pœnales imponitur , quæ equidem supponit culpam juridicam , quæ coram Deo reatum non inducit ; sed non supponit culpam theologicam , quæ sola est peccatum.

*Inst. 2º.* Omne præceptum legitimum , obligat sub culpâ theologicâ ; atqui omnis lex , est præceptum legitimum ; ergo.

*Resp. dist. min.* Omnis lex est præceptum , absolutum , *nego.* est præceptum absolutum , vel disjunctivum , *conc. min.* Ergo obligat sub culpâ theologicâ , disjunctivè , ad actum nempè , vel ad pœnam , *conc. conseq.* absolutè ad actum , *nego conseq.* pendet autem à Legislatore , ut velit aliquando absolutè obligare ad actum , aliquando disjunctivè ad actum , vel ad pœnam , & tunc obligat in conscientiâ ad alterutrum tantum.

*Inst. 3º.* Lex est directiva actûs moralis ; ergo obligat absolutè ad actum morale.

*Resp. dist. ant.* Lex est directiva , absolutè vel disjunctivè , *conc. ant.* absolutè semper , *nego ant.* Si autem directiva sit tantum disjunctivè , non obligat nisi disjunctivè ad actum præscriptum , vel ad pœnam subeundam , quia alterutrum

tantum præcipitur : undè tunc subditus non deficit à rectitudine necessariâ vi legis , cùm alteram partem disjunctionis implet , quia non tenetur obedire Superiori , nisi eo modo , & quatenus præcipit.

*Objic.* 2°. Leges merè pœnales , non sunt veræ ac propriè dictæ leges , sed simplices directiones & consilia ; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam ad rationem legis propriè dictæ , sufficit quòd habeat vim obligandi in conscientia , atqui lex purè pœnalis obligat in conscientia ad pœnam. Undè qui legem hujusmodi transgreditur , peccat , nisi paratus sit ad pœnam illam subeundam ; ergo.

Quæres : *Quomodò cognosci possit voluntatem Legislatoris esse obligare tantum ad pœnam ?*

*Resp.* Tribus modis , 1°. ex communi sapientum interpretatione.

2°. Ex verbis Legislatoris , quibus declarat se nolle obligare ad culpam , quod satis communiter declarant in suis Constitutionibus Superiores regulares , ut constat ex Constitutionibus FF. Prædicatorum , & Capucinorum.

3°. Ex ipsâ legis formâ , cùm nempe non fertur per modum præcepti aut prohibitionis , sic : *Qui frumentum è regno transfulerit , solvet centum libras* , vel cùm fertur disjunctivè , hoc modo : *Nemo frumentum è regno transferat , vel centum libras solvat.* Tunc enim alterutrum è duobus sufficit ad legem implendam & vitandum peccatum , quia Legislator nil aliud intendit , contentus illo modo coactionis.

## CONCLUSIO II.

*Dantur leges pœnales mixtæ , obligantes in*

*conscientiâ ad actum præceptum.* Est contra Navarrum, in Manuali, cap. 23. num. 55.

*Prob.* Lex pœnalis mixta continet præceptum absolutum, & simul pœnam transgressoribus imponit; atqui lex quæ continet præceptum absolutum, licet cum impositione pœnæ, obligat in conscientiâ: nam lex humana præceptiva, seu quæ continet præceptum absolutum, absque impositione pœnæ, obligat in conscientiâ, ut fatetur Navarrus; ergo & lex præceptiva cum impositione pœnæ transgressoribus; nam impositio pœnæ non tollit obligationem ad culpam, sed potius indicat & confirmat illam; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objic. cum Navarro:* Lex pœnalis, utpotè odiosa, benignè interpretanda est; atqui benigna interpretatio est, si dicatur omnem legem pœnalem obligare sub pœnâ tantum; ergo nulla est pœnalis mixta.

*Resp. dist. maj.* Lex pœnalis, &c. benignè interpretanda est, cum sensus ejus est dubius, *conc.* cum sensus ejus non est dubius, *nego maj.* At sensus legis, quæ, in verbis, & modo quo fertur, continet præceptum actûs quem exigit, non est dubius; & ideò qui talem asserit in conscientiâ non obligare, non benignè interpretatur legem, sed manifestè corrumpit.

*Inst. 1º.* Injustum est reatum duplicis pœnæ imponere propter eandem transgressionem; ergo dum Legislatores humani imponit pœnam temporalem, non potest imponere pœnam æternam; ergo nec obligare in conscientiâ.

*Resp. nego ant.* Nam 1º. Deus cum præceptum Adamo imposuit, illum obligavit in conscientiâ



sub poenâ gravissimâ ac reatu poenæ æternæ, & tamen adjecit poenam mortis temporalis. 2<sup>o</sup>. Multæ leges civiles, poenas temporales statuunt, propter crimina contra legem naturalem aut divinam, quamvis hæ leges, æternæ poenæ reatum inducant; nec id injustè fit, quia peccatum utrâque poenâ dignum est, & utramque imponi sæpè utile, imò necessarium est, ad obtinendum effectum legis.

*Inst.* 2<sup>o</sup>. Qui unum exprimit, & aliud tacet, censetur excludere quod tacet, *cap. 5. de Præsumpt.* ergo Legislator, apponens poenam temporalem, censetur excludere æternam.

*Resp. dist. ant.* Censetur excludere quod tacet, si illa duo sint incompatibilia, vel si necessariò facienda sit utriusque mentio expressa, nec sufficiat implicita, *conc. ant. secus, nego ant. & conseq.* Porro, nec obligatio in conscientiâ incompossibilis est cum obligatione ad poenam temporalem, sed utraque potest utiliter conjungi; nec est necessaria mentio expressa obligationis in conscientiâ, sed sufficit implicita, contenta in præcepto, quo Legislator sufficienter declarat se obligare in conscientiâ, graviter vel leviter, pro qualitate materiæ quæ præcipitur.

*Resolv.* 1<sup>o</sup>. Qui extra, vel intra Regnum, aut Civitatem nonnullas merces evehunt contra leges poenales mixtas, hanc evectionem sub gravi poenâ incarcerationis, exilii, &c. prohibentes, peccant, licèt paratos se dicant ad mulctam impositam subeundam; peccant, inquam, non solum contra charitatem sibi debitam, tanto periculo se committentes; sed præcisè quia transgressio legis poenalis mixtæ, est peccaminosa.

*Resolv. 2º.* Graviter peccant & ad restitutionem tenentur, qui tributa & vectigalia defraudant; tùm quia præcipiuntur legibus pœnalibus mixtis; tùm quia sunt justa stipendia Principi, pro Republicâ laboranti, debita, juxta illud Apost. Rom. 13. *Ided enim tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.... cui vectigal, vectigal.* Et illud Christi Math. 22. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari;* ergo solvi debent ex justitiâ, etiamsi non petantur, ubi consuetudine receptum est, ut solvantur antequàm petantur; quòd si consuetudine receptum sit, ut non solvantur, nisi ab exactoribus petantur, *non necessariò solvenda sunt, nisi petantur,* ait Sylvius, *Conclus. 7. in 2. 2. D. Thomæ, q. 66. a. 8. modò nihil fraude agatur, ut abscondendo merces, divertendo à viis publicis ne exactori occurratur, fugiendo, vel aliter decipiendo exactores.* Sed

*Quæres: Cuinam facienda sit talis restitutio?*

*Resp.* Facienda est Principi, non verò exactoribus. Ratio est, quia Princeps, qui propter subditorum fraudes, jus exigendi tributa viliori pretio vendidit, indè passus est injuriam; exactores verò & publicani, qui propter tales fraudes, jus Principis viliori pretio emerunt, nullam patiuntur injuriam.

§. II. *An Leges pœnales obligent ad subeundam pœnam, ante sententiam Judicis declaratoriam?*

*Nota 1º.* Pœnæ, aliæ sunt latæ, aliæ ferendæ sententiæ.

Pœna *latæ sententiæ*, est ea quæ ipso facto, id est, solâ criminis admissione, infligitur per legem.

*Pœna ferendæ sententiæ*, est ea quæ statuitur infligenda per sententiam Judicis. De hac pœnâ non agitur in hac quæstione, cùm constet per pœnam ferendæ sententiæ reum non esse condemnatum, sed tantùm condemnandum.

*Nota 2º.* Sententia Judicis duplex est; nempe *condemnatoria*, per quam reus à Judice ad certam pœnam condemnatur; & *declaratoria*, per quam Judex declarat aliquem incidisse in crimen, propter quod pœna ipso facto incurritur.

*Nota 3º.* Duplex est genus pœnarum: 1<sup>um</sup>. est earum, quæ possunt executioni mandari sine actione rei; tales sunt pœnæ merè passivæ; v. g. censuræ, privatio vocis activæ & passivæ, &c. 2<sup>um</sup>. est earum, quæ non possunt executioni mandari absque actione rei, vel levi nec valde difficili; ut sunt pœnitentiæ quas præscribunt Religiosorum Constitutiones; vel gravi & valde difficili, ut sunt aliquæ pœnæ, 1º. positivæ, v. g. exilium, mutilatio, incarceration, &c. 2º. privativæ, v. g. privatio beneficii justè possessi, bonorum omnium confiscatio, &c. his positis, sit.

### CONCLUSIO I.

*Pœnæ quæ executioni possunt mandari sine actione rei, effectum suum sortiuntur ante sententiam Judicis declaratoriam, secluso mortis aut infamiæ periculo.*

*Prob.* Quia nulla potest sufficiens ratio afferri, cur hujusmodi pœnæ ipso facto non incurrantur, si Legislatores velit eas ipso facto incurri; & est communis usus Ecclesiæ, ut censuræ, & aliæ pœnæ merè passivæ, incurrantur absque senten-



tiâ declaratoriâ; idem dicendum de irregularitatibus; ergo.

Dixi; *Secluso mortis, aut infamiae periculo*: quia jus naturale ad propriam vitam & famam, præponderat juri humano, contra reos statuenti pœnas excommunicationis, privationis vocis activæ & passivæ, &c.

### CONCLUSIO II.

*Pœnæ quæ executioni mandari non possunt absque actione rei; effectum suum sortiuntur ante sententiam declaratoriam, si actio quæ requiritur ad earum executionem, non sit valdè difficilis; illum verò non sortiuntur, si sit valdè difficilis, nisi hæc clausula, nullâ declaratione præmissâ, vel absque ullâ declaratione, apponatur; vel nisi in aliquo casu usus contrarius invaluerit.*

*Prob.* Quia lex debet præcipere actus moraliter possibiles; atqui executio pœnarum, quæ requirit actionem rei non valdè difficilem, est moraliter possibilis; econtrà executio pœnarum, quæ requirit actionem rei valdè difficilem, est moraliter impossibilis; ergo. Et hic est communis sensus & usus Ecclesiæ.

Dixi 1<sup>o</sup>. *Nisi hæc clausula*, absque ullâ declaratione, *apponatur*; quia Legislatores id potest quod Judex; ergo si reus pœnam subire tenetur post declarationem Judicis, à fortiori & post declarationem Legislatoris.

Dixi 2<sup>o</sup>. *Vel nisi usus contrarius invaluerit*: quomodò invaluit, ut conjux incestuosus privetur jure petendi debitum, ante ullam Judicis declarationem.

*Dices*: Si delinquens, patrato delicto, propter quod pœna ipso facto est imposita, non teneretur

teneretur statim persolvere pœnam; sequeretur frustra in lege apponi illas clausulas, *ipso facto*, *ipso jure*; & nullam esse differentiam inter pœnam latæ & ferendæ sententiæ; falsum & absurdum confed.

*Resp. nego seq. maj.* Disparitas est, quia pœna ipso facto imposita, retrotrahitur ad diem commissi criminis; undè 1<sup>o</sup>. donationes & aliæ dispositiones, quæ crimen subsecutæ sunt, irritæ evadunt statim atque intervenit sententia declaratoria; 2<sup>o</sup>. ab illo die exurgit obligatio realis quæ transit ad hæredes, restituendi fructus perceptos; secùs, si pœna esset tantùm ferenda, quia reus nondùm esset condemnatus; undè non privaretur fructibus perceptis, nec irritæ essent donationes, aut aliæ circa beneficium dispositiones, nisi post sententiam Judicis condemnatoriam, quæ non potest ferri post delinquentis mortem, *cùm morte (delinquentis) ejus crimen cum pœnâ sit extinctum*, L. 3. Cod. *Si Reus, vel accusator mortuus fuerit.*

*Resolves*: Parochum, qui admisit crimen, propter quod *ipso facto* privatur beneficio, non teneri, ante sententiam declaratoriam, se à sui beneficii possessione amovere; ideòque posse validè absolvere pœnitentes, & fructus facere suos, modò beneficii munera exequatur.

## ARTICULUS V.

### *De Lege irritante.*

Quæres 1<sup>o</sup>. **Q**uid sit *lex irritans*?

*Resp.* Est ea, quæ actum aliquem, cui certæ desunt conditiones, nullum & invalidum facit, sive explicitè, v. g. si lex his

verbis feratur : *si actus taliter fiat, careat omni robore.* Sive implicite, v. g. si lex formam substantialem alicujus actus præscribat, quæ non fervetur.

Dicitur, *nullum & invalidum* : per quod distinguitur.

1°. A lege simpliciter prohibente, quæ reddit actum illicitum, sed non invalidum, quia cap. 16. de Regular. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem*, ut patet in matrimonio, contracto post emissum simplex castitatis votum.

2°. A lege, quæ non irritat ipso facto actum, sed solum præcipit ejus irrationem, per Judicem faciendam, & quæ consequenter omni usu ac utilitate morali non privat ante sententiam irritatoriam Judicis.

Quæres 2°. *Quotuplex sit irritatio?*

Resp. Duplex pœnalis scilicet, & legalis.

*Irritatio pœnalis*, est ea quâ actus aliquis irritatur in pœnam peccati; talis est irritatio acquisitionis fructuum beneficii ab eo qui Horas canonicas omittit.

*Irritatio legalis*, est ea quâ aliquis actus irritatur propter bonum commune; talis est irritatio matrimonii inter consanguineos & affines ob decentiam; testamentorum minus solemnum, matrimoniorum clandestinorum, donationum pupillorum, &c. propter periculum fraudis, & aliorum incommodorum inde sequentium.

Quæres 3°. *An ignorantia invincibilis legis irritantis, impediatur irrationem?*

Resp. Ignorantia invincibilis, & quælibet alia



causa quæ excusat à culpâ , impedit irritationem pœnalem , non verò legalem.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Pœna proprie dicta , statuta est ob culpam , & hanc necessariò supponit ; ergo quod tollit culpam , tollit reatum pœnæ propriè dictæ ; ex quo

*Resolv.* Si quis , ex oblivione merè naturali , omittit Horas , facit fructus suos , licèt extet lex , quâ irritatur acquisitio fructuum , ab iis facta qui Officium omittunt.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Irritatio legalis , non supponit culpam , sed fundatur in præsumptione periculi fraudis , & aliorum incommodorum ; atqui in actu , contra legem irritantem legalem celebrato , semper existit periculum fraudis , &c. ergo lex semper vigere debet ; hoc enim absolutè intendit & intendere debet Legislator ; undè

*Resolv.* Si quis , ex ignorantia invincibili , matrimonium clandestinè contrahat , aut cum consanguineâ vel affini , nihilominus invalidum est tale matrimonium ; quia irritatio facta contra has leges , non est pœnalis , sed legalis.

### Q U Æ S T I O T E R T I A .

*De cessatione Legum humanarum.*

*Nota.* **L** Ex humana cessare potest , tum ab intrinseco , tum ab extrinseco.

1<sup>o</sup>. Lex humana cessat *ab intrinseco* 1<sup>o</sup>. quando , propter mutationem materiæ , aut circumstantiarum , fit inutilis bono communi ; est enim essenziale legi , ut sit propter bonum commune.  
2<sup>o</sup>. Quando cessat , respectu totius communitatis , causa adæquata , propter quam lex fuit lata : nam lex non obligat , nisi juxta volun-

tatem Legislatoris; atqui cessante, respectu totius communitatis, totâ & integrâ causâ, propter quam legem tulit, non perseverat moraliter voluntas obligandi; ergo cessante totâ & integrâ illâ ratione, lex amplius non obligat. Hinc si præcipiatur jejunium, ob obtinendam Principis sanitatem, mortuo Principe, aut ad sanitatem restituto, cessat obligatio jejunii.

Dixi 1°. *Cessante causâ adæquatâ*: quia si lex fuerit lata ob plures causas, cessante unâ, si non cessent aliæ, non cessat obligatio legis: sic si Episcopus præcipiat jejunium, ad pacem, & sanitatem Principis obtinendam; non cessat lex, perseverante bello, licet obtentâ Principis sanitate.

Dixi 2°. *Respectu totius communitatis*: quia si finis, ratioque legis, pro quibusdam tantummodo particularibus cessaret, vigeret semper pro omnibus & singulis ejus obligatio: quia Legislator vult, ut omnes lege teneantur, quamdiù lex illa utilis est bono communi; atqui tamdiù lex est utilis bono communi, quamdiù finis adæquatus legis non cessat respectu totius communitatis; ergo. Hinc licet, per accidens, nullum alicui sit in librorum prohibitorum lectione subversionis periculum, ab eorum tamen lectione tenetur abstinere.

2°. Lex humana cessat *ab extrinseco*, 1°. per interpretationem; 2°. per dispensationem; 3°. per derogationem, abrogationem, & irritationem; de quibus sequentibus articulis.

## ARTICULUS I.

*De interpretatione Legum humanarum.*

Nota 1°. **D**Uplex est legis interpretatio, 1a. dicitur simplex, 2a. dicitur per epikeiam, seu æquitatem.

*Interpretatio simplex*, est terminorum legis, quæ obscuritatem, aut ambiguitatem quandam patiuntur, simplex expositio.

*Interpretatio per epikeiam*, est benigna & rationabilis declaratio, quâ decernitur casum aliquem particularem, ob suas circumstantias, non comprehendi lege, quamvis latâ per verba generalia.

*Nota 2º.* Interpretatio simplex, triplex est, nimirum authentica, usualis & doctrinalis.

*Interpretatio authentica*, seu cum auctoritate prolata, est ea, quæ fit ab ipso Legislatore, vel ejus superiore aut successore, habetque vim legis, si debitè promulgetur.

*Interpretatio usualis*, est ea, quæ petitur ex consuetudine, quæ est optima legum interpres, cap. 8. de consuetud.

*Interpretatio doctrinalis*, est ea, quæ fit per explicationem Doctorum ac Jurisperitorum; hæc non habet vim legis, cum non procedat ab habente jurisdictionem: tamen imprudenter & contra rectam rationem rejiceretur, si in eam omnes doctores consentiant; quod si inter se dissentiant, tenemur sequi opinionem probabilior, imò & tutiorem, si neutra appareat probabilior alterâ.

*Nota 3º.* Certum est nullam esse legem, in quam non cadat simplex interpretatio; quia nulla est lex, cujus termini aliquando non sint ambigui, & cujus sensus expositione non indigeat, ut diximus suprâ, cap. 2. de lege naturali, q. 3. conclus. 2.

Quæres 1º. Quænam sunt regulæ aptæ, ad faciendam interpretationem doctrinalem?



*Resp.* Sunt quinque.

1a. In legis interpretatione, sequenda est naturalis verborum proprietas, nisi, sic acceptâ, sensus fiat absurdus, aut lex inutilis reddatur. Ratio est, quia cum lex clara esse debeat, præsumendum est Legislatorem eo loqui sensu, quo verba communiter accipiuntur.

2a. Si verba legis sint æquivoca, eorum significatio ex antecedentibus & consequentibus est spectanda, sed præsertim ex fine legis, ut dicitur, cap. 6. *De verb. &c.*

3a. Lex generaliter & indefinitè loquens, omnia significata propria comprehendit, quia *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguemus*, id est, distinguere debemus l. 8. *de publicandâ in rem actione.*

4a. Lex positiva, ob paritatem rationis, non debet extendi ad casus in eâ non comprehensos, nisi in correlativis, æquiparatis, connexis, & judiciis; quia ubi de lege positivâ agitur, non ratio legislatoris, sed ejus voluntas, intimata subditis, obligat, & habet rationem legis; potest autem legislator de uno disponere, non de alio.

Dixi 1<sup>o</sup>. *Nisi in correlativis*: quia jure fanciuntur, ut *dispositum in uno correlativo, censeatur esse dispositum in alio*, l. ult. cod. *De indictâ viduit.* Sic lex quæ eximit virum ab obligatione reddendi deditum uxori adulteræ, censeatur eximere uxorem ab obligatione illud reddendi viro adultero; quia vir & uxor sunt correlativa quoad thorum.

Dixi 2<sup>o</sup>. *Nisi in æquiparatis*: undè quia electio, postulatio, præsentatio æquiparantur in jure, lex quæ aliquid circa unam statuit, censeatur idem statuere circa aliam, in his in quibus æquiparantur.

Dixi 3°. *Nisi in connexis* : undè illi , quibus lex permittit testamentum facere , iisdem permittit ut codicillum faciant.

Dixi 4°. *Nisi in judiciis* : quia prudentia dicat : ut cùm pro aliquo casu decidendo lex non est certa , decisio illius petatur à similis casûs decisione , ut expressè statuitur *L. 12. ff. de Legibus.*

5<sup>a</sup>. In legis interpretatione , attendendum est hoc juris axioma : *Odia restringi , favores convenit ampliari.* Undè in odiosis , verba legis restringuntur ad eos qui exprimuntur , non ad alios ; hinc si exprimaturs filius , filia non comprehenditur : econtrà , in favorabilibus , verba legis extenduntur ad omnem suam proprietatem , non solum naturalem , sed etiam civilem seu juridicam ; sic cùm loquitur in favorem filiorum , filii adoptivi & etiam filia venire solent ; & lex favens legitimis , legitimatos etiam comprehendit , nisi aliquid obstet.

Porrò in Jure , Beneficium est favorabile , cùm ita uni prodest , ut alteri non noceat ; odiosum verò cùm uni non prodest , nisi alios gravando.

Quæres 2°. *An licitum sit uti epikeia ?*

*Resp.* Licitum est uti epikeia in lege positivâ , Ratio est , quia lex non obligat ultra voluntatem Legislatoris ; atqui Legislator non censetur habere voluntatem obligandi in casibus , qui juxta regulas æquitatis & prudentiæ , non comprehenduntur in lege ; ergo.

Porrò , casus in quibus licitum est uti epikeia , sunt

1°. Cùm observatio legis sit peccaminosa ; sic sine peccato non potest reddi gladius furioso.

2°. Cùm observatio legis cedit in damnum Reipublicæ ; sic cives arma sumere possunt adversùs hostes , civitatem invadentes , licèt sit lex generatim vetans armorum gestationem.

3°. Quando observatio legis adversatur Legi superiori , vel est nimis onerosa ; sic licitum est non audire Sacrum , ad inserviendum ægroto graviter decumbenti , vel ad cavendam honoris , aut rei familiaris jacturam.

Quæres 3°. *Quando dubium est , an lex casum aliquem comprehendat , quid faciendum ?*

*Resp.* cùm D. Thoma q. 96. a. 6. ad 2. Debet consuli Superior : quòd si consuli non possit , non licet uti epikeia , sed lex est servanda ; *Si enim dubium sit , ait D. Doëtor , debet , vel secundùm verba legis agere , vel Superiorem consultare.* Ratio est , quia tunc non potest , absque determinatione Superioris , formari judicium prudens & moraliter certum , legem non obligare ; ergo tutior pars est eligenda , & lex servanda.

## ARTICULUS II.

### *De Dispensatione à Legibus humanis.*

Quæres 1°. *Quid sit dispensatio ?*

*Resp.* Est relaxatio legis , legitimâ auctoritate ad tempus facta , in aliquo casu , in quo alioquî lex obligaret.

Dicitur 1°. *Relaxatio legis ;* id est , exemptio à legis obligatione , per quod convenit cum abrogatione & privilegio.

Dicitur 2°. *Legitimâ auctoritate :* quia dispensatio , est actus jurisdictionis ; & per hoc differt



ab epikeiâ, quæ est actus prudentiæ & scientiæ, non verò jurisdictionis.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *Ad tempus facta* : per quod differt ab abrogatione & privilegio, quæ conceduntur in perpetuum.

Dicitur 4<sup>o</sup>. *In aliquo casu, in quo, &c.* per quod rursus differt, tum ab epikeia tum à tolerantia, tum à licentiâ, seu permissione, quæ non sunt relaxatio legis; nam *epikeia* in iis solum casibus locum habet, ubi lex rationabiliter judicatur non obligare; *tolerantia*, est solum infractio legis, adhuc vigentis, impunitas, tum ut vitetur majus malum, tum ne perturbetur Reipublicæ pax & tranquillitas; *permissio* verò, est solum appositio conditionis, sub quâ lex non obligat; sic Superior regularis, permittens inferiori ut aliquid donet, facit ut inferior pro illo casu, non obligetur voto paupertatis.

Quæres 2<sup>o</sup>. *Quinam habeant potestatem dispensandi à lege?*

*Resp.* Potest cum subdito dispensare omnis legitimus Superior, qui est, vel ipse Legislatores, vel ipsius Superior, vel Successor in jurisdictione. Ratio est, quia obligatio legis humanæ inducitur per voluntatem legitimi Superioris præcipientis; ergo etiam per ipsius voluntatem potest auferri, juxta illud effatum: *Res per quas-cumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, nisi aliud obstat.* Ex quo

*Sequitur* 1<sup>o</sup>. Summum Pontificem posse dispensare in omnibus, quæ juris sunt merè canonici, in legibus suorum prædecessorum, in decretis Conciliorum etiam generalium, imò etiam in legibus ab Apostolis, auctoritate humanâ latis,

quia parem habet auctoritatem cum Apostolis, & Petro cui succedit.

*Sequitur 2º.* Episcopum posse dispensare à statutis suæ Dioecesis, etiamsi sint synodalia: quia jurisdictio Synodi non est alia à jurisditione Episcopi, cum alii Sacerdotes, qui ad Synodum conveniunt, non habeant suffragium definitivum, sed duntaxat consultativum.

*Quæres 3º. An inferior possit dispensare à legibus sui Superioris?*

*Resp.* non posse, nisi ex Superioris consensu expresso, vel tacito. Ratio est, quia dispensatio est actus jurisdictionis; atqui inferior non habet jurisdictionem in leges Superioris; ergo. Hinc Clemens V. ait: *Lex Superioris per inferiorem tolli non potest*: Clement. 2. de elect.

*Sequitur 1º.* nullum hominem posse dispensare in legibus divinis, etiam merè positivis. 2º. Episcopum non posse dispensare in legibus Pontificiis; nec Parochum in legibus Episcopi, nec Provincialem aut Generalem in legibus Capituli generalis aut provincialis respectivè: Ratio est quia, eorum respectu, sunt inferiores.

*Dixi 1º. Nisi ex consensu Superioris expresso*: quia Superior potest alteri suam potestatem delegare, nam *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*, Reg. 68. jur. in 6.

*Dixi 2º. Vel ex consensu tacito*, qui adesse censetur.

1º. Dùm consuetudo obtinuit, ut inferiores Prælati dispensent in legibus Superiorum, scientibus nec contradicentibus iisdem Superioribus, cap. 13. de foro competenti.

2º. Dùm necessitas dispensandi sæpè occurrit,

ut in festis & jejuniis; nam nimis difficile foret, in similibus, semper recurrere ad Superiorem.

3°. Cùm urget dispensandi necessitas, difficilisque est ad Superiorem recurus, & est periculum in morâ, sivè infamiæ, sivè scandali; sivè gravis alterius mali.

4°. Cùm casus est dubius, quia Pontifex præsumitur nonnisi casus certos sibi reservâsse.

Quæres 4°. *An Legislatores possint secum in sua lege dispensare?*

*Resp.* Non potest propriè, quia, ut dictum est supra, non tenetur suis legibus; sed potest improprie & interpretativè, explicando nempe casus, in quibus non tenetur, vi legis naturalis, conformare se membris communitatis, in servandâ lege quam tulit.

Quæres 5°. *Utrum dispensatio, sine causâ concessa, sit licita?*

*Resp.* Esse illicitam, patet ex Conc. Trident. sess. 25. cap. 18. de ref. Ratio est, quia potestas non est data Superiori, *In destructionem sed in ædificationem*, 2. Cor. 13. v. 10. atqui dispensatio absque justâ causâ, est in destructionem; pacem enim turbat, transgressionibus viam aperit, Superiorum auctoritatem despectui exponit, estque vitium acceptionis personarum; ergo. Quare tam petens, quam concedens hujusmodi dispensationem, committunt peccatum mortale, si materia sit gravis; veniale verò, si sit levis, ut docent Suarez, Cajetan. Sylvius, &c.

Porro, multæ sunt causæ dispensandi, quæ ad tres revocari possunt; 1<sup>a</sup>. est pietas, 2<sup>a</sup>. est necessitas communis, vel etiam privata; 3<sup>a</sup>. est utilitas communis, vel privata.



*Ratione pietatis*, dispensatur ab irregularitate, qui Ecclesiæ Officium ritè præstare potest.

*Ratione necessitatis*, dispensatur à jejunio, qui, sine gravi incommodo, jejunare non potest.

*Ratione utilitatis*, dispensatur à voto castitatis, qui versatur in periculo proximo incontinentiæ.

*Dices*: In Curiâ Romanâ conceduntur dispensationes, quæ dicuntur *sine causâ*; ergo licita est dispensatio sine causâ.

*Resp.* 1<sup>o</sup>. *dist. ant.* Conceduntur dispensationes, quæ dicuntur *sine causâ*, eò quòd causâ non exprimatur, *conc.* eò quòd nulla sit causa, *nego ant.* Nam in harum dispensationum formulâ dicitur: *Ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus.*

*Resp.* 2<sup>o</sup>. *iterùm dist.* Conceduntur dispensationes sine causâ, intrinsecâ, *conc.* sine causâ extrinsecâ, *nego ant.* Porrò causæ extrinsecæ dispensandi, sunt v. 9. pax quæ ex matrimonio inter Principes celebrando speratur; defensio Ecclesiæ, quàm libentiùs assumunt Principes, clementi Ecclesiæ benignitate moti; summa pecuniaria, ad sumptus Ecclesiæ publicos impendenda, &c.

Quæres 6<sup>o</sup>. *Utrùm valida sit dispensatio sine causâ concessa?*

*Resp.* Valida est, si concedatur à supremo Legislatore; invalida verò, si concedatur ab inferiori & delegato.

*Prob.* 1<sup>a</sup>. *p.* Sicut lex pendet à Legislatore in fieri, ita etiam in conservari; ergo sicut potuit legem non ferre, potest ipsam abolere, vel respectu omnium, legem abrogando, vel respectu

aliquorum particularium , eos ab obligatione legis per dispensationem eximendo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Superior non præsumitur suam delegâsse potestatem , peccando ; atqui non potest concedere potestatem dispensandi sine causâ , quin peccet ; ergo.

Hinc Episcopus , à fortiori Parochus , deficiente justâ causâ , invalidè dispensant in legibus Canonicis jejunii , abstinentiæ , ut docent Navar. Covar. Sylvest. &c.

*Dices 1<sup>o</sup>.* Lex injusta , non est valida ; ergo nec dispensatio injusta.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est , quòd lex sit essentialiter *ordinatio rationis* , seu præceptum justum ; at dispensatio nihil aliud est , quàm relaxatio obligationis legis , quæ , sive justa , sive justa sit , est vera relaxatio.

*Inst.* Dispensatio à voto sine causâ legitimâ , est invalida ; ergo à pari , &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est , quòd obligatio voti sit juris divini , undè à votis non dispensat homo , nisi ut delegatus à Deo , qui non vult votum remitti absque justâ causâ : at obligatio legis humanæ tota pendet à liberâ voluntate Legislatoris , undè non mirum , si possit illam , etiam sine justâ causâ , relaxare.

*Dices 2<sup>o</sup>.* Si valida est dispensatio sine causâ , non erit illicitus ejus usus ; falsum conseq.

*Prob. maj.* Qui dispensatione , sine causâ concessâ , utitur , nullam legem infringit ; ergo.

*Resp. dist. ant.* Nullam legem humanam infringit , *conc. ant.* nullam legem naturalem , *nego ant.* Ratio est , quia lex naturalis vetat , ne pars , absque causâ legitimâ , à suo toto discre-

pet, nec aliis præbeatur scandalum: enimverò Legislator ipse peccat, si sine justâ causâ legem suam non servat; ergo & ipse subditus, sine justâ causâ dispensatus, legem non servans.

Quæres 7<sup>o</sup>. *An cessante dispensationis causâ, cesset dispensatio?* antequam respondeam.

*Nota*, causam finalem dispensationis cessare posse:

1<sup>o</sup>. Tempore quo Litteræ dispensatoriæ expediuntur.

2<sup>o</sup>. Post earum expeditionem, sed ante executionem, seu fulminationem.

3<sup>o</sup>. Post earumdem executionem, sed antequàm fortitæ sint suum effectum.

4<sup>o</sup>. Postquàm Litteræ dispensatoriæ fortitæ sunt suum effectum. His notatis.

*Resp.* 1<sup>o</sup>. Si cesset causa finalis dispensationis, tempore quo Litteræ dispensatoriæ expediuntur, cessat dispensatio; id enim definivit Bonifac. VIII. cap. 9. de rescript. Ratio est, quia Superior dispensaret sine causâ, & consequenter peccando; atqui Superior non præsumitur sic dispensare; ergo. Undè in Litteris dispensatoriis, hæc inseruntur verba: *Si ita est, vel quatenus si ita est; vel si preces veritate nitantur.*

*Resp.* 2<sup>o</sup>. Si cesset causa finalis, post Litterarum dispensatoriarum expeditionem, sed ante earum executionem, seu fulminationem, à Commissario factam, cessat dispensatio: quia Commissarius non potest dispensare, nisi sub hac conditione appositâ, *Si preces veritate nitantur*; atqui hæc clausula exigit, ut causa finalis verè persistat, tempore quo datur dispensatio à man-



datario, ut definitur expressè cap. 30. de Præbendis, in 6.

Hinc si ad legitimandam prolem, ex consanguineâ susceptam, petatur dispensatio ab impedimento, sed ante dispensationem datam à Commissario proles moriatur, mandatum non potest executioni mandari.

*Resp. 3º.* Si causa finalis dispensationis cesset post earum executionem à mandatario, sed antequam dispensatio suum sortita sit effectum, non cessat dispensatio in iis omnibus quæ non habent tractum successivum. Ratio est, tum quia impedimentum semel absolute sublatum per dispensationem, non reviviscit; tum quia ex Reg. 73. jur. in 6. *Factum legitime, retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.*

Hinc si ad legitimandam prolem, ex consanguineâ susceptam, petatur dispensatio, & post dispensationem à Commissario datam, sed ante contractum matrimonium, proles moriatur, non cessat dispensatio.

Dixi; *In omnibus quæ non habent tractum successivum*: quia ea quæ habent tractum successivum, ut est jejunium quadragesimale, carniû comestio, in quibus dispensatio quæ datur, est virtualiter multiplex, sive tot sunt virtualiter dispensationes quot sunt dies, haud dubie dispensatio non valeret pro eo tempore, quo tolleretur ipsius causa; ratio Haberti est, quia *Ex communi omnium sensu intelligitur talem fuisse mentem Superioris*; & est praxis communis timoratorum.

*Resp. 4º.* Si causa dispensationis cesset, post-

quàm fortita est suum effectum , non cessat dispensatio. Ratio est , quia effectus licitè , validè , & absolutè consummatus fuit virtute dispensationis præteritæ ; ergo non potest cessare ob cessationem causæ.

Hinc non cessat dispensatio in irregularitate , respectu illius , qui ratione paupertatis parentum , dispensationem ad Ordines obtinuit , si Ordinibus jam susceptis , cessat paupertas , quæ fuit causa finalis dispensationis.

Quæres 8<sup>o</sup>. *An dispensatio cesset per mortem dispensatoris ?*

*Resp.* Non cessat , extra materiam justitiæ , etiamsi res sit adhuc integra , id est , cum delegatus necdùm uti cœpit jurisdictione. Ratio est , quia dispensatio est gratia ; atqui gratia concessa , non cessat morte concedentis ; nam ex cap 36. de præbendis , in 6. *Concessio ( quam , cum speciale gratiam contineat , decet esse mansuram , ) non expirat , etiam re integrâ , per obitum concedentis.*

Dixi ; *Extra materiam justitiæ* : quia in materiâ justitiæ , *mandatum re integrâ , domini morte finitur* : lege 15. cod. mandati. Ratio est , quia rescriptum justitiæ , non est gratia , sed mandatum de justitiâ faciendâ.

*Dices*, cum Bonacinâ & Habert : *Gratia facta*, id est , quæ alicui data est propter ipsum , non expirat morte concedentis , re adhuc integrâ , sed gratia *facienda*, id est , quæ alicui datur propter alium , expirat ; ergo generalior est nostra responsio.

*Resp. nego ant.* Distinctio enim inter gratiam *factam* & *faciendam* videtur fictitia , cum nullibi legatur in toto corpore Juris. *Prob.*

*Prob. ant. cap. 36. de præbendis supra cit. dicitur : Si super provisione certæ personæ faciendâ, data sit potestas eidem, non ob suam, sed ejus cui provideri mandatur, gratiam vel favorem: illa quidem expirat omnino, si concedens, re integrâ, moriatur; ergo.*

*Resp. nego consequ. Non enim expirat quia est gratia faciendâ, sed quia ea gratia quæ præcipit ut beneficium, cum vacabit, non nisi certæ personæ conferri possit, est odiosa: tum quia sic alii sæpè magis idonei excluduntur: tum quia Concilium Later. cap. 2. de concessione præbendæ, vetat ne beneficia Promittantur, antequàm vacent; atqui privilegia, quæ sunt odiosa, expirant per mortem concedentis, re adhuc integrâ; ergo.*

*Quæres 9º. An dispensatio subreptitia, vel obreptitia, sit valida? antequàm respondeam.*

*Nota, dispensatio subreptitia, est ea quæ obtinetur per reticentiam veritatis alicujus, quæ per se & intrinsecè ad rem pertinet, vel quæ exponi debet juxta regulas & stylum Cancellariæ Romanæ.*

*Dispensatio obreptitia, est ea quæ obtinetur per narrationem falsi, quæ sit causâ motiva dispensationis, ita ut eâ sublatâ, vel nullo modo, vel non nisi cum quibusdam conditionibus aut limitationibus, concederetur.*

*Resp. Quoties aliquid, habens veram connexionem cum dispensatione, tacetur: aut falsò narratur in supplicatione, quo cognito Superior non dispensasset, invalida est dispensatio. Ratio est, quia dispensatio non est valida, nisi quatenus Superior intendit dispensare; atqui Superior,*



in hoc casu , non intendit dispensare , vel saltem censetur solum dispensare sub conditione , *si res ita est* ; ergo.

Secùs dicendum est, quando aliquid tacetur, vel falsò narratur , quo cognito , Superior nihilominùs dispensasset , licèt difficiliùs , quia tunc Superior absolutè vult dispensare : modò reticentia veri , vel narratio falsi , fuerit facta ex ignorantia & simplicitate , nam Innocentius III. cap. super litt. de rescriptis , statuit ut in omni malitiosâ subreptione , vel obreptione , rescripta & dispensationes prorsùs sint invalidæ.

Quæres 10°. *Quinam sit modus recurrendi ad sacram Pœnitentiarium pro dispensatione ?*

*Resp.* Traditur in opere , cui titulus est : *Instructio Parachorum & Confessorum pro casibus , quorum absolutio , seu dispensatio à sacrâ Pœnitentiariâ Apostolicâ imploratur , edita Romæ an. 1685.* Quod opus sic habet :

*Confessores , cùm Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad se accedere contigerit , casuum qualitates , & præfatorum casuum circumstantias considerent , causasque dispensationum aut commutationum exprimant , & caveant , ne quod occultum est , publicum faciant , præsertim impedimenta occulta matrimoniorum : nam publica , vel ad publicum redacta , non pertinent ad sacram Pœnitentiarium.*

*Et sic præfati Confessores , seu Pœnitentes poterunt casus præfatos , cum dictis circumstantiis & causis , exponere , sive latino , sive quocumque alio idiomate propriæ regionis ; nam sacra Pœnitentiarium suos ex quâcumque regione Pœnitentiarium subordinatos habet : & exprimant insuper in fine ex*

positionis casus, nomen & cognomen, cui sit à sacra Pœnitentiariâ rescribendum, etiamsi ipsum nomen & cognomen sit fictitium. Itemque modum, per quem responsio secure dirigi possit, significando scilicet, vulgari nomine, oppidum, seu civitatem, & regionem, cum datâ mensis & anni, in hunc modum.

*Intùs incipiant Epistolam, seu supplicationem sic:*

Eminentissime & Reverendissime Domine.

*N. mulier emisit votum simplex castitatis, manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium.*

Terminent Epistolam, seu Supplicationem sic:

*Dignetur Eminentia vestra rescribere ad N. & N. & exprimant nomen & cognomen cui est rescribendum. Ad civitatem N. exprimendo nomen civitatis; per oppidum N. exprimendo, vulgari nomine, nomen oppidi. Et dirigere breve, seu gratiam simplici Confessario, seu Confessario magistro in Theologiâ, sive decretorum doctõri, sive Parocho, cui Pœnitens aperuit conscientiam, ne ipse Pœnitens, & præsertim foemina cogantur circumire pro executione gratiæ sacrae Pœnitentiariæ.*

*Dirigant Epistolam, seu Supplicationem scribendo extrâ, seu à foris in hunc modum.*

Eminentissimo & Reverendissimo Domino, Domino Cardinali, majori Pœnitentiaro.

ROMAM.

*Et si tardaverit responsio, Confessarii rescri-*

A 2 ij

bant, ne fortè sit perdita, & nunquàm desperent  
Pœnitentes.

### ARTICULUS III.

*De derogatione, abrogatione, & irritatione Legis.*

*Nota:* **H**Æc tria inter se differunt, nam

**I**rritatio legis, est legis nondùm perfectè obligantis, abolitio, facta ab eo cujus est illam habere ratam; sic Papa, quando non approbat Concilia, irritat.

*Abrogatio*, est legis totius, perfectè obligantis, abolitio, quæ fieri potest, 1<sup>o</sup>. per Superioris revocationem; 2<sup>o</sup>. per contrariæ consuetudinis præscriptionem; 3<sup>o</sup>. per legem posteriorem universalem, priori legi, item universali, repugnantem, ut dictum est supra, de Consuetudine, quæsito ult.

*Derogatio*, est legis adhuc vigentis, secundùm aliquam suâ partem imminutio, v. g. cùm in die festo aufertur cessatio operum servilium, manente obligatione Missæ audiendæ.

Quæres 1<sup>o</sup>. *An lex possit validè & licitè per Legislatoris revocationem abrogari?*

*Resp.* Legislator supremus potest validè, etiam absquè justâ causâ, abrogare suam, aut prædecessoris legem; non potest tamen licitè, nisi adsit justa causa, bonum commune respiciens.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur; atqui lex à voluntate Legislatoris nascitur; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Potestas non est data Superiori in destructionem, sed in ædificationem; atqui abrogatio legis, absquè justâ causâ, est in maximam destructionem, nam Rempublicam legibus



antiquis assuetam, perturbat, leges & Legislatores despectui exponit; ergo.

Non peccant tamen subditi, legem sic abrogatam non servando, quia ejus obligatio sublata est respectu omnium, cum validè sit abrogata.

Dixi: *Legislator supremus*, qualis est qui legem tulit, vel ejus successor, vel ejus Superior; quia, ut definivit Clemens V. clem. 2. de elect. *Lex Superioris, per inferiorem tolli non potest*, nec validè, nec licitè; nam abrogatio est actus jurisdictionis; atqui inferior non habet jurisdictionem in legem Superioris, ut per se patet; ergo. Sed

Quæres 2°. *An Legislator possit legem propriam abrogare, si à Superiore confirmata fuerit?*

*Resp.* Non potest, si lex sit confirmata in favorem communitatis; quia Superior, sic eam confirmando, fecit ipsam quasi suam, inferior autem non habet jurisdictionem in legem Superioris; ergo. Potest verò, si lex sit confirmata in favorem inferioris Legislatoris, nempe ut ejus legi quidam splendor & honos accederet; quia Superior, sic eam confirmando, non eam fecit suam; ergo Legislatoris inferioris auctoritate obligat.

## A P P E N D I X.

*De præcipuis ac communioribus Ecclesiæ præceptis.*

Nota 1°. **P**Ræcepta Ecclesiæ communiora; quæ ligant omnes cujuscumque conditionis fideles, sex vulgò numerantur, scilicet: auditio Missæ diebus Dominicis & Festsivis; annua Confessio; Communio paschalis;

observatio Festorum; jejunium quatuor temporum, vigiliarum & quadragesimæ; abstinentia tandem feriâ sextâ & sabbato.

*Nota* 2°. De præceptis annuæ Confessionis, & Communionis Paschalis opportuniùs agemus in Tractatibus de Eucharistiâ & Pœnitentiâ; undè restat hìc breviter agendum 1°. de auditione Missæ; 2°. de sanctificatione diei Festi; 3°. de jejunio & abstinentiâ. Itaque fit

## ARTICULUS I.

### *De auditione Missæ.*

Quæres 1°. *A* Nextet præceptum Ecclesiasticum audiendæ Missæ?

*Resp.* Extat præceptum Ecclesiasticum, obligans sub mortali, audiendæ Missæ diebus Dominicis & Festivis, ut constat tum ex praxi & consuetudine Ecclesiæ, vim legis habente, tum ex Concilio Agathensi, can. 47. *Missas die Dominico à sæcularibus audiri speciali ordine præcipimus, ita ut, ante benedictionem Sacerdotis, populus egredi non præsumat; qui si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.* Gravis autem pœna, supponit gravem culpam, à quâ excusare potest levitas materiæ.

*Resolv.* Qui Missam, vel ejus partem notabilem diebus festis non audit, mortaliter peccat ex genere suo. Ratio est, quia omissio Sacri, vel ejus notabilis partis, est res gravis ex genere suo; atqui transgressio præcepti in re gravi, est grave peccatum; ergo.

Dixi: *Ex genere suo*: quia inadvertentia, aut inculpabilis ignorantia, à peccato excusat, sicut à mortali excusat parvitas materiæ, quæ com-

muniter esse censetur ab initio Missæ, usque ad Evangelium exclusivè, & à Communionem exclusivè, usque ad finem.

Quæres 2°. *An præcepto Ecclesiastico audiendi Missam satisfaciat, qui partem mediam ab uno Sacerdote, & alteram ab alio audit?*

*Resp. neg.* Quia Ecclesia præcipit auditionem Sacri per modum totius successivi, quod in prædicto audiendæ Missæ modo non contingit. Undè Innoc. XI. & post ipsum Clerus Gallic. an. 1700. damnarunt hanc prop. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis Celebrantibus, audit.* Quæ propositio, ait censura Cleri Gallic. *absurda est, scandalosa, illusoria, communique Christianorum sensui repugnat.*

Quæres 3°. *Quænam dispositiones ex parte corporis requirantur ad Missam debitè audiendam?*

*Resp.* Requiritur modesta conformatio in vultu & habitu, ait Concil. Trid. Sess. 22. de observ. & vitandis in celebr. Missæ, cap. unico.

Quæres 4°. *Quænam dispositiones requirantur ex parte animæ?*

*Resp.* Tres requiruntur.

1a. *Est moralis & humana præsentia, ita ut, saltem aliquo sensu, percipi possit quòd Missa celebretur, sive immediatè, sive mediatè tantum, prout faciunt qui in magnis Ecclesiis, & magno populorum concursu, post columnam aux extra Ecclesiam positi, ex aliorum assistentium gestibus percipiunt quid à Celebrante peragatur.*

*Dicitur moralis præsentia; non enim semper requiritur præsentia physica; hinc, juxta om-*



nes, præcepto satisfaciunt, qui Missæ infervientes ab Ecclesiâ recedunt, ad Missam celebrandam necessaria allaturi, modo non longius recedant, quia cum hæc ad Sacrificium ordinentur, censentur moraliter præsentés.

2a. Est *intentio*, saltem interpretativa, implendi præcepti, hoc est, quæ contineatur in voluntate Missam audiendi, quæ non excludat intentionem implendi præceptum Ecclesiæ, ut supra probatum est, cap. 4. q. 1. a. 2. §. 2.

3a. Est *pia ad Deum, divinaque Mystéria, attentio & affectio*; nam præcipitur auditio Missæ religiosa, quâ Deus colatur; at Deus non colitur verè, sine attentione ad divina, & piâ aliquâ affectione; *in spiritu enim, & veritate Deum oportet adorare*, Joan. 4. ergo.

Hinc, qui per notabilem Missæ partem confabulatur, vel dormit, profana legit, vel voluntariè distrahitur, peccat mortaliter; undè Clerus Gallic. an. 1700. damnavit hanc prop. *Ecclesiæ præcepto (audiendi Missam) satisficit per reverentiam exteriorem, animo licet voluntariè in alienâ, imò in pravâ cogitatione defixo.*

Quæres 5°. *Undè pia illa affectio debeat profluere?*

*Resp.* Sufficit ut profluat ex motivo cujuslibet virtutis Christianæ, nec requiritur ut oriatur ex charitate perfectâ, sive habituali, sive actuali, aliàs soli justî ad audiendam Missam admittendi essent, & excludendi peccatores, quod est falsum; tùm quia Ecclesia omnibus & singulis indiscriminatim fidelibus districtè præcipit, ut statutis diebus, Missæ intersint; tùm quia damnata est hæc prop. 89 Quæsnelli: *Quartusdecimus gra-*

*aus conversionis peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi sacrificio Missæ.*

Quæres 6°. *Quanam sint causæ excusantes ab auditione Sacri?*

*Resp.* Generatim revocantur ad impotentiam physicam & moralem, quia nemo legem humanam, physicè vel moraliter impossibilem, observare tenetur.

Hinc 1°. propter impotentiam physicam, excusantur ægroti, incarcerati, & similes. 2°. Propter impotentiam moralem, excusantur omnes, qui non possunt audire Missam sine gravi incommodo sui, vel proximi, sive corporis, sive animæ, sive honoris, sive etiam boni temporalis, quæ omnia sufficienter constant ex communi consuetudine. Sed

Quæres 7°. *Utrum qui Missam audire nequit, teneatur per aliud opus bonum, vel per preces illam supplere, & aliquem cultum positivum Deo exhibere?*

*Resp.* cum Scoto, contra Navarrum. Certum est ad id teneri diebus saltem Dominicis. Ratio est, quia Juris naturalis & divini est præceptum, aliquem diem hebdomadæ cultui divino consecrare; ergo si quis non possit illum consecrare per auditionem Missæ, ut determinavit Ecclesia, debet per aliud opus bonum id præstare; impedimentum enim audiendi Sacri non potest immutare ejus illud naturale.

Dixi, *Saltem diebus Dominicis*: quia multi docent diebus festis non esse talem obligationem; quia, inquit, cum festorum institutio sit ex jure mere humano, eâ obligatione per impedimentum legitimum cessante, nulla remanet alia obligatio.

Verùm , magis arridet opinio Pauli à Lug. docentis etiam diebus festis esse obligationem supplendi auditionem Missæ per aliquod opus bonum ; tum propter ejus rationem , quia , inquit , *cùm districtè ab Ecclesiâ præcipiatur , ut statutus ab ipsâ dies festus aliquo modo , quantum moraliter fieri potest , sanctificetur , non secus ac jure naturali divino jubemur aliquem hebdomadæ diem cultui divino dedicare : ergo si dies festus , per indictam Missæ auditionem , nequeat sanctificari ; per aliam piam actionem fieri debet , si absque gravi incommodo fieri possit.* Tum quia hæc est praxis fidelium timoratorum , & Confessariorum , qui hanc praxim , tanquàm obligatoriam , inculcant pœnitentibus. Tum quia Alex. III. cap. licet , de feriis , cùm indulget *Ut diebus Dominicis & aliis festis , alicia possint ingruente necessitate piscari , hoc pium opus injungit , quodd post factam capturam , Ecclesiis circumpositis , & Christi pauperibus congruam faciant portionem ; ergo.*

Quæres 8º. *Utrùm fideles diebus Dominicis & majoribus Festis , teneantur audire Missam Parochialem ?*

*Resp.* De jure communi tenentur , ubi id commodè fieri potest : id enim statuitur à jure , tum veteri , tum novo. Nam

1º. Concilium Eliber. anno 305. can. 21. ait : *Si quis , in civitate positus , tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit , pauco tempore abstineat , ut correptus esse videatur.*

2º. Conc. Sardicense , an. 347. can. 14. *Memini ( inquit Ozius ) in superiori Concilio , Fratres nostros constituisse , ut si quis Laïcus , in eâ , in quâ commoratur , civitate , tres Dominicos dies ,*



*id est, per tres septimanas, non celebrasset conventum, communionem privaretur. Si ergo hæc circa Laicos constituta sunt, multò magis Episcopo, nec licet, nec decet, si nulla sit tam gravis necessitas, quæ detineat, ut amplius à suprâ scripto tempore absens sit ab Ecclesiâ suâ.*

3°. Sixtus IV. cap. *Vices illius*, tit. *de treugâ & pace*, extravag. commun. lib. 1. vetat dicere, *Populos Christianos non teneri Missam in Parochiis, diebus Festis & Dominicis, audire; cum jure cautum sit illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesiâ, nisi forsan ex honestâ causâ ab ipsâ Ecclesiâ se absentarent.* Ubi summus Pontifex non novum jus condit, sed antiquum confirmat, his verbis, *Cum jure cautum sit, &c.*

4°. Conc. Trid. sess. 24. cap. 4. de ref. ait: *Moneat Episcopus populum, diligenter teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi id fieri commodè potest, ad audiendum verbum Dei.*

*Dices: Conc. Trid. ibi non loquitur de obligatione Missæ audiendæ, sed de obligatione audiendi verbi Dei; ergo ex illo cap. non potest colligi obligatio audiendæ Missæ Parochialis.*

*Resp. dist. conseq.* Non potest colligi obligatio audiendæ Missæ Parochialis, explicitè, *conc.* implicitè, *nego.* Itaque Concilium non potest declarare populum teneri Parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei, quin virtualiter & implicitè declaret eundem populum teneri sistere se præsentem Missæ Parochiali, inter cujus solemnities vult verbum divinum explanari; nam cap. 7. ejusdem sess. præcipit parochis, *Ut inter Missarum solemnities, aut divinorum celebrationem,*

*sacra eloquia , & salutis monita , vernaculá linguá , singulis diebus festis , vel solemnibus , explant. Idem jam statuerat fess. 22. de sacrificio Missæ , cap. 8. his verbis : Mandat S. Synodus Pastoribus , & singulis curam animarum gerentibus , ut frequenter , inter Missarum celebrationem , vel per se , vel per alios , ex eis quæ in Missá leguntur , aliquid exponant. Ergo , juxta mentem Concilii , fideles teneri Parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei , idem est ac teneri Missæ Parochiali interesse , cùm præcipiat , ut inter Missarum solemnia , verbum Dei annuntietur.*

*Confirm. Ex D. Carolo in Conc. Mediolanensi VI. tit. de Missâ Parochiali : Nuper , inquit , S. Trident. Synodus , ab Episcopis fideles non solùm hæc moneri voluit , ut frequenter ad proprias Parochiales Ecclesias , saltem diebus Dominicis , Festisque majoribus , accedant ; sed etiam diligenter ostendit , unumquemque teneri , ubi id commodè fieri potest , Parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei ; ac proinde id præterea statuit , à Parochis , animarumve curatoribus , inter Missarum solemnia , aliquid ex iis quæ in Missá leguntur exponi , & SS. illius Sacrificii mysterium aliquod explanari , tùm in unâquâque Ecclesiâ Parochiali pueros fidei rudimentis instrui. Ergo , juxta S. Carolum , Missa Parochialis est aliquod totum constans duabus partibus , sacrificio nimirum & instructionibus : ex quo sequitur verbum , teneri , non solùm cadere supra auditionem verbi Dei , sed etiam supra auditionem Sacrificii Missæ.*

5°. Clerus Gallicanus in Comitibus generalibus annorum 1625. 1635. 1645. declaravit , fideles

unâ saltem ex tribus dominicis Missæ Parochiali adesse teneri, & à Prælatiſ Eccleſiaſticis, ut id officium impleant, cogi poſſe. Quam doctrinam confirmans in Comitiis anni 1655. ait: *Fideles Feſtis diebus ac Dominicis, aut ſaltem ex tribus Dominicis altera, jure tenentur ſiſtere ſe præſentes Parochiali Miſſæ. . . nuſquàm Tridentina Synodus populum fidelem exemiſ à frequentandæ Parochiæ debito, ſivè ut adſit Parochiali Miſſæ, ſivè ut in eâ verbum Dei audiat; ſed potiùs Epiſcopos adhortata eſt, ut creditos ſibi populos debitum illud doceant ac moneant.*

6°. Pleraque Concilia Provincialia hujus Regni, & omnes ferè libri Rituales eamdem obligationem urgent, decernuntque pœnam excommunicationis in Parochianos qui tribus diebus Dominicis continuis, abſque legitimâ & honeſtâ cauſâ, à Miſſâ Parochiali abſuerint; quæ pœna, utpotè graviffima, ſupponit gravem culpam.

7°. Alexand. VII. hanc propoſitionem: *Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, ad annuam confeſſionem, nec ad Miſſas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Catecheſibus annuntiantur & docentur; damnavit ſub hâc cenſurâ: Propoſitio quoad primam & ſecundam partem ſimpliciter accepta, eſt erronea & temeraria; ſuppoſitis verò privilegiis, nullam meretur cenſuram: quoad tertiam verò partem, de auditione verbi Dei, ſervetur diſpoſitio Concilii Tridentini. Eamdem propoſitionem, cum hâc ſequenti: *Populus virtute Concilii Tridentini cogi non poteſt cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ut**



*eat ad suam Parochiam diebus Dominicis ad audiendam Missam, proscripsit Clerus Gallic. sub hac censurâ : Harum propositionum doctrina, falsa est, temeraria, scandalosa, jam à Clero Gallicano graviter condemnata, sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicæ traditioni contraria, &c. Ex his omnibus*

*Resolv. qui degens in Provinciâ aut regione, in quâ Canones qui Parochialem Missam præcipiunt, vigent, nec abrogati sunt per consuetudinem iis suffultam conditionibus, quæ secundum jus canonicum rescindendæ humanæ legi sufficient, rarò adest Missæ Parochiali, peccat mortaliter, nisi ipsi legitima & honesta causa suppetat. Canones autem illi vigent in Galliis, Ubi nec est, nec esse potest consuetudo contraria, ait Clerus Gallicanus, in Comitiis generalibus, habitis anno 1655.*

## ARTICULUS II.

### *De sanctificatione Festorum.*

*Nota 1<sup>o</sup>. P*ræceptum de sanctificatione diei Dominicæ & Festorum per se omnes obligat sub peccato mortali, ut constat, tum ex omnium fidelium sensu & praxi, tum ex damnatione hujus prop. ab Innoc. XI. *Præceptum servandi Festa, non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

*Nota 2<sup>o</sup>. Per sanctificationem diei intelligitur: Religiosa cujusdam diei determinatæ ad colendum Deum, observatio. Deus autem coli potest quorundam operum exercitio, & quorundam omissione, undè præceptum est partim affirmativum, partim negativum; ideò sit*

§. I. *De operibus diebus Festis exercendis.*

Quæres 1<sup>o</sup>. *Quanam sunt opera diebus Festis exercenda?*

*Resp.* 1<sup>o</sup>. *speciatim.* Omnes fideles, usu rationis præditi, tenentur sub mortali, audire Missam, ut articulo præcedenti probavimus.

*Resp.* 2<sup>o</sup>. *generatim.* Opera religionis & charitatis exercenda sunt, juxta illud Nicolai I. ad consulta Bulgarorum: *Idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberiùs ad Ecclesiam ire, psalmi & hymnis insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, assurgere ad imitationem eorum, eloquiis divinis intendere, eleemosinas indigentibus ministrare valeat Christianus.*

Hinc Concilium Aquense, tit. de Festorum cultu, ait: *Doceantur populi . . . præsertim ut præter Missam, quæ sine gravissimi peccati pœnâ prætermitti non potest; præter Vesperas item, quibus fidelem quemque, nisi impeditum, interesse maximè convenit, in doctrinæ Christianæ rudimentis omnes, tam viri, quam fœminæ, versentur.*

*Resolv.* Præceptum de sanctificatione festorum malè impletur ab iis, qui solâ Missâ, quam breviorē invenire queant, contenti, reliquam diem in otio, nugis, ludis, colloquiis inutilibus, aut cursibus transigunt; cùm hæc maximè abhorreant à Religionis & Ecclesiæ spiritu, quæ non solùm culpat omissionem Sacri, sed & ea culpat & prohibet quæ diebus Festis à Dei cultu & veneratione distrahunt, nimirum opera servilia, mercatus, saltationes, &c. nec pro ra-

tione prohibitionis allegat quòd Missæ auditionem impediunt, sed quòd à divino cultu mentem retrahant. Enimverò si solum prohiberentur, quatenùs impediunt Missæ auditionem, non prohiberentur totâ die, nec post auditionem Missæ, sed vel ante illam, vel tempore illius duntaxat. Nec Concilium Turonense sub Carolo magno, cap. 40. statueret: *Oportet omnes Christianos, in his diebus, à servili opere cessare, & in laude Dei ad vesperam usque perseverare.*

Quæres 2<sup>o</sup>. *Quale peccatum committat qui Vesperis non interest, cum potest?*

*Resp.* Committit peccatum veniale, ut asserit D. Antonin. 2. p. tit. 9. c. 7. §. 4. nisi suppleat per alia pietatis opera. Ratio est, quia hæc assistentia, licet sæpiùs ab Ecclesiâ commendata tanquàm medium cultui divino magis proportionatum, nullibì tamen videtur districtè præcepta; utrumque patet ex communi sensu fidelium timoratorum, qui levem quidem in hoc, non verò gravem obligationem apprehendere consueverunt.

### §. II. *De operibus vetitis die festivâ.*

*Nota 1<sup>o</sup>.* Licet dies Dominica sit loco Sabbati substituta in honorem resurrectionis Christi Domini, tamen non id omne Christianis prohibetur die Dominicâ, quod Judæis Sabbato vetitum erat; licet enim Christianis cibos parare & coquere, colligere fructus mensæ apponendos, animalia minora, v. g. pullos, columbas, &c. occidere, & plura alia quæ Judæis erant prohibita.

*Nota 2<sup>o</sup>.* Duplicis generis opera distingui debent, nempe servilia, & liberalia.

Opera



Opera servilia, sunt ea quæ à servis & infimâ plebè, seu mercenariis exercentur, qualia sunt omnia opera artium mechanicarum, & ruralia; v. g. *Arare, fodere, seminare, suere, nere, conflare, imprimere, typographicos caractères ordinare, sculperè, pingere, barbas & crines tundere, vecturas laboriosas exercere, fructus, ligna, &c. colligere, piscari, venari, & alia id genus, quæ quia in actione corporis præcipuè consistunt, corporalia nuncupantur; eaque, vel sunt verè servilia, etiamsi fiant tantùm causâ recreationis, non verò intuitu mercedis, aut ad sustentationem vitæ, quia intentio operantis non mutat intentionem operis; vel servilibus æquiparantur à jure, à quo prohibentur, prout Concilium Meldense ann. 845. sub Sergio Papâ, prohibuit venationem & piscationem.*

Opera liberalia, sunt ea quæ animum excolendum spectant, ideòque sunt digna homine libero; qualia sunt, *Canere, docere, concionari, legere, studere, scribere, dare consilia & responsa; linearem domûs, munimenti, picturæ, vel operis textorii adumbrationem ducere.* Ita collat. Andegav. tom. 2. in Decalog. pag. 181. His positis sit

### CONCLUSIO.

*Diebus Dominicis, Festivisque, exercere opera servilia, & alia à jure prohibita, est peccatum mortale ex genere suo.*

*Prob. 1<sup>a</sup>. p. Ex D. Aug. Epist. 36. dicente: Vacatio à servilibus operibus imperatur, undè illud est, quòd lapidare Deus hominem jussit, qui ligna collegerat. Accedit communis Ecclesiæ usus, & Doctorem consensus; ergo.*

MORAL. Tom. IV.

B b

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Quia modus, quo sanctificandi sunt dies festi, ex ordinatione Ecclesiæ est repetendus; ergo sub gravi peccato tenemur abstinere ab eis, quæ exercere prohibet iis diebus, quia materia est gravis, cum pertineat ad cultum Dei, à quo plurimum avocant actus ab Ecclesiâ prohibiti; ergo.

Dixi, *Est peccatum mortale ex genere suo*: quia levitas materiæ excusat à mortali in operibus fervilibus; imò excusat à toto peccato in aliis operibus, quæ non sunt ita servilia, quin conveniant servis perindè ac nobilibus, ut sunt piscatio, venatio.

*Resolv.* Non videtur illicitum piscari arundine, leporem insequi cum uno aut altero cane, aucupari retibus exiguis; modò prædictis laboribus ità inserviat, ut nihil eorum prætermittatur, quæ ad piam festorum celebrationem necessaria sunt: ex quo sic concludit P. Collet, tom. 5. moral. pag. 582. *Unde vir nobilis, qui Missâ auditâ, majori diei parte venationi indulget, videtur reus dubii saltem peccati mortalis; imò hic lethale peccatum arguerem, si vir ille à venatione reversus, nihil ampliùs in gratiam Dei faceret; & ità sentit Henno p. 234. A fortiori igitur sacrorum dierum violatores censeri debent, qui magnam eorum partem in popinis transigunt, aut vinum transigentibus præbent contra Ecclesiæ & Principis leges.*

Quæres 1<sup>o</sup>. *Quenam opera non servilia prohibentur à jure?*

*Resp.* cap. 1. & cap. finali, de Feriis, prohibentur opera quæ *forensia* nuncupantur, & sunt 1<sup>o</sup>. Placitum, id est, omnis actus judicialis,

qui fit cum strepitu ; nempè opera Judicum , Notariorum , reorum , actorum , testium , Procuratorum , & Advocatorum ad hoc concurrentium ; imò ex dicto cap. finali , quidquid fit tunc temporis judicialiter , ipso facto est irritum ; *Nec processus habitus teneat , nec sententia , quam contingit diebus hujusmodi promulgari.*

2°. Juramentum , etiam extrajudiciale , (*putà in instrumento contractus* , ait Glossa in cap. finale , de Feriis. ) *Nec Sacramenta , nisi pro pace , vel aliâ necessitate præstentur* , cap. i. de Feriis.

3°. Mercatus , id est , nundinæ , sive annuæ & solemnes , sive hebdomadariæ , in quibus concurrunt rustici , grana , olera , butyrum & similia vendituri ; & actus mercandi , ut sunt emptio , venditio , locatio , conductio , &c. maximè quæ fiunt cum instrumento publico.

4°. Convivia publica , choreæ , ludi scenici & theatrales ; id constat ex Concilio Turon. an. 1583. *Diebus Dominicis præsertim , & aliis festis , comessationes , convivia publica , tripudia , saltationes , strepitus & choreas agi , venatu & aucupatu tempus terere . . . sub anathematis pœnâ prohibet hæc sancta Synodus.* Et ex D. Aug. in Psalm. 91. *Diebus festis melius est arare , quam saltare.* Ratio prohibitionis est , quia illa omnia maximè retrahunt à cultu divino , cui dies festi specialiter sunt destinati.

*Resolv.* Graviter peccant 1°. Domini , qui mercatus aut nundinas , choreas , &c. festis diebus haberi permittunt ; cum & Ecclesiasticam & Regiam legem violent , ut fusè probat Pontas , V. Dimanche , cas 5.

2°. Patres-familias , qui non obstant nè filii



fui ferviliter laborent; Pontas ibid. cas 13:

3°. Domini, qui domesticis suis equos, vel boves pascendos committunt, quo tempore Sacrum peragitur, ita ut Missam quandoquè non audiant. Pontas ibid. cas 14.

Quæres 2°. *Quænam sit materia gravis, ad mortale sufficiens, in opere diebus festis prohibito?*

*Resp.* 1°. In placito & mercatu materiæ gravitas non solum ex quantitate temporis, sed etiam ex qualitate operis desumitur, ut fert communis sententia.

Hinc, inquit P. Antoine, brevis agitatio litis, in re magni momenti, & prolatio sententiæ, est gravis culpa.

*Resp.* 2°. In assignandâ temporis quantitate, ut materia sit gravis in operibus servilibus: tot, tamque variæ sunt auctorum opiniones, ut vix quid certi responderi possit.

P. Henno, assignat duas horas, si opus sit multum servile, tres verè in aliis operibus. Marchantius, assignat tres horas. Filiutius, Carolus à Cremonâ, P. Antoine, assignant duas. Azorius, Reginaldus, Bonacina, Grandin, Paulus à Lug. Natal. Alexander, Tournely, assignant unicam horam, maximè si labor sit valde servilis, graviterque corpus defatiget. Suarez tom. 1. de Relig. c. 31. n. 2. cui libenter subscribo, docet hoc esse relinquendum iudicio viri prudentis, cum ex duobus hominibus, eidem labori per tempus unius horæ vacantibus, unus magis quàm alter divertatur à cultu divino & aliis pietatis operibus.

Porro, gravitas materiæ ex unione & integritate morali desumi potest; sic Herus tres

habens servos, qui semi-horæ laborem singulis assignaret, graviter peccaret, quia hæ tres semi-horæ integrant materiam gravem respectu Heri mandantis, cui meritò talis transgressio imputatur.

Quæres 3°. *Quænam causæ excusant ab obligatione omittendi opera diebus festis prohibita?*

*Resp.* Quinque vulgò numerantur.

1°. *Consuetudo legitimè introducta*, id est, videntibus & tacitè annuentibus Prælati. Sic permittuntur emptiones rerum parvi momenti, præsertim earum, quæ in familiâ usu quotidiano consumuntur; & earumdem rerum venditiones, clausâ officinâ.

2°. *Pietas erga Deum*, per quam licent opera ad Dei cultum proximè pertinentia, ut pulsare campanas, altare instruere, templa ornare, &c. Dico, proximè; neque enim licent ea, quæ ad Dei cultum remotè spectant; ut conficere ornamenta, etiam gratis, construere templum, &c.

3°. *Charitas erga proximum*: sic licet medicamenta parare infirmis tunc egentibus; item licet exercere actus judiciales in favorem pauperum & orphanorum, &c. ut constat ex cap. *Conquestus*, de Feriis, in quo judicialis strepitus diebus festis prohibetur, *Nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat.*

4°. *Utilitas publica*: sic operari licet ad communem lætitiâ vel splendorem; ut in ortu, vel adventu Principis theatra perficere, ignes artificiosos extruere, aulæa ordinare, &c.

5°. *Necessitas*, propria vel aliena, spiritualis vel corporalis, quæ præveniri non potuit, dùm scilicèt sine gravi damno opus aliquod omitti, aut differri nequit; *Sabbatum enim propter ho-*

*minem factum est, non homo propter Sabbatum,* ait Christus, Marc. 2. v. 27. Sic excusantur:

1°. Pauperes, qui clam, & sine scandalo laborant, audito officio divino, quando aliter se & suos alere non possunt, ut docet D. Antonin. p. 11. tit. 9. cap. 7. §. 5.

2°. Servi & ancillæ, qui unâ, alterâ vice, justo metu ad hoc à dominis incusso, laborare coguntur; quòd si tamen sæpiùs contingat, dominos deserere debent. Licitum est etiam iisdem suas vestes reficere, cum id aliis diebus non permittitur ab Heris: modò id faciant clam & sine scandalo, & intersint officiis divinis.

3°. Instauratores pontium, fontium, viarum publicarum, & similium, quæ moram non patiuntur, nec differri possunt absque damno boni communis.

4°. Piscatores halecum, aut thunnorum, qui certis tantum temporibus capi possunt, cap. *licet*, de Feriis.

5°. Molitores & Naucleri, pendentes à ventis.

6°. Laniones & Piftores, qui carnes aut panes alio tempore præparare, aut coquere non possunt, in concursu magno populorum & festorum.

7°. Sartores, qui vestes, quas aliis diebus perficere non potuerunt, perficiunt diebus festis, quando urget earum usus ob solemnitatem nuptiarum aut exequiarum; qui tamen peccant, si in eam necessitatem suâ culpâ se conjecerint, quod non rarò accidit.

8°. Barbitonfores, qui aliundè suæ familiæ subvenire non possunt, si tondeant rusticos aut opifices qui perpetuo depressi labore, ipsos professis adire nequeunt.



9°. Urbium mercatores , qui rusticis vestimenta , calceos , &c. citra scandalum vendunt , cùm ii aliâ die ad urbem accedere non valeant. Ita Juënin , Pontas , &c.

10°. Vitriarii , coctores laterum , vectores onerum , &c. persistentes in opere inchoato , quod absque notabili damno interrompere non possunt.

11°. Rustici , qui ob aëris intemperiem , hostiles incurfus , &c. messem vindemiam & foena colligunt ; necessè tamen est , ut ante obtineant Pastoris consensum , nisi periculum sit in morâ ; tunc enim laborare possent ex præsumpto ejus consensu , qui non debet nisi cum magnâ cautione præsumi , ut monet excellentissimus Catechismus Montispeffulanus.

Quæres 4°. *An per quodvis peccatum mortale , graviter violetur præceptum de sanctificatione Fæstorum , ita ut circumstantia Fæsti non solum augeat peccatum , quod omnes Theologi fatentur , sed insuper addat novam speciem malitiæ mortalis contra religionem , in Confessione exprimendam ?*

*Resp.* Circa hanc quæst. duplex est sententia.

1<sup>a</sup>. Quæ est recentiorum , negat 1°. Quia nullum est speciale præceptum non peccandi diebus Fæstis. 2°. Quia hoc repugnat praxi fidelium , qui hanc circumstantiam confiteri non solent , & Confessariorum , qui de eâ pœnitentes interrogare nequidem cogitant.

2<sup>a</sup>. Est nostra , & eorum , qui cum venerabili antiquitate , affirmant , & probant 1°. ex D. Aug. tract. 3. in Joan. dicente : *Spiritualiter observat Sabbatum Christianus abstinens se ab opere servili. Quid est ab opere servili ? A peccato : & undè pro-*

*bamus? Dominum interroga : omnis qui facit peccatum , servus est peccati : Joan. 8. v. 33. Ergo est speciale præceptum non peccandi diebus Fests ; ergo ruit prima probatio prioris sententiæ.*

2<sup>o</sup>. Ex D. Thoma 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. juxta quem triplex distinguitur servitus, *Una quidem , quâ homo servit peccato . . . alia , quâ homo servit homini per opera corporalia. Tertia autem est servitus Dei ; postea addit : Opera quæ dicuntur servilia primo vel secundo modo , contrariantur observantiæ Sabbati , in quantum impediunt applicationem ad divina ; & quia magis homo impeditur à rebus divinis per opus peccati , quam per opus ( per se ) licitum , quamvis sit corporale ; idèd magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die Festo , quàm qui aliud corporale opus licitum facit.*

3<sup>o</sup>. Ex D. Bonavent. qui opusc. cui tit. Confessionale , c. 2. ait : *Interrogandus est pœnitens de tempore quo peccatum perpetravit : utrum videlicet in tempore festivo , vel non festivo ; quia nempè circumstantia temporis trahit peccatum ad aliam speciem , nempè ad sacrilegium , juxta illud. D. Antonini 2. p. tit. 9. c. 7. §. 2. Peccatum mortale commissum die festo , est multò gravius , quàm aliâ die. Nam ultra propriam deformitatem , habet specialem deformitatem ex illâ circumstantia temporis sacri , quâ festum violatur : undè talis , ut dicit Nicolaus de Lyra , non solum agit contra unum præceptum ; scilicet , non mœchaberis ; aut illud , non furtum facies ; sed etiam contra illud de sanctificatione Sabbati.*

Rationem dat Abulensis , in cap. 20. Exod. q. 11. in fine , & 12. *Magis servile est opus peccati ,*

inquit, quàm opus humani negotii : magis celebritatem Festi infringimus in peccando & occidendo, quàm alios labores agriculturæ nostris manibus exercendo. Idèd licèt ab utroque abstinendum sit, magis tamen ab iniquis operibus, quàm à corporalibus operibus. Ex hoc sequitur, quòd qui die Dominico adulteratur, aut occidit, aut inebriatur, magis peccat, quàm si aliis diebus idem ageret, quia sic transgressor est duplicis præcepti, scilicèt, non occides... & quia non observat diem Dominicum.

Ex his omnibus, manifestum est hanc nostram sententiam longè graviori auctoritate fulciri, quàm opposita sententia, quæ nullam venerabilis antiquitatis proferre pro se potest auctoritatem; nec ullam aliam rationem, præter illas duas, quas suprà retulimus, quarum prima funditus evertitur per auctoritates Patrum quas retulimus; secunda ergo restat solvenda.

*Dicunt* itaque, quòd pœnitentes, etiam timorati, non soleant hanc circumstantiam confiteri, nec Confessarii de eâ interrogare; ergo.

*Resp.* 1º. Manifestum est ex probationibus, quòd olim illa circumstantia non fuerit ommissa, ut expressè docent D. Bonaventura, & D. Thom. qui 1. 2. q. 7. art. 1. ad 1. dicit: *Primò, accusabilis redditur aliquis ex hoc quòd homicidium fecit. Secundariò, verò ex hoc quòd dolo fecit, vel propter lucrum, vel in tempore, vel in loco sacro.* Nihil certè dilucidius.

*Resp.* 2º. *nego conseq.* Si enim pœnitentes hodiè non sese accusent de circumstantiâ Festi, id omittunt defectu instructionis. Quare enim sese accusant de peccatis mortalibus in loco sacro



commissis ? quia docentur illa peccata specialem malitiam contrahere ex circumstantiâ loci sacri ; ergo si docerentur peccata mortalia , tempore sacro perpetrata , specialem malitiam , aut saltem , majorem , ex illâ temporis circumstantiâ , contrahere , de illâ certè sese accusarent.

Quoad Confessarios , qui de circumstantiâ temporis , pœnitentes suos non interrogant , hæc omissio ex parte eorum , sicut ex parte Pœnitentium est culpabilis ; si quidem circumstantia temporis de quâ agitur , est saltem circumstantia aggravans : circumstantiæ autem aggravantes in confessione declarandæ sunt , ut probabimus in Tract. de Pœnit.

### ARTICULUS III.

#### *De Jeunio & Abstinentiâ.*

*Nota.* **T** Riplex distinguitur jejunium , spirituale scilicèt , naturale , & ecclesiasticum.

*Jejunium spirituale* , est abstinencia à peccatis , quod vocatur à D. Aug. tract. 17. in Joan. *Jejunium magnum & generale*. Verùm istud non est jejunium propriè dictum , sed metaphoricum.

*Jejunium naturale* , est omnimoda abstinencia cibi & potûs à mediâ nocte præcedente ; hoc jejunium requiritur ad Eucharistiæ sumptionem.

*Jejunium ecclesiasticum* , de quo hîc , est *abstinencia à quibusdam cibis , cum unicâ , in die , refectiõne , horâ competenti sumendâ*. Hinc ad essentiam jejunii tria requiruntur.

1<sup>o</sup>. Requiritur ; *abstinencia à quibusdam cibis* : nempè 1<sup>o</sup>. à carnibus animalium quæ à piscibus verè distinguntur , & ab eis quæ ad veram carnem reducuntur , vel ut partes , qualia sunt ani-

malium intestina , sagimen & adeps ; vel ut substantiam carnis continens , quale est jusculum è carnibus expressum. 2°. Ab aliis cibis , Ecclesiarum particularium consuetudine prohibitis , ut sunt ova & lactinia , quibus si quis vesceretur contra Ecclesiæ suæ consuetudinem , peccaret mortaliter , nisi excusaret materiæ parvitas , prout definivit Alexander VII. in damnatione hujus prop. *Non est evidens , quòd consuetudo non comedendi ova & lactinia , in Quadragesimâ obliget.*

Dixi , à carnibus animalium , quæ verè à piscibus distinguntur , & ab iis animalibus , quæ ad pisces reducuntur , ut sunt ranæ , lutræ , gallinæ aquaticæ , &c. quibus vesci licet diebus jejunii ; vel quia frigidum habent sanguinem : vel quia diù extra aquam vivere nequeunt , vel quia , timoratorum usu & consuetudine , quæ est optima Legum interpretes , receptum est : vel tandem quia illorum animalium pinguedo ita est fluxa & oleoginosa , ut cum liquatur , oleum potius appareat quàm adeps ; quod videtur in ollâ piscariâ , in quâ supernatat velut oleum ; nec coagulatur.

2°. Requiritur , ut intra spatium diei naturalis , nonnisi una fiat refectio ; *Ecclesiæ moderate statutum est* , ait D. Thomas q. 146. a. 6. *Ut semel in die à jejulantibus comedatur.* Huic tamen refectio ex consuetudine , nunc temporis ubique receptâ , additur vespertina collatiuncula.

*Resolv.* 1°. Qui duplicem in die jejunii sumit refectioem , jejunium violat , & peccat mortaliter , ut definivit Alexander VII.

in damnat. hujus prop. *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedentiâ hoc faciat, putâ quia non vult se subicere præcepto.*

*Resolv. 2º.* Qui postquàm duas sumpsit refectiões, tertiam aut quartam sumit, peccat; tùm quia licèt non possit servare jejunium ex toto, illud tamen servare potest ex parte: tùm quia licèt præceptum jejunii, quoad formam verborum, esse videatur affirmativum, in se tamen triplex continet negativum, scilicèt *non comedes carnes; plures refectiões non sumes: non sumes refectiõnem ante horam præscriptam*: quemadmodùm ergo prohibitio comedendi carnes, non solùm violatur per primum, vel secundum actum ei oppositum, sed & per sequentes quoscumque; ita pariter per secundam & quascumque sequentes refectiões violatur jejunii præceptum.

*Resolv. 3º.* Qui sæpiùs quid parvum comedit extra refectiõnem, peccat mortaliter, cùm ad notabilem quantitatem devenerit, juxta hujus prop. damnationem ab Alex. VII. *Qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

*Resolv. 4º.* Refectiõ debet esse ita continua, ut non sit moraliter interrupta, aliàs non una, sed multiplex esset refectiõ; quotum autem temporis intervallum requiratur, ut interruptio sit moralis, id prudentum judicio est dijudicandum, habitâ ratione, tùm negotii propter quod interruptitur refectiõ; tùm temporis, loci, & intentionis illius qui interruptit.

3º. Requiritur certum tempus refectiõnis,



quod ex usu ab Ecclesiâ recepto, videtur esse circa meridiem, ita ut non liceat, sine justâ causâ, hanc horam notabiliter (spatio scilicet duarum horarum) anticipare. Ratio est, quia refectionis dilatio plurimum confert ad corporis mortificationem ab Ecclesiâ intentam.

Quæres 1°. *An sumptio potûs extra tempus refectionis, noceat jejunio?*

*Resp.* Sumptio potûs de se nutrivi nocet jejunio; undè falsum est hoc hominum ventri indulgentium axioma, *Liquidum non frangit jejunium*. Sumptio verò potûs, qui non sumitur ad nutritionem, sed ad aridam sitim sedandam, & ad digestionem ciborum assumptorum, non nocet jejunio; ita resolvit D. Thomas 2. 2. q. 147. a. 6. ad 2. dicens: *Jejunium Ecclesiæ non solvitur, nisi per ea quæ Ecclesia interdiceret intendit, instituendo jejunium. Non autem intendit Ecclesia interdiceret abstinentiam potûs, qui magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumptorum, quàm ad nutritionem, licet, aliquo modo nutriat. Et idè licet pluries jejunantibus bibere. Et infra ad 3. Electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Undè non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi fortè aliquis in fraudem, electuaria in magnâ quantitate assumat per modum cibi.*

*Resolv.* 1°. A D. Thomæ scopo aberrant, qui censent hominem qui ad ebrietatem usque potaret, peccaturum quidem contra temperantiæ, non verò contra jejunii leges.

*Resolv.* 2°. Lege jejunii prohibetur caffetum, & maximè chocolatum: dicit tamen Paulus à

Lugd. *Ab unius caffeti poculo non violari penitus jejunium, cum levitas materiæ à mortali excuset, imò & à veniali, si adsit legitima causa, nimirum si fumatur medicinaliter, & ad curandam realem infirmitatem; secus tamen dicendum videri de chocolato, quòd sapius magis nutritivum est & substantiosum, quàm ipsummet jusculum carniùm, ut testatur Strabba medicus Anglus, apud Tournely, de virtutib. card. pag. 82.*

Quæres 2<sup>o</sup>. *An collatiuncula sit licita?*

*Resp. affirm. Ut constat ex consuetudine, à multis jam sæculis ubique receptâ, cui, cum sit optima legum interpres, absque scrupulo standum est.*

Quæres 3<sup>o</sup>. *Quibus cibus licitum est uti in collatiunculâ?*

*Resp. Cùm collatiuncula consuetudine & usu sit inducta, in eâ, iis solùm cibus uti licitum est, qui ipsâ consuetudine sunt approbati; cujusmodi sunt, ait Sylvius, Uvæ, nuces, poma, vel alia ex saccharo condita, imò & aliquid butyri, vel casei, ubi ita consuetudo obtinuit; pisces autem pro collatione comedere... non credimus esse licitum, tùm quia magis esset sumere cœnam, quàm cœnulam, tùm quòd non viget (apud timoratos) consuetudo talia sumendi.*

Quæres 4<sup>o</sup>. *Quænam potest esse quantitas cibi in collatiunculâ sumendi?*

*Resp. cum Sylvio: Quæ quantitas in collatione sumi possit, non videtur aliquâ regulâ posse definiiri: sed attendenda est cujusque loci, ad quem venit, consuetudo inter bonos communiter observata: & ita modicè aliquid sumendum est, ut cœnula non vertatur in cœnam, imò nec æquiva-*

leat ei quod pro jentaculo accipi solet : quæ quantitas debet esse diversa pro diversitate complexionum, laborum, & etiam Regionum quarum aliæ aliis frigidiores sunt ; unde fit ut alii aliis minore cibo indigeant.

Quæres 5°. Quâ horâ sumenda sit collatiuncula?

Resp. Ex consuetudine Ecclesiæ non debet sumi, nisi ad vesperam, ita ut non liceat eam sumere circa meridiem, dilatâ ad vesperam cœnâ, nisi propter justam causam, v. g. itineris, hospitem expectatorum, negotiorum per diem gerendorum, &c. Quæ tamen justa causa si absit, juxta multos erit tantum veniale ; quia non violatur jejunium quoad substantiam, sed solum variatur ejus circumstantia non substantialis, ait P. Antoine.

Quæres 6°. Quot sint causæ à jejunio excusantes?

Resp. Sunt duæ, impotentia scilicet & labor.  
Ratione impotentia.

Excusantur 1°. adolescentes, qui 21. ætatis annum nondum expleverunt ; ratio D. Thomæ 2. 2. q. 147. a. 4. est, quia sunt in statu augmenti : qui ibidem docet esse conveniens, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus vel minus, secundum modum suæ ætatis : ad quod ideò à parentibus & confessariis sunt inducendi.

2°. Senes, non ratione senectutis tantum, ait Fagnan in cap. cum sis, de convers. conjugat. sed ratione magnæ debilitatis ; quippè vidi, apud nos, septuagenarios, imò octogenarios, qui tam commodè jejunabant, quàm quadragenarii. Idem de seipso affirmat Navarrus.

3°. Infirmi omnes, sicut & convalescentes,



quos infirmitas valdè extenuavit ; quod & Doctores extendunt ad eos , qui feбри tertianâ , vel quartanâ diurnâ laborant ; circa quod consulendus est prudens & timoratus Medicus.

4°. Prægnantes & nutrices , nam egent cibo pro se & pro foetu , vel prole , quibus jejunium valdè noceret. Imò Navarrus in manuali , cap. 21. num. 16. docet eas peccare , si jejunent cum prolis periculo.

5°. Pauperes , qui simul habere nequeunt quod eis ad unam refectionem sufficiat. *Non excusantur ergo , ait D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 4. propter paupertatem à jejuniis Ecclesiæ , à quibus tamen excusari videntur illi qui frustratim elemosinas mendicant , qui non possunt simul habere , quod eis ad victum sufficiat.*

6°. Non excusantur illi , qui magnâ noctis parte dormire nequeunt , nisi sumptâ coenâ , cum salvo jejunio , isti incommodo occurrere valeant , collatiunculam meridiè sumendo , plenamque refectionem in vesperum differendo ; ideòque tales nulla impotentia excusat.

*Ratione laboris.*

Excusantur juxta D. Thom. ibid. ad 3. illi soli qui opus vel iter pedibus conficiunt , quo adeò defatigantur , ut simul cum jejunio laborare , vel itinerari non possint , & quod pro tunc sit ita necessarium , ut *absque detrimento corporalis salutis , aut exterioris statûs , vel spiritalis vitæ non possit differri ; quia , inquit , non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia , ut per hoc impediret alias pias , & magis necessarias causas.* Hinc.

1°. Excusantur à jejunio Fabri ferrarii & lignarii ,

gnarii, Agricolaë, Foffores, Vinitores, Auri-  
gæ, Bajuli, Curfores, iis quidem diebus quibus  
laborant, vel quibus ex præcedenti labore sunt  
plurimum defatigati.

2°. Excusantur Confessarii & Concionatores,  
qui adeò laborant, ut viribus indè exhaustis,  
jejunium ferre nequeant; nam D. Thom. cit.  
eos eximit à jejunio, qui *multum laborant, vel  
propter conservationem vitæ corporalis, vel prop-  
ter aliquid necessarium ad vitam spiritualem.*

3°. Non excusantur omnes, quorum labor  
non est ita gravis, quales sunt Pictores, Barbi-  
tonfores, Sartores, Typographi qui torcular  
non tractant, sed characteres duntaxat compo-  
nunt; Sutores, qui non fiunt, sed solùm ma-  
teriam præparant, Notarii, Scribæ, &c. Hinc  
Alex. VII. hanc prop. damnavit, *Omnes Officia-  
les, qui in republicâ corporaliter laborant, sunt  
excusati ab obligatione jejunii, nec debent se cer-  
tificare an labor sit compatibilis cum jejunio.*

4°. Non excusantur, qui equo vel currui-  
ter agunt, nisi fortè ob extraordinarium cursum ac  
defatigationem, non possint sine gravi incom-  
modo jejunare. Hinc Alex. VII. damnavit istam  
prop. *Excusantur absolute à præcepto jejunii om-  
nes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter  
agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi  
iter unius diei conficiant.*

5°. Quoad eos qui pedibus iter conficiunt,  
non potest determinari numerus leucarum qui  
sufficiat ad excusandum à jejunio; nam alii plùs,  
alii minùs fatigantur ex itinere, & viæ aliæ aliis  
sunt difficiliore: hanc ergo determinationem

remittimus conscientiae iter agentis, & iudicio prudentis Confessarii.

*Resolv.* Non excusatur à jejuniò conjugatus, quia jejunando nequit reddere debitum comparti, prout intolerabiliter docuerunt aliqui laxioris æthices casuistæ. Ratio est, quia conjux ad illud justitiæ opus non tenetur, nisi quantum Dei & Ecclesiæ mandata simul servare potest, & sub hac tacitâ conditione matrimonium inivit; & ideò nullam tunc comparti facit injuriam.







# TRACTATUS

DE

VARIORUM STATUUM

OBLIGATIONIBUS.


*Nota.*



UM quilibet teneatur, sub peccato mortali, apprimè ea quæ pertinent ad statum proprium, dignoscere, operæ necessarium duximus, de variis humanæ vitæ statibus peculiarem Tractatum instituere, in quo agemus 1°. De obligationibus Clericorum. 2°. De obligationibus Religiosorum. 3°. De obligationibus parentum erga liberos, & inferiorum erga Superiores, & vicissim. 4°. De obligationibus personarum judicialium & forensium. 5°. De obligationibus Ducum & Militum. 6°. Tandem de obligationibus Medicorum, Chirurgorum, Pharmacopolarum.

Quoad obligationes mercatorum, rusticorum, artificum, aliorumque operariorum, satis patebunt ex dicendis tom. seq. de contractibus, de jure & justitiâ.

C c ij



## DISSERTATIO I.

*De obligationibus Clericorum.*

*Nota.* **C**lerici, sunt ii qui aliquo Ordine, vel primâ saltem tonsurâ sunt initiati. Alii sunt sine beneficio ecclesiastico, alii beneficio ecclesiastico donantur; undè agendum est 1°. de obligationibus generalibus Clericorum, sivè sint beneficio Ecclesiastico addicti, sivè non; 2°. de obligationibus Beneficiatorum, duplici capite.

## CAPUT PRIMUM.

*De obligationibus generalibus Clericorum.*

*Nota.* **O**bligaciones generales Clericorum, in quibusdam ipsis præceptis & prohibitis reperiuntur. Undè

Quæres 1°. *Quænam specialiter Clericis præcipiuntur?*

*Resp.* Debent 1°. Statum Clericalem, sacros Ordines, vel beneficium ecclesiasticum non suscipere, nisi per vocationem Dei, quam omninò necessariam declarat Script. Heb. 5. v. 4. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Porro divina illa vocatio nobis non innotescit, nisi per electionem, nominationem, ac institutionem legitimam.

Hinc graviter peccat, tum qui motu proprio sese in statum Clericalem ingerit; tum Episcopus qui confert Tonsuram & Ordines illis, in quibus divinæ ad statum Ecclesiasticum

*vocationis signa aliqua probabilia non deprehendit.* Ita ferunt acta Ecclesiæ Mediolanensis, parte 3.

2°. Sacros Ordines non debent suscipere, aut beneficium Ecclesiasticum ambire, principaliter rerum temporalium appetitu: *Quærere enim, & appetere hujusmodi curata, principaliter propter honorem & divitias, videtur esse mortale,* ait D. Antonin. p. 3. c. 5. §. 4. Imò Concil. Bituric. tit de Benef. §. 1. *Denuntiat omnibus cujuscumque gradus & conditionis, qui beneficia Ecclesiastica. solum temporalis proventus gratiâ suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri.*

Dixi, *principaliter*: quia positâ principali intentione salutis propriæ, vel alienæ, gloriæ Dei & Ecclesiæ utilitatis, non videtur illicitum beneficium Ecclesiasticum, ad honestam sustentationem necessarium, expetere, non attendendo an pingue sit, vel exiguum. Ratio est, quia in hac secundariâ intentione non apparet inordinatio & perversitas.

3°. Tenentur sub mortali, studio eam operam conferre, quâ scientiam functionibus suis competentem comparare & conservare possint. Ex Gelaf. Papâ, dist. 36. cap. 1. dicente: *Nemo illiteratos præsumat ad Clericatus ordinem promovere, quia litteris carens, non potest aptus esse officii.* Conc. Toletanum VIII. cap. 8. addit: *Aliter Ordinariis & Ordinandis imminet Dei & Ecclesiæ ejus vindicta.*

*Resolv.* In malo statu versantur, & absolutionis videntur incapaces, Ecclesiastici, maximè animarum curæ dediti, qui numquam vel perarò sacræ doctrinæ studio vacant: tum quia



nullus absque præsumptione gloriari potest ; scientiam ad tam arduum ministerium necessariam , se perfectè jam comparasse ; tùm quia jam comparata scientia facilè amittitur , si studium intermittatur.

4<sup>o</sup>. Clerici , in Sacris constituti , & curam animarum habentes , tenentur ad perfectionis studium : nam qui solemniter Deum susceperunt in specialem portionem sibi , ad præstantioris sanctitatis professionem & studium strictissimè tenentur , juxta illud Levit 21. v. 6. *Sancti erunt Deo suo , & non polluent nomen ejus ;* atqui omnes Clerici solemniter Deum susceperunt in specialem portionem sibi ; ergo. Hinc Apost. ait : *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse , sobrium , prudentem , ornatum , &c.* 1. ad Tim. 3. v. 2. Idem dicit infrà de Diaconis ; & de aliis Clericis idem cum proportione dicendum , docent SS. Patres.

*Resolv.* Clerici , qui orationi , lectioni spirituali , aliisque pietatis exercitiis ad sanctitatem conducentibus , nunquam aut perrarò vacare student , ob hanc solummodò voluntariam & habitualementem negligentiam , in malo statu versantur , & absolutionis sacramentalis sunt incapaces , donec ipsos pœnituerint ; & bonum propositum servaverint.

5<sup>o</sup>. Ratione sui statûs , & promissionis solemniter in Ordinatione factæ , tenentur præstare obedientiam Episcopo , in iis quæ spectant ad honestatem vitæ , & reformationem morum , ad divinum cultum , Officium , &c. cap. Quia frater , 7. q. 1.

6<sup>o</sup>. Tenentur sectari paupertatem spiritûs , quæ in rerum omnium temporalium contemptu

ita est; juxta Apostolum ad Tit. 1. vetantem, nè Episcopi, Diaconi, cæterique Ecclesiæ Ministri, sint *cupidi*, & *turpe lucrum* sectentur.

7º. Sacris initiati tenentur servare castitatem perpetuam, ex Ecclesiæ ordinatione, quæ ob reverentiam sacri ministerii, ipsam annexit Ordini sacro; ita ut qui sacris initiantur, hujusmodi votum emittere censeantur, etiamsi nihil voti meminerint, nec illud observare intenderrint. Constat ex variis juribus, cap. *quod votum*, de voto, in 6. Trid. sess. 23. cap. 13.

8º. Clerici, præsertim sacro Ordine initiati, vel beneficiati, nigram & talarem vestem, sub gravi peccato, deferre tenentur, nisi aliquando causâ itinerationis excusentur. Ita statuit Concil. Trid. sess. 14. c. 6. de Ref. sub gravissimis pœnis suspensionis *Ab Ordinibus, ac Officio, & Beneficio, ac fructibus & redditibus ipsorum Beneficiorum*; atqui tantæ pœnæ, non nisi propter grave peccatum imponuntur; ergo.

9º. Clerici, præsertim Sacris initiati, aut Beneficiati, clericalem tonsuram, suo Ordini congruentem, sub gravi peccato, deferre tenentur; patet ex Greg. IX. de vitâ & honest. Cleric. *Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit*: atqui *anathema*, cum sit *æternæ mortis damnatio*, non nisi pro mortali debet imponi crimine, ut ait Conc. Meldense, an. 845.

Hinc peccat mortaliter Clericus, qui notabili tempore non gestat tonsuram, vel habitum clericalem, cum sit res gravis pertinens ad decentiam statûs, & decus Ecclesiæ. Ita Navar. Sanchez, Antoine, &c.

10º. Clericus recipiens beneficium, etiam

simplex , cui nullus ordo facer annexus est , debet habere intentionem perseverandi in statu Ecclesiastico ; nam accipiens ejusmodi beneficium , solùm ut se sustentet , aut ditet , donec ducat uxorem , ex communi , mortaliter peccat , ac tenetur resignare beneficium ; quia indirectè facit contra intentionem Ecclesiæ & fundatorum. Qui verò recipit beneficium parochiale , sine animo intra annum suscipiendi sacerdotium , ultra mortale peccatum , incurrit obligationem restituendi fructus ; cap. *commissa* , de elect. in 6. Illos tamen retinere poterit , si mutata voluntate , fiat intra annum Sacerdos.

Quæres 2<sup>o</sup>. *Quænam sint specialiter prohibita Clericis ?*

*Resp.* Sequentia sunt graviter ipsis prohibita.

1<sup>o</sup>. Quælibet negotiatio , ex cap. 6. *ne Clerici vel Monachi* , ubi Alexander III. ait : *Secundum instituta prædecessorum nostrorum , sub interminatione anathematis prohibemus , ne Monachi vel Clerici , causâ lucri negotientur.* Idem statuitur infinitis Canonibus & Conciliis : pro omnibus fit Trid. sess. 13. c. 1. de ref.

Ratio cur Ecclesia negotiationem tam severè prohibuerit , est triplex , juxta D. Thomam 2. 2. q. 77. a. 4. ad 3. 1<sup>a</sup>. *Quia est ordinata ad lucrum terrenum , cujus Clerici debent esse contemptores.* 2<sup>a</sup>. *Quia exponit periculo peccati , nempè injustitiæ , mendacii , &c.* 3<sup>a</sup>. *Quia nimis implicat animum sæcularibus curis , & per consequens a spiritualibus retrahit ; undè Apostolus dicit : Nemo militans Deo , implicat se negotiis sæcularibus.*

*Nota tamen , eum non esse negotiatorem ,*



qui proprios agros colit, ut fructus vendat; vel animalia in suis prædiis alit, ut ex foetu, lanâ, lacte pecuniam conficiat, aut animalia faginata vendat; agros tamen vel prædia aliena in istum finem conducere omninò eis prohibetur à Conc. Chalced. can. 3. licèt id non sit negotiari.

2°. Strictissimè prohibetur Clericis negotiorum alienorum administratio à Conc. Chalced. citat. his verbis: *Decrevit itaque sanctum hoc, magnumque Concilium, nullum deinceps, non Episcopum, non Clericum, vel Monachum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se immiscere.* Idem habent plurima alia Concilia, quorum statuta ab ipsismet legibus civilibus sunt firmata, L. *generaliter*, cod. de Episc. Undè Concil. Parisiense VI. tales vocat, *Desertores sui Ordinis.*

*Resolv.* Peccant graviter, & absolutionis sunt incapaces, donec emendati fuerint, Clerici qui administrationem temporalium bonorum in domibus nobilium exercent, qui agunt officium Advocati, Procuratoris, Tabellionis, &c. in placitis sæcularibus, nisi in propriâ causâ, vel Ecclesiæ, aut miserabilium personarum, quæ suas causas administrare nequeunt, ut dicitur cap. 1. de postul. Ratio est, quia ista nimis occupant animum & à spiritualibus avocant.

*Nota;* In Galliâ usus invaluit, ob bonum Ecclesiæ, ut Clerici fungantur officio Judicis & Consilarii in causis civilibus.

3°. Venatio clamosa ( id est, quæ fit clamore & armis, cum canibus aut avibus ) interdicitur graviter Clericis, ita ut mortaliter peccent, si frequenter sic venentur, ex Concil. Later. IV.

*Venationem aut aucupationem universis Clericis interdiciamus ; undè nec canes , nec aves habere præsumant.* Idem definierunt cap. 1. de Clerico venatore. Conc. Matiscon. an. 581. Conc. Pictav. an. 1078. can. 10. Ratio est, quia mentem à Deo plurimum distrahit, populo scandalum parit, nec decet statum Clericalem.

Dixi, *clamosa* ; quia juxta S. Raymund. & alios, licita est Clericis venatio quieta, quæ sit laqueo, vel retibus causâ necessitatis, vel recreationis moderatæ.

4°. Armorum gestatio, ex Concil. Aquensi ; *Nec enssem, nec pugionem, nec aliud armorum genus gestent ; nisi propter itineris necessitatem.* Undè cap. 2. de vitâ & honestate Clericorum, dicitur : *Clerici arma portantes & usurarii excommunicentur.* Ratio est, *Quia non possunt Deo simul & sæculo militare*, ait Conc. Meldense ; can. 37. celebr. an. 945.

5°. Choreæ, comoediæ, publicæ saltationes, strictissimè Clericis interdiciuntur, à Conc. Later. c. 16. & Trid. sess. 24. c. 12. de ref. propter gravissimum scandalum, & statûs Clericalis dedecus, quod indè oritur, ut ipsa dicat ratio.

6°. Ludus alearum, cartarum, tesserarum, & quilibet alius qui solâ fortunâ regitur, sub peccato mortali Clericis interdicitur à variis Canonibus & Conciliis ; sic Conc. Lateranense IV. cap. 16. de vitâ & honestate Clericorum, statuit : *Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Item authent. de SS. Episcopis & Clericis, dicitur : *Interdiciamus SS. Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis, Lectõribus, &c. schematis constitutis ad*

*fabulas ludere , aut aliis ludentibus participes aut inspectores fieri , aut ad aliquod ejusmodi spectaculorum spectandi gratiá venire.*

Nec dicant Clerici istos Canones in desuetudinem abiisse, nec amplius vigere ; Concilium enim Trid. sess. 22. cap. 1. de reform. sacros illos Canones innovans, illorum observantiam imperavit his verbis : *Quæ aliás à summis Pontificibus, & à sacris Conciliis, de Clericorum vitá, honestate, cultu, doctrinâque retinendá, ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lufibus . . . . necnon sæcularibus negotiis fugiendis copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum, sub iisdem pænis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii, imponendis, observentur, nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat.*

Dixi, *Qui solá fortuná regitur* : non enim Clericis interdicitur ludus, in quo intercedit industria, v. g. ludi gallicè vocati, Triâtrac, le piquet, l'ombre.

7º. Popinarum ingressus, nisi necessitatis causâ in itinere, sub gravi peccato prohibetur Clericis in infinitis Conciliis. (\*) Unicum refero generale Later. IV. can. 16. *Tabernas prorsus evitent, nisi fortè causâ necessitatis in itinere constituti.*

8º. Clericis, in sacris constitutis, graviter prohibetur chirurgiæ exercitium, quo adustio vel incisio infertur; cap. 9. *ne Clerici vel Monachi.*

(\*) *Laodic. can. 24. Carthag. 3. can. 27. Francosurt. can. 19. Herbip. can. 2. Rhem. tit. de Clericis in genere. Aquense, anno 1585. tit. de vitá & honestate Clericorum.*



Quoad artem medicam, hæc quidem Clericis non prohibetur; si tamen defectu sufficientis in hac arte peritiæ, vel diligentia, mortem ægroti promoveant, mortale peccatum & irregularitatem incurrunt.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Obligationibus Beneficiorum.*

**H**ic nobis agendum incumbit, 1<sup>o</sup>. de Horis canonicis; 2<sup>o</sup>. de Beneficiis; 3<sup>o</sup>. de Simoniâ; indè enim maximè pendent Beneficiorum obligationes.

## QUÆSTIO PRIMA.

### *De Horis canonicis.*

Quæres 1<sup>o</sup>. **Q**uid sint Horæ canonicæ?

*Resp.* Sunt preces vocales, ab Ecclesiâ institutæ, ejus nomine quotidie, statutis horis, Deo persolvendæ à personis ad id specialiter deputatis.

Dicuntur *Canonicæ*: quia per sacros Canones & leges Ecclesiasticas sunt præscriptæ ad laudandum Deum.

Quæres 2<sup>o</sup>. *Quot sunt Horæ canonicæ?*

*Resp.* Sunt septem; nimirum Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium, juxta illud Psal. 118.

Quæres 3<sup>o</sup>. *Ad quid septem Horæ sunt institutæ?*

*Resp.* Sunt institutæ ad repræsentanda septem mysteria Dominicæ Passionis, hisce verbis comprehensa, apud Glossam, cap. 10. de celebrat. Missar.

*Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis :  
 Matutina ligat Christum , qui crimina solvit :  
 Prima replet sputis : dat causam Tertia mortis :  
 Sexta cruci necit : latus ejus Nona bipartit :  
 Vespera deponit : tumulo Completa reponit.*

Quæres 4°. *Quandonam Horæ fuerunt institutæ ?*

*Resp.* Si spectentur quoad substantiam & quantum important Officium divinum , ab ipsis Apostolorum temporibus originem duxerunt ; sic enim dicitur Act. 3. v. 1. *Petrus & Joannes ascenderunt in Templum ad horam Orationis nonam.* Si verò considerentur quoad formam & numerum horarum , non constat quandonam fuerunt institutæ ; certum est tamen eas esse antiquissimas , ex variis juribus , cap. *Presbyter* , de celeb. Missarum.

Quæres 5°. *Quinam ad Horas canonicas teneantur ?*

*Resp.* 1°. Clerici sacris Ordinibus initiati , ex Cap. *Presbyter* , & cap. *dolentes* , de celeb. Miss. & præsertim ex universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente , tenentur sub mortali quotidie recitare Breviarium , etiam post degradationem , excommunicationem , suspensionem , ad triremes damnationem ; cum jura universim obligent Clericos Sacris initiatos ad pensum Horarum , nec æquum sit ut commodum ex delicto reportent . . . Nota tamen , Clericum degradatum , vel excommunicatum non posse dicere , *Dominus vobiscum* : quia hæc salutatio est quædam cum fidelibus communicatio & Ordinis functio.

*Resp.* 2<sup>o</sup>. Omnes Religiosi & Moniales, professi & ad Chorum deputati, etiam fugitivi, ejecti, & ad triremes damnati; ut constat ex communi usu & consensu totius Ecclesiæ, vim legis habente.

Dixi, *Professi ad Chorum destinati*: nam non obligantur Novitii, neque etiam illi qui non ad Chorum, sed ad militiam, vel functiones laicorum destinantur; ut sunt milites variorum Ordinum, & *conversi* aliarum Religionum.

*Resp.* 3<sup>o</sup>. Omnes Clerici (sivè Sacris sint initiati, sivè non) beneficium Ecclesiasticum possidentes, sivè tenue sit, sivè pingue, regulariter ad Horas persolvendas sub mortali, & restitutionis obligatione, ante omnem sententiam, strictissimè tenentur.

*Prob.* Ex Concil. Later. V. sess. 9. §. Statuimus; ubi privantur fructibus omnes beneficiarii, qui Officium divinum non recitaverint. Quod decretum confirmat Pius V. constit. *Ex proximo* (quæ viget apud nos, ut constat ex Concil. Gallicanis. \*) *Statuimus*, inquit, *ut qui Horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserint, omnes beneficii, vel beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui verò Matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam, partem fructuum ejusdem diei amittat; tametsi aliquis Choro addictus, non recitans, omnibus Horis canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque & distributiones fortè aliter assignatas, solâ præsentia*

\* Burdigalense an. 1583. tit. 3. Turon. eodem. an. tit. 14. quod appellat dictam constit. Narbon. an. 1609. cap. 41.



*juxta statuta, consuetudinem, foundationem, aut alias sibi lucrificasse prætendat, etiam sustineat fructuum & distributionum amissionem. Item ille qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse; & quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas ut Clericus percipit, ad dicendum Officium parvum Beatae Mariæ decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.*

Juxta hanc Bullam, decretum Lateranense, & alia jura, nostram explicamus responsionem.

Dixi 1<sup>o</sup>. *Clerici possidentes*: nam ante adeptam possessionem, nulla est obligatio recitandi, quia ante illam provivus non potest fructus beneficii percipere, nec ejus jura exercere.

Hinc si Beneficiatus nullos, absque suâ culpâ, fructus percipiat, nec sit spes eos postea percipiendi, ( ut cum fundus beneficii ab Hæreticis occupatur ) non obligatur ad Horas ratione hujus beneficii: quòd si sit spes postea fructus beneficii percipiendi, tenetur; quia non privatur simpliciter fructibus beneficii, cum spes illa sit pretio æstimabilis.

Dixi 2<sup>o</sup>. *Beneficium ecclesiasticum*: sive possideatur in titulum, sive in commendam, quia commendæ perpetuæ à Conc. Trid. sess. 24. c. 17. vocantur *Beneficia commendata*, undè dant jus perpetuum percipiendi fructus.

*Resolv.* 1<sup>o</sup>. Qui possidet Capellaniam collativam, ( id est, quæ auctoritate Episcopi instituta & erecta est ) obligatur ad Horas, quia est verè beneficiatus; propter rationem contrariam, non tenetur ad Horas, qui possidet Capellaniam

non collativam, etiamſi ab Epifcopo conferatur; ita omnes.

*Reſolv. 2º.* Penſionarius non tenetur ad Horas, quia penſio non eſt beneficium, tenetur tamen ad *Officium parvum beatæ Mariæ*, ſub eâdem poenâ, ſub quâ Beneficiati tenentur ad recitationem Horarum canonicarum; quia *ut Clericus penſionem percipit*. Ita Bulla Pii V. Suprà cit.

*Reſolv. 3º.* Coadjutor non tenetur ad Horas, præciſè ratione coadjutoriæ, licèt inſtituatur, quia nondùm eſt beneficiatus.

Dixi 3º. *Sivè tenue ſit, ſivè pingue*: quia tenuitas non excuſat ab obligatione recitationis Horarum, ut patet ex his verbis Conc. Later. *Quilibet habens beneficium, & ex his Bullæ Pii V. Quali acumque beneficia poſſidentes*: quæ omnes beneficiatos, ſine exceptione, comprehendunt. Ratio eſt, quia qui acceptat tenue beneficium, ſpontè etiam acceptat onus illi annexum; non ſecùs ac qui ſuſcipit ſacros Ordines, etiam accipit onera ſacris Ordinibus annexa, etiamſi nullum ex Ordinatione ſperet emolumentum.

Dixi 4º. *Regulariter*: quia nonnulla extant beneficia quæ ex ſuâ inſtitutione non obligant ad Horas, ſed ad alias preces, ut ſunt quædam ſimplices Præpoſituræ, vel Perſonatus, vel Prioratus, qui ad recitationem Officii beatæ Virginis, vel alicujus Pſalmi ſolum obligant: porrò Beneficiatus tenetur tantùm ad id propter quod datur Beneficium; atqui, &c.

Dixi 5º. *Sub mortali*: quia eſt gravis obligatio, ad virtutem religionis & juſtitia pertinet; materia autem gravis cenſetur una parva Hora, v. g. Prima, vel Tertia,

Dixi 6º.

Dixi 6°. *Et restitutionis obligatione*: quia sub hoc onere ab Ecclesiâ beneficium eis collatum est, & ab eis acceptatum, ut definivit supradictus Pius V. Igitur qui per unum diem Officium omiserit, tenetur restituere omnes fructus illius diei; qui Matutinum tantum omiserit, dimidiam partem; qui reliquas omnes Horas, alteram dimidiam; qui harum singulas (v. g. Primam, vel Tertiam, &c.) sextam partem, comprehensis etiam distributionibus, quas non lucratur non recitans, etiamsi Choro intersit, ut expresse habet Bulla.

*Nota tamen*, eos, qui ratione beneficii ad alia Officia præstanda, præter Horas canonicas, tenentur, ut Episcopi & Parochi, non teneri omnes fructus restituere, sed partem dumtaxat Horis canonicis correspondentem.

Dixi 7°. *Ante omnem sententiam*: prout definivit Alexander VII. in damnatione hujus propositionis: *Restitutio à Pio V. imposta Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, et quoddam sit pœna.*

Quæres 6°. *Ad quid insuper tenentur Canonici?*

*Resp.* Tenentur in Choro singulis Horis interesse, cum aliis canere, & alta voce recitare Officium per se, & non per substitutos, secundum Ecclesiæ suæ usum, juxta hanc Trid. definitionem sess. 24. cap. 12. *Omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire Officia; atque in Choro ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare.* Ratio est, quia datur beneficium propter Officium, atque ad Officium Canonici,



non solum privata, verum etiam publica in Choro Horarum decantatio spectat; ergo.

*Resolv.* Canonici qui sine legitimâ causâ, à Choro absunt, ultra tres menses sibi à jure concessos, vel ultra tempus brevius, juxta suæ Ecclesiæ Constitutiones, peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur, non solum distributionum quas non lucrantur, sed etiam fructuum beneficii correspondentium psalmodiæ & cantui. Conc. Trid. ibidem.

Dixi, *Sinè legitimâ causâ*: nam Canonici possunt abesse à Choro, & percipere fructus beneficiorum, non tamen distributiones,

1°. Cùm studio Theologiæ per quinquennium vacant; vel cùm docent Theologiam, toto tempore quo docent. Cap. ult. de Magist.

2°. Cùm duo Canonici sunt in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem. Cap. 15. de Clericis non residentibus.

3°. Canonici qui sunt in obsequio Papæ ad eundem finem. Cap. 14. Eodem tit.

Quæres 7°. *Quibus debentur distributiones quotidianæ, & distributiones pro defunctorum anniversariis?*

*Nota*: Distributiones, sunt ea portio proven-  
tuum beneficii, quæ confertur iis qui divinis Offi-  
ciis intersunt, & juxta beneficii conditionem &  
qualitatem inserviunt.

*Resp.* Debentur iis solis, qui Choro inter-  
sunt, ut statuitur cap. Licet, de præbend. & à  
Trident. ibidem cap. 12. dicente: *Distributio-  
nes, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui,  
quavis collusionem aut remissione exclusâ, his ca-  
reant, juxta Bonifacii VIII. decretum, quod*

*incipit*, Consuetudinem. In quo Bonifacii decreto additur: *De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largiendis idem decernimus observandum.* Cap. Consuetudine, de Clerico non residente, in 6.

Quæres 8<sup>o</sup>. *Quænam præsentia requiritur ad lucrandas distributiones?*

*Resp.* Præsentia formalis & ad orandum ordinata; ratio juris est, quia *non censetur præsens, qui non attendit.* Lege, coram Titio. ff. de verb. signif. Hinc qui tempore divini Officii confabulatur, voluntariè obdormit, vel quid simile, attentionem impediens, facit, non lucratur distributiones, quas, si recipiat, tenetur restituere.

Quæres 9<sup>o</sup>. *In quibus casibus absens distributiones lucrari possit?*

*Resp.* In tribus casibus, gravis infirmitatis, scilicet, rationabilis corporis necessitatis, & utilitatis suæ propriæ Ecclesiæ: juxta hanc in decreto Bonif. VIII. exceptionem: *Exceptis illis, quos infirmitas, seu justa aut rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret.* Ratio est, quia hi fictione juris censentur præsententes.

*Sequitur ex 1<sup>o</sup>.* eum qui gravi laborat infirmitate, vel levi quidem, sed quæ accessu ad Chorum, efficeretur gravis, lucrari distributiones.

*Sequitur ex 2<sup>o</sup>.* illi deberi distributiones, qui de consilio Medici domo non egreditur ob valetudinis periculum. Item, qui domi se continet sumendæ medicinæ causâ. Item, qui convalescens urbe egreditur, ut salubriori cœlo perfruat & roboretur. Item, qui ita senio confec-

tus est, ut divinis Officiis (quibus aliàs interesse consueverat) commodè interesse non possit. Item, qui privatâ vi detinetur, aut ab hostibus capitur, & sic impeditur quominùs ad Ecclesiam se conferat. Item, qui in carcerem injustè conjicitur & detinetur . . . Hi enim omnes dicuntur abesse propter rationabilem & justam corporis necessitatem.

*Sequitur ex 3<sup>o</sup>.* Canonicos, qui tempore divinorum Officiorum, ex mandato Capituli, detinentur in iis quæ ad Capitulum spectant, v. g. in subeundis rationibus, aut in assignandis cuique suis redivibus, participes esse distributionum: idem dicendum de eo qui à suo Capitulo ad jurisdictionem aliquam suæ Ecclesiæ annexam, exercendam, vel ad summum Pontificem, aliumvè Principem Legationis titulo mittitur; hi enim absunt in utilitatem suæ Ecclesiæ.

*Dices:* Cap. 7. de Clericis non resident. dicitur, eum qui est in servitio Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem, percipere fructus beneficii tanquàm residens, *nisi forte sint victualia*, id est, distributiones, *quæ non consueverunt absentibus exhiberi*; ergo absenti propter Ecclesiæ utilitatem non debentur distributiones.

*Resp. dist. conseq.* Absenti propter utilitatem Ecclesiæ alienæ, *conc. Ecclesiæ Capituli, nego.* Itaque textus loquitur de duobus Canonicis, qui sunt in servitio Episcopi, ad utilitatem Ecclesiarum alienarum, licèt in Dioecesi existentium.

*Quæres 10<sup>o</sup>.* *Quomodò Horæ sunt recitandæ?*

*Resp.* Hunc modum dat Caput, Dolentes, de celeb. Miss. his verbis: *Districte præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut divinum Officium,*



*nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebretur pariter & devotè.*

Quæres 11°. *Quanam requirantur ut Horæ recitentur studiosè?*

*Resp.* Quinque: 1°. ut in debito recitentur Breviario; 2°. ut omnia distinctè proferantur; 3°. ut recitentur debito tempore; 4°. ut recitentur ordine præscripto, 5°. ut recitentur sine interruptione.

Quæres 12°. *Quo, obligati ad Horas, uti debent Breviario?*

*Resp.* Tenentur uti Breviario Romano, jussu Pii V. edito, ut patet ex Constitutionibus Pii V. & Clementis VIII. quæ initio Breviarii reperiuntur. Excipiuntur tamen Diœceses, Capitula, & Ordines, quorum Officia approbata sunt à summo Pontifice, aut qui à 200. & eò amplius annis ante hanc Bullam habebant Breviarium particulare; quibus tamen permittitur, ex Episcopi, aut Capituli consensu, assumere Romanum. Hic

*Nota.* Qui utuntur Breviario Romano, non obligantur, extra Chorum, ad Officium B. M. Virginis, vel Defunctorum, vel Psalmos Pœnitentiales aut Graduales, diebus in Rubricis præscriptis, ut declaravit Pius V. Tenentur tamen ad Litanias diebus sancti Marci & Rogationum, & ad Officium Defunctorum die 2â. Novembris, quia sunt pars Officii, iis diebus recitandi, ut patet ex communi Ecclesiæ praxi.

*Resolv.* Mortaliter peccat, qui scienter Officium proprium diei mutat in aliud, licet æquè longum, imò longius; quia Ecclesia non præcipit Officium in genere, sed hoc Officium in

individuo ; undè Beneficiatus , qui hunc ritum mutat , tenetur ad restitutionem , quia non satisfacit præcepto , juxta definitionem Alex. VII. in damnatione hujus prop. *In die Palmarum recitans Officium Paschale , satisfacit præcepto.*

*Dices :* Legere unam Missam pro aliâ , non est peccatum ; ergo nec legere unum Officium pro alio.

*Resp. nego conseq.* Quia non eadem est obligatio legendi Missam , ac legendi Horas ; Ecclesia enim sicut liberum relinquit legere vel non legere Missam , ita certis quibusdam diebus , hanc vel illam Missam pro devotione legere , quæ non est pro Officio , uti docet piorum consuetudo.

*Inst.* Qualitas vel quantitas Officii , non magis est de substantiâ Officii , quàm qualitas vel quantitas Missæ ; atqui in Die palmarum audiens Missam *de Requiem* , vel de resurrectione , æquè satisfacit præcepto de audiendâ Missâ , quàm audiens Missam de illâ Dominicâ ; ergo.

*Resp. nego maj.* Quia Ecclesia præcipit audiri Missam præcisè ; econtra præcipit recitari Officium illud , quoad qualitatem & quantitatem , quantum & quale pro quolibet die præscribitur in Breviario.

*Dixi , scienter :* Quia qui ex inadvertentiâ inculpabili mutavit Officium , non tenetur ad alterius Officii recitationem ; sed tenetur id quod tali festo peculiare fuit , repetere ; v. g. Lectiones , Responsoria , Orationes , Capitula , &c. modò errorem advertat ante lapsum diei , quia obligatio Horarum est affixa diei. Quòd si errorem detegat elapso die , non tenetur Officium

omissum substituere in locum Officii jam recitati, sive in Choro, sive privatim recitet, ait Tournely, de Offic. div. p. 2. sed tenetur repetere Officium quod jam persolvit: tum quia obligatio recitandi Officii omitti transit cum die; tum quia primus error non dat jus invertendi ordinem Officiorum Breviarii.

Quæres 13°. *Quid requiritur ut Horæ distinctè proferantur?*

*Resp.* Requiritur 1°. ut verba non omittantur, nec syllabæ abscendantur, sed *recitentur sine syn-copâ*, ait glossa, in cap. dolentes; ita ut, si quis verba omittat in notabili quantitate, peccet mortaliter, cum violet præceptum in re gravi, & teneatur ad restitutionem, si sit beneficiatus. Hinc obligationi suæ non satisfaciunt, qui ita cum sociis festinanter recitant, ut nondum expletis versiculis à sociis, versiculos sequentes recitare incipiant; quia pars, quæ anticipatè dicitur, non communicatur cum sociis, qui eam audire nequeunt.

Requiritur 2°. ut Officium recitetur voce per se audibili, ita ut secluso impedimento, vel læsione sensûs, recitans possit seipsum audire; hoc enim necessarium videtur ad orationem vocalem; Horæ autem sunt orationes vocales.

Quæres 14°. *Quo tempore debent Horæ recitari?*

*Resp.* 1°. Ad vitandum peccatum mortale, tempus recitandi Horas incipit à mediâ nocte usque ad alteram mediam noctem, excepto Matutino, ut dicemus infra. 2°. Ad vitandum peccatum veniale servari debet consuetudo legitime introducta; sicut enim consuetudo vim habet inducendæ legis, ita etiam illius mitigandæ.



Quoad Matutinum , potest , cum , vel sine  
Laudibus recitari pridie , ab eo circiter tempore  
quo Sol est propior ad occasum , quàm ad meri-  
diem , juxta tabulam sequentem de tempore in-  
choandi Matutinum pro die sequenti , Romæ  
editam , Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ ,  
nostris horologiis accommodatam.

20 Januarii . . . horâ 2. cum quadrante.

13 Februarii. . . horâ sesqui-secundâ.

1 Martii . . . horâ 2. cum 3. quadr.

18 Martii . . . horâ tertiâ.

4 Aprilis , . . horâ tertiâ , cum quadrante,

20 Aprilis . . . horâ sesqui-tertiâ.

10 Maii . . . horâ 3. cum 3. quadr.

8 Junii . . . horâ quartâ.

30 Julii . . . horâ 3. cum 3. quadr.

28 Augusti , . . horâ sesqui-tertiâ.

7 Septembris. . horâ tertiâ , cum quadrante,

24 Septembris. . horâ tertiâ.

13 Octobris . . . horâ 2. cum 3. quadr.

20 Octobris . . . horâ sesqui-secundâ.

18 Novembris. . horâ 2. cum quadrante.

15 Decembris. . horâ secundâ,

Quæres 15. *Quo ordine Horæ sunt recitandæ?*

*Resp.* Ordo ab Ecclesiâ præceptus , hic est : ut  
recitetur Matutinum ante Laudes , Laudes ante  
Primam , &c. quem ordinem absque justâ causâ  
invertere , peccatum est solum veniale , modò  
absit contemptus. Ratio est , quia præceptum  
observatur quoad substantiam , omnes Horas  
dicendo intra diem naturalem. Imò , nullum est  
peccatum , nec est obligatio repetendi , si talis  
inversio fuit per oblivionem , inadvertentiam ,  
vel ex justâ causâ ( ut si quis ab ægro invitetur

ad recitandas secùm Vesperas, cùm necdùm Nonam persolverit; ) nam cùm hic ordo non pertineat ad substantiam Officii, sed tantùm ad modum, censetur Ecclesia permittere eum mutari, cum adest rationabilis causa.

*Utrum* autem sit mortale dicere Missam ante Matutinum & Laudes . . . *Resp. negat.* quia recitans Primam ante Matutinum non peccat mortaliter; ergo nec celebrans Missam ante Matutinum, cum majorem habeat connexionem Prima cum Matutino, quàm Matutinum cum Missâ; est ergo solùm veniale: imò nullum est peccatum, si fiat ex justâ causâ, ait Lessius l. 2. c. 37. n. 81, quia quod fit ex justâ causâ, fit prudenter; ergo fit sine peccato.

Non obstat Rubrica missalis; quia non est præceptiva, sed tantùm directiva, nec est recepta sub mortali, ut ait Bonac. hîc.

*Nota:* Ad vitandos scrupulos, Julius III. concessit Patribus Societatis privilegium (cui communicant omnes mendicantes) postponendi Matutinum celebrationi Missæ, *ex legitimis & justis causis*, Bullâ, *Sacræ.*

Quæres 16°. *An est mortale, Divinum Officium interrumpere?*

*Resp.* Interruptio Officii, facta sine causâ, quantacumque sit, est solùm venialis, quia hic defectus non est in substantiâ, sed solùm in modo accidentariq., cùm omnes Psalmi, Lectiones, &c. per se suam habeant completam significationem. Quòd si subsit justa causa, v. g. si Superioris præceptum, vel charitas, urgeat ad aliquid faciendum, quod commodè differri nequeat, tunc nullum peccatum erit, nullaque

obligatio repetendi ; si tamen hoc prævisum fuerit , interruptio vitanda est , anticipando , vel differendo , si fieri possit , ait Henricus à S. Ignatio , hìc.

Quæres 17<sup>o</sup>. *Quid requiratur ut Horæ devotè recitentur ?*

*Resp.* Requiruntur duo. 1<sup>o</sup>. *intentio* recitandi Horas , & Deum orandi , non quidem actualis & explicita , sed virtualis & interpretativa , qualem habet , qui ut suæ obligationi satisfaciat , assumit Breviarium , vel debito tempore ad Chorum convenit ad recitandum Officium. Ratio est , quia recitatio externa Officii est indifferens , ut sit oratio , vel studium ; ergo ab intentione orandi debet determinari , ut sit oratio qualis præcipitur.

2<sup>o</sup>. Requiritur *attentio* sive illa sit ad verba , quatenus continent laudes Dei , sive ad sensum verborum , sive ad Deum. Ratio est , quia Ecclesia præcipit recitationem Officii , tanquam actum orationis Deo gratum ; atqui oratio non est Deo grata absque attentione internâ ut patet ex illâ Christi reprehensione : *Populus hic labiis me honorat , cor autem eorum longè est à me.* Math. 15. Undè Clerus Gallicanus , *ut absonam verbo Dei contrariam damnavit hanc prop. Præcepto satisfacit , qui voluntariè labiis tantùm , non autem mente orat.*

*Dices* 1<sup>o</sup>. D. Antonin. 3. parte tit. 13. q. 7. ista explicans verba capitis dolentes , de celebrat. Missæ. *Quantùm eis Deus dederit , studiosè celebrent pariter & devotè , dicit Ecclesiam ibi apponere consilium fragilitati humanæ , quasi dicat , præcipimus quòd unusquisque de die ac nocte di-*



*eat, Horas suas : attentionem verò & devotionem in præcepto non ponimus, sed gratiæ Dei, secundum quod dare voluerit, duximus relinquendum; ergo.*

*Resp. dist. conseq.* Non requiritur attentio actualis, *conc.* virtualis, *nego conseq.* D. itaque Anton. agit, loco objecto, contra nimis rigidè tenentes, Ecclesiam absolutè præcipere devotionem actualem: contra quos docet, quòd, cum tanta sit humanæ mentis infirmitas, ut non possit per totum Officium, actualem continuare devotionem, Ecclesia non præcipiat devotionem actualem, nisi cum hoc addito, *Quantum eis dederit*, vetans ne quis gratiæ divinæ ponat obicem, per voluntarias mentis distractiones. Undè D. Antonin. in Confessionali, 3. p. interrogatorii, cap. 11. de Clericis in communi ait: *Si dicendo Horas . . . mente circa alia vagatur voluntariè, non curans, & sic per totum Officium, videtur mortale; secus si proponit velle attendere, & distrahitur, & cum advertit, displicet ei.*

*Dices 2º.* Attentio non est de substantiâ orationis vocalis; atqui Ecclesia solùm præcipit orationem vocalem; ergo.

*Prob. maj.* Ad substantiam orationis vocalis, sufficit pronuntiatio verborum, procedens ex formali, aut virtuali intentione laudandi Deum; atqui illa intentio potest esse absque attentione; ergo.

*Prob. min.* Intentio & attentio sunt actus diversarum potentiarum; nimirum intentio est actus voluntatis, sibi finem præfigentis; attentio verò, est actus intellectûs, quo quis advertit ad id quod agitur; ergo.

*Resp. nego conseq.* Oportet enim quòd voluntas ab intellectu dirigatur, quòdque proinde intentionis & devotionis causa, sit attentio, seu *consideratio . . . divinæ bonitatis & beneficiorum ejus . . . & hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa*, ait D. Thom. 2. 2. q. 82. art. 3.

*Inst.* Attentio est oratio mentalis; atqui oratio mentalis non potest esse de substantiâ orationis vocalis; ergo.

*Prob. min.* Oratio vocalis & oratio mentalis sunt duæ species; atqui una species, non potest esse de substantiâ alteriûs speciei; ergo.

*Resp. nego maj.* Est enim unica species orationis, quæ quatenûs solâ mente funditur, dicitur mentalis: quatenûs verò non solâ mente funditur, sed etiam ore exprimitur, dicitur vocalis. Undè ut oratio vocalis sit vera oratio, & habeat bonitatem moralem, debet necessariò includere mentalem, quæ est velut anima orationis vocalis, per quam habet ut sit bona & meritoria.

Si autem quæras quænam attentio requiratur,

*Nota ante resp.* Triplex est attentio, nimirum actualis, virtualis, & habitualis.

Attentio *actualis*, est ea, quâ quis actu attendit ad sensum verborum, vel ad Deum.

Attentio *virtualis*, est actualis initio orationis concepta, quæ virtualiter permanet, quandiu expressè, vel tacitè non revocatur. . . . Expressè revocatur, dum recitans expressè vult non attendere. . . . Tacitè revocatur, dum recitans se distractum advertit, & nihilominùs non repellit distractionem, nec revocat mentem ad attentionem.

*Attentio habitualis*, vel est facilitas attendendi repetitis actibus comparata, vel est animi dispositio, quâ quis attenderet, si adverteret; his positis.

*Resp.* 1°. *Attentio habitualis non sufficit, quia non vera est attentio, & cum eâ solâ non subsistit oratio.*

2°. *Attentio actualis non est semper necessaria, quia sæpiùs non est in nostrâ potestate.*

3°. *Attentio virtualis requiritur & sufficit; quia cum eâ subsistit oratio & actus humanus.*

*Resolv.* 1°. *Peccat mortaliter, nec præcepto satisfacit, & consequenter tenetur repetere, qui per notabilem Officii partem voluntariè distrahitur; item qui licèt inadvertenter distractus sit, distractioni voluntariam causam dedit; & si sit beneficiatus, tenetur ad restitutionem fructuum perindè ac si Officium non persolvisset.*

*Resolv.* 2°. *Qui initio orationis attentionem actualem habuit, satisfacit præcepto, nec tenetur repetere & restituere, si involuntariè distractus, profecutus est orationem; quia virtualiter attendit.*

Quæres 18°. *Quot sunt causæ excusantes à recitatione Horarum, & restitutione?*

*Resp.* Sunt quatuor. 1°. *legitima Papæ dispensatio, qui dispensare potest, cùm Officium jure Ecclesiastico institutum sit.*

2°. *Gravis infirmitas, qualem habere censetur, qui sine notabili nocumento, vel incremento morbi, Officium legere non potest; in dubio stare potest consilio prudentis & periti medici: si medicus dubitet, petenda est dispensatio Superioris, qui ex usu ubique recepto, dispensare*





potest cum suis inferioribus in dubio de morali impotentiâ recitandi ; quòd videtur necessarium ad tollendas perplexitates. Qui autem per se non potest satisfacere , non tenetur per alium ; hoc enim non præcipitur ab Ecclesiâ. Qui verò non potest recitare solus , sed potest cum socio , ad hoc tenetur ; nam qui obligatur ad finem , obligatur etiam ad usum mediorem faciliè comparabilem.

Hinc febris tertiana , vel quartana non excusat , nisi totâ die , aut potissimâ diei parte , duret ; ratio est , quia censetur levis causa. Est communis.

3°. *Gravis occupatio honesta & necessaria* , quæ , absque gravi sui vel proximi detrimento , tum spiritali , tum corporali , differri non potest , sitque majus bonum , quàm Officii recitatio. Sic si Confessarius totâ die deberet audire Confessiones , quæ differri non possent , vel moribundo necessariò assistere , ex benignâ intentione Ecclesiæ posset à recitatione Horarum excusari ; si tamen hoc impedimentum posset prævenire , teneretur anticipatè Officium recitare ; ita omnes.

4°. *Impotentia* , tum physica , qualis est cæcitas , vel carentia Breviarii ; tum moralis , qualis est justus timor gravis damni , v. g. prodicionis inter Hæreticos.

Qui tamen propter prædictam impotentiam non potest integrum Officium recitare , tenetur ad partem quam potest ; undè Innoc. XI. damnavit hanc prop. *Qui non potest Matutinum & Laudes recitare , potest autem reliquas Horas , ad nihil tenetur.*

## QUÆSTIO SECUNDA.

*De Beneficiis.*

**T**Otam materiam de Beneficiis sex comprehendemus articulis. 1°. Agemus de natura & divisione Beneficiorum. 2°. De variis modis, quibus acquiri possunt. 3°. De his quibus debent conferri. 4°. De dominio & usu bonorum Ecclesiasticorum. 5°. De pluralitate Beneficiorum. 6°. Tandem de obligatione residentiae in loco Beneficii.

## ARTICULUS I.

*De naturâ & divisione Beneficiorum.*

Quæres 1°. **Q**uid sit Beneficium?

*Resp.* Est jus perpetuum, competens Clerico, percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter Officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum.

Dicitur 1°. *Jus perpetuum*: quia ex naturâ suâ est tale, ut perpetuò duret, & dùm uni auferatur, alteri tribuatur: hinc Vicaria & commenda temporalis, item pensio perpetua, non sunt Beneficia, quia prior non habet perpetuitatem; posterior eam non habet ex naturâ suâ, neque enim pensio exigit perpetuitatem.

Dicitur 2°. *Clerico competens*: idest homini tonsurâ Clericali insignito; & per hoc excluduntur à ratione Beneficii bona, quæ laicis propter operam Ecclesiæ præstitam, v. g. ad pulsan- das campanas, tribuuntur; sunt enim merum stipendium.

Dicitur 3°. *Propter Officium spirituale*: nam propter ejusmodi Officium datur Beneficium. cap.

ult. de Rescript. Undè bursæ collegiales, quæ non dantur propter Officium spirituale, sed tanquàm eleemosyna, aut subsidium, non sunt Beneficia.

Dicitur 4<sup>o</sup>. *Auctoritate Ecclesiæ constitutum*: hoc est, Papæ, vel Episcopi; nam ad illos solos pertinet Officia spiritualia instituere, eisque proventus annectere... Hinc Capellanix *non collativæ*, sed à privatis, licèt in perpetuum dotatæ pro Missarum celebratione, non sunt Beneficia, nec conferuntur Canonicâ institutione (Gallicè, *provision*) quæ necessaria est ad conferendas *Capellanas collativas*: consequenter non obligant ad Horarum recitationem. Tamen Capellani eis in perpetuum provisi, earum titulo, tanquàm titulo patrimonii, aut quasi-patrimonii, possunt ordinari, ut docet Garcias de Benefic. p. 1. c. 2.

Quæres 2<sup>o</sup>. *Quomodo dividitur Beneficium?*

*Resp.* Beneficium dividitur 1<sup>o</sup>. in *sæculare*, quod pro Clericis sæcularibus; & *regulare*, quod pro Regularibus, est institutum, nec sæcularibus dari potest, nisi in Commendam.

*Nota.* Omne Beneficium est sæculare, nisi aliud probetur ex institutione, vel per possessionem pacificam 40. annorum, quæ legitimam statuit præscriptionem, cap. cum benef. de præbendis in 6.

2<sup>o</sup>. Dividitur in *simplex*, seu non curatum, & *duplex* seu curatum.

Beneficium simplex est illud, quod ultra obligationem divini Officii, non habet annexam curam animarum, nec præminentiam aut jurisdictionem; talis est Capellania, Canonicatus simplex, &c. Beneficium



Beneficium *duplex*, est illud, quod ultra obligationem divini Officii, habet annexam animarum curam, vel præminentiam. Tales sunt Episcopatus, Parochiatus, Abbatia, Cantorum præfectura, &c.

3°. Dividitur Beneficium duplex, in dignitatem, personatum, & Officium.

*Dignitas*, est Beneficium habens annexam præminentiam, jurisdictionemque Ecclesiasticam in foro externo; tales sunt Episcopatus, Abbatia, Præpositura, Prioratus conventualis, Gardianatus, &c.

*Personatus*, est Beneficium habens annexam præminentiam Ecclesiasticam absque jurisdictione, v. g. Primiceriatus, Lectoratus.

*Officium*, est Beneficium habens administrationem rerum Ecclesiasticarum sine jurisdictione, ut Thesauraria, Cantoria.

4°. Dividitur in titolare & commendatum.

*Titulare*, est illud, quod cum plenitudine juris, confertur juxta ejus foundationem.

*Commendatum*, est illud, quod solius administrationis, aut custodiæ gratiâ traditur. Si tradatur ad vitam, æquivalet Beneficio in titulum dato.

## ARTICULUS II.

*De variis modis, seu titulis, Beneficium acquirendi.*

Quæres 1°. *AN necessariò requiratur titulus ad acquirendum Beneficium?*

*Resp.* Ita necessariò requiritur titulus, ut qui malâ fide absque titulo invadit Beneficium, non solum illud amittat, sed insuper fiat inhabilis ad illud postea obtinendum, prout definivit Alexander III. cap. ad aures, de excessibus prælator.

Dixi, *Malâ fide*: si enim bonâ fide, absque titulo legitimo, Beneficium obtinuit, potest illud retinere in utroque foro, ut statuitur in Clement. de sequest. quæ ad hanc retentionem requirit, ut Beneficium fuerit obtentum. 1°. *Absque simoniaco ingressu*. 2°. Cum titulo colorato, ex *ordinariâ collatione, aut electione*. 3°. Quòd Beneficiarius *per triennium pacificè possederit* 4°. Quòd aliundè, ad illud, ipso jure non fuerit inhabilis, v. g. propter censuram aliquam, quam ante Beneficii adeptionem incurrerit. Ita statuit regula Cancellariæ, de triennali possessione.

Quæres 2°. *Quot sunt tituli, quibus Beneficia acquiruntur?*

*Resp.* Sunt septem nimirum, 1°. Collatio libera, 2°. Præsentatio & subsequa institutio, 3°. Electio & subsequa confirmatio, 4°. Postulatio & subsequa admissio, 5°. Resignatio acceptata in favorem, 6°. Permutatio approbata, 7°. Subrogatio: de quibus multa quærentur distinctis paragraphis, quibus addemus appendicem de pensionibus.

### §. I. *De collatione liberâ.*

Quæres 1°. *Quid sit collatio libera?*

*Resp.* Est *attributio beneficii, facta à Prælato, jure pleno, atque independenti à jure Patronatûs, Graduatorum, &c.*

Dicitur 1°. *Attributio*, id est, concessio juris in re.

Dicitur 2°. *Libera*, ut distinguatur ab institutione & confirmatione, quæ sunt quidem collationes, sed non liberæ, cum Prælatus debeat conferre beneficium præsentato, & electo.

Quæres 2°. *Quibus competit jus collationis beneficiorum?*

*Resp.* Competit cuilibet Episcopo in suâ Diœcesi, nisi ex fundatione beneficii, aut legitimâ præscriptione hoc jus alteri competat, v. g. Capitulo, Decano, Abbati, vel alteri Ecclesiastico.

*Resp.* 2°. Papæ etiam competit per se, tanquàm supremo & universali omnium beneficiorum, non patronatorum, collatori.

Quæres 3°. *Quot modis Papa confert beneficia?*

*Resp.* Quinque modis.

1°. *Jure præventionis*; quando scilicèt alicuî confert gratiam expectativam ad primum beneficium, non patronatum, vacaturum. cap. dudum, de præbend. in 6.

2°. *Jure reservationis*: quando scilicèt aliqua beneficia reservat in favorem aliquorum; talia sunt beneficia reservata in favorem Graduatorum, qui in Galliâ, vi Concordati inter Leonem X. & Franciscum I. habent jus obtinendi quælibet beneficia, non patronata, vacantia quatuor annis mensibus, nempe Januario, Aprili, Julio, & Octobri

3°. *Jure concursûs*: quatenus scilicèt Papa cum quolibet alio collatore concurrere potest, si velit; necesse tamen est, ut in hoc casu conferat beneficium ante Ordinarium, alioquin collatio Ordinarii erit valida; *argumento cap.* Si eo tempore, *de elect. in 6.* Ubi nota, quod Papa nunquàm, vel rarò utatur jure præventionis & concursûs, ut vitentur confusiones & lites quæ indè oriri possunt; verùm sibi, in multis Ecclesiis, certos reservat in anno menses, reliquis Episcopo, vel Patrono relictis.

E c ij



4°. *Jure devoluti* : quando scilicet quis à summo Pontifice impetrat sibi beneficium transferri, ob possidentis Canonicam inhabilitatem ; v. g. ob simoniam conventionalem, vel confidentiæ, ob crimen falsi, sodomix, &c. Jus enim conferendi illud beneficium, quod ipso facto vacat, devolvitur ad Papam.

5°. *Jure devolutionis*, quando nimirum quis à summo Pontif. impetrat sibi conferri beneficium ob negligentiam inferioris collatoris, qui intra tempus sibi concessum ; beneficium non contulit. Tunc enim jus collationis devolvitur ad Papam : quod idem jus devolvitur ad Episcopum, quando inferiores collatores, v. g. Capitulum, Decanus, &c. sunt negligentes.

§. II. *De præsentatione, & subsequâ institutione.*

Quæres 1°. *Quid est præsentatio?*

*Resp.* Est exhibitio personæ idoneæ, à Patrono factæ Prælato, ut ipsi beneficium vacans conferat per institutionem. Patronus enim præsentato tantum jus ad rem confert, jus autem in re, & ipsa collatio beneficii, per institutionem datur.

Quæres 2°. *Quid est jus patronatûs, & quod duplex?*

*Resp.* 1°. Est potestas præsentandi Clericum ad beneficium vacans, sive per mortem, sive per resignationem.

*Resp.* 2°. Duplex est, nempe jus patronatûs Ecclesiastici, & jus patronatûs Laïci.

Jus patronatûs Ecclesiastici, est illud quod à personâ Ecclesiasticâ de bonis Ecclesiæ fundatum est. Undè solis Ecclesiasticis competit.

Jus patronatûs Laïci, est illud quod à Laïco,

vel à Clerico de bonis patrimonialibus, est fundamentum. Undè Laïco, vel Clerico competit, ipsifque acquiritur fundatione beneficii, juxta illud: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*

Quæres 3<sup>o</sup>. *Quid habent commune beneficia, tum Ecclesiastici, tum Laïci patronatûs?*

*Resp. sequentia*: 1<sup>o</sup>. Quòd nullus Patronus seipsum præsentare possit, cap. per nostras, de jure patron. potest tamen præsentare filium, si idoneus sit; Episcopus etiam posset ipsi, motu proprio conferre beneficium, modò ipse consentiat, ibid. . . . 2<sup>o</sup>. Quòd si duo ejusdem beneficii, Patroni, de præsentatione inter se non conveniant, Episcopus cuilibet voluerit è duobus nominatis illud conferre possit.

Quæres 4<sup>o</sup>. *Quid habeant singulare beneficia Patronatûs utriusque?*

*Resp. sequentia* 1<sup>o</sup>. Quòd Patrono laïco ad præsentationem concedantur tantùm quatuor menses à die vacationis beneficii; sex verò Patrono Ecclesiastico; si intra id tempus Patronus non præsentaverit, Episcopus, pleno jure, cuilibet illud conferre potest, cap. 3. de jure patron.

2<sup>o</sup>. Si Patronus laïcus duos successivè præsentet ante institutionem, tunc potest Episcopus alterutrum pro arbitrio instituere; si Patronus sit Ecclesiasticus, tunc prior tempore, potior est jure. Cap. cum autem, de jure patron.

3<sup>o</sup>. Patronus Ecclesiasticus variare non potest, undè si indignum nominavit, jure suo, pro hac vice excidit, & Collator beneficium pleno jure conferre potest cuilibet digno; econtrà Patronus laïcus variare potest, undè si præ-

sentaverit indignum, potest & jubetur alterum dignum præsentare. Ita glossa, in cap. cum vos, de officio ordinarii.

4°. Beneficium Patronatûs laïci, resignari, aut permutari non potest, nec pensione gravari, absque Patroni consensu; benè quidem beneficium Patronatûs Ecclesiastici. Ita glossa, in Clem. unic. de rerum permut.

5°. Quòd beneficium laïci Patronatûs, non sit obnoxium præventioni Papæ, nec juri Indultariorum, aut graduatorum, aut gratiarum expectatarum; benè quidem beneficium Patronatûs Ecclesiastici.

*Nota.* Ad præsentationem accedit nominatio, quâ Principes, ex indulto summi Pontificis, nominant promovendos ad Prælaturas, vel dignitates Ecclesiasticas in terris sibi subiectis. Item & Universitates ad quædam beneficia vacantia, vel vacatura, de quibus vide Garciam, Rebuffum, &c.

### §. III. De electione, & subsequâ confirmatione.

Quæres 1°. Quid est electio?

*Resp.* Est personæ eligibilis, præ aliis, assumptio ad beneficium vacans. Per eam acquiritur jus ad beneficium, nam jus in beneficio obtinetur solâ confirmatione, quam electus, secluso impedimento, intra tres menses à notitiâ electionis acceptatæ, petere tenetur, aliàs electio est irrita. Cap. 6. de electione, in 6.

Confirmatio, est concessio juris in beneficio, facta à Superiore, ei qui electus est.

Quæres 2°. Quotuplici modo fieri potest electio?

*Resp.* Triplici. 1°. Per scrutinium, cùm qui-



libet eligentium suffragium suum secretò tradit. 2<sup>o</sup>. Per compromissum, cùm eligendi potestas in unum, vel plures, communi electorum consensu, transfertur. 3<sup>o</sup>. Per inspirationem, cùm electores, subito quodam motu, in unum communiter consentiunt. Ita Conc. Later. IV. c. 24.

Quæres 3<sup>o</sup>. *Quot requiruntur ad validam electionem?*

*Resp. Quatuor:* 1<sup>o</sup>. Ut omnes, qui jus eligendi habent, ritè vocentur; non obstat tamen, si aliquis vocatus non uerit, vel non potuerit venire. Cap. 28. de elect.

2<sup>o</sup>. Ut intra trimestre, à die vacationis beneficii, fiat electio, nisi adsit legitimum impedimentum. Cap. 1. de elect.

3<sup>o</sup>. Ut electores sint saltem Subdiaconi, si agatur de electione virorum, nisi speciali privilegio aliud concessum sit. Trid. sess. 22. cap. 4.

4<sup>o</sup>. Ut electorum pars major consentiat. Conc. Later. IV. c. 24.

#### §. IV. *De postulatione, & subsequâ admissione.*

Quæres: *Quid est postulatio?*

*Resp.* Est obsecratio ab electoribus facta Superiori, ut ad beneficium vacans admittere velit aliquem, qui alias eligi non poterat ob impedimentum Canonicum. Sic illegitimus, bigamus, junior, &c. postulari quidem possunt, sed non eligi; cap. cum cunctis, de elect.

*Nota:* Nullum jus dat postulatio ante admissionem & confirmationem.

#### §. V. *De Resignatione.*

Quæres 1<sup>o</sup>. *Quid sit regnatio?*

*Resp.* Est spontanea sui beneficii dimissio ; facta coram legitimo Superiore eam acceptante.

Dicitur 1°. Spontanea ; hoc est , nec metu injusto , nec vi , nec dolo extorta , alioquì est nulla , vel certè annullanda , cap. 5. de renunt.

Dicitur 2°. Coram legitimo Superiore : scilicèt Papâ , vel altero Collatore ordinario.

Dicitur 3°. Eam acceptante : si enim non admittatur à Superiore , resignans non perdit jus suum , cap. ult. de renunt.

Quæres 2°. Quotuplex sit resignatio ?

*Resp.* Duplex , nempè simplex , & conditionata.

Simplex , est ea quæ fit sine conditione & pacto. Cap. Tua nos , de Simoniâ. Conditionata , est ea quæ fit cum pensionis reservatione ; vel , eâ conditione , ut personæ designatæ conferatur beneficium , & dicitur resignatio in favorem.

Quæres 3°. Quodnam discrimen est inter simplicem & conditionatam resignationem ?

*Resp.* Discrimen est 1°. quòd simplex ab Ordinario collatore admitti possit ; conditionata verò à solo Papâ , cum in eâ versetur simonia , quam Ordinarius purgare non potest , cap. ex parte de offic. delegati.

2°. Quòd in resignatione simplici , Ordinarius possit conferre beneficium cui libuerit. Potest tamen sic resignans , sine simoniæ labe , rogare Ordinarium ut conferat tali ; verùm non tenetur Ordinarius ei conferre pro quo rogatum est. cap. Tua nos. Econtrà , in resignatione conditionatâ , Papa debet conferre beneficium illi , in cujus favorem facta est , alioquì provisio erit nulla , quia fieret sine beneficii vacatione , cap. unico , de rerum permut.

3°. Quòd simpliciter resignans, omni jure beneficii spoliatur; econtrà resignans conditionatè, possessionem retinet donec impleta sit conditio, ratione illius clausulæ, *non aliter, nec aliàs*: undè si resignatarius non acceptet, resignans remanebit in suo beneficio.

Prætereà, ut resignatio in favorem sit valida, requiritur 1°. ut resignans in infirmitate, supervivat 20. dies post resignationem; alioquin censetur beneficium vacare per obitum, non per resignationem, & proindè omnis collatio, ex vi talis resignationis facta, erit irrita. Ita reg. de infirmis.

2°. Ut resignatio intra sex menses, à die supplicationis datæ, & non à die præstiti consensûs, ut declaravit Paul. III. an. 1540. computandos, publicetur in loco beneficii, si resignatio fiat in Curiâ Romanâ, intra mensem verò, si fiat extra Curiâ: alioquin, si contingat resignantem mori antequam resignatarius cœperit possessionem, beneficium censetur vacare per obitum, & collatio facta resolvetur: ita habet regula, de publicandis, quam Rebuffus explicat, & asserit hanc regulam esse receptam, & tanquam legem Regni Franciæ, publicatam, & in Curiâ Parlamenti registratam an. 1493. die 27. Augusti.

3°. Requiritur consensus Patroni, si beneficium sit Patronatûs laici.

#### §. VI. De permutatione.

Quæres 1°. Quid sit permutatio?

Resp. Est beneficii ad aliud beneficium, facta mutua præstatio, ab Ordinario admissa.

Quæres 2°. Quenam requirantur ad validitatem permutationis?



*Resp.* 1°. Eadem quæ requiruntur ad resignationem *in favorem*.

*Resp.* 2°. Sequentia insuper requiruntur. 1°. Si compermutanda beneficia in diversis Diocæsi-  
bus sita sint, requiritur auctoritas utriusque Epif-  
copi. 2°. Requiritur ut spiritualia cum spiritua-  
libus permutentur, & jus in re cum jure in re,  
nec enim valet permutatio nominationis ad be-  
neficium, cum beneficio: cap. fin. de rerum  
permut. 3°. Non potest fieri permutatio cum  
jure spirituali alterius generis: undè non possunt  
permutari decimæ, vel jus patronatûs cum be-  
neficio; Rebuff. in cap. final. suprâ.

Quæres 3°. *Quid sit regressus?*

*Resp.* Est jus resumendi beneficium resigna-  
tum, aut permutatum, etiam post admissam à  
Prælato resignationem, aut permutationem.

Quæres 4°. *An regressus sit licitus?*

*Resp.* Licèt jus regressus sacris Canonibus à  
Conc. Trid. Sess. 25. de ref. confirmatis, sit  
contrarium, vim tamen & robur habet in Gal-  
liâ in sequentibus casibus.

1°. Si quis in gravi infirmitate constitutus,  
resignavit, datur ei regressus post recuperatam  
valetudinem sine novâ collatione, dicto an. 1638.  
art. 20. Multa arresta huic juri conformia refert  
D. Brillon, V. Regrès, num 24.

2°. Si, mutuâ permutatione factâ, beneficium  
deprehendatur litigiosum, qui illud resignavit,  
debet litem prosequi, & si evictum fuerit, alter  
redibit ad suum, sine novâ provisione, cap. Si  
Beneficia, de præb. in 6. non tamen citra Judi-  
cis Regii (ut in aliis casibus) declarationem.

3°. Si propter criminis capitalis accusatio-

sem, cuius successus erat incertus, resignavit beneficium, illud repetendi jus habet, postquam evasit condemnationis sententiam. Pontas, V. Regrès.

4°. Conceditur regressus, si contingat unum ex permutatis beneficiis, vel novâ pensione onerari, vel etiam veteri pensione, modò permutans, quando permutavit, id ignoraverit, Arrest. an. 1565. 7. Decemb.

5°. Si resignatarius conventam & à Papâ approbatam pensionem, non solvat, ut probat Pontas, V. Regrès, citans Mendos. Azorium, Cabasiut, &c.

6°. Datur regressus, si in permutatione, aut resignatione intercessit vis, metus, fraus, dolus, &c. quia *fraus & dolus nulli patrocinari debent*, ut ait Alexander III.

### §. VII. De subrogatione.

Quæres 1°. *Quid sit subrogatio?*

*Resp.* Est *unius vocatio in jus & locum alterius*. Solummodò locum habet inter duos de beneficio litigantes, quorum si unus, lite pendente, è vivis excedat, superstes in jus & locum ipsius sufficitur. Quod ideò statutum est, ut lites inter Clericos tandem finiantur.

Quæres 2°. *Quomodò obtinetur subrogatio?*

*Resp.* Juxta jus novum, à Ludovico XIV. institutum, obtinetur per solam simplicem petitionem factam Judici, cum attestatione exhibitâ de obitu collitigantis.

Quæres 3°. *Quale est jus acquisitum per subrogationem?*

*Resp.* Est ita firmum, ut licèt mortuus colli-

tigans jus suum tertio concessisset, & post mortem ejus, iste tertius beneficium impetrasset, provisio istius tertii, ipso jure irrita foret.

## A P P E N D I X.

### *De Pensionibus.*

Quæres 1<sup>o</sup>. *Q*uid sit pensio clericalis?

*Resp.* Est jus percipiendi fructus ex alterius beneficio. Quo jure, utpotè juri communi contrario, nullus uti potest absque Papæ auctoritate, & institutione, ut definivit Conc. Rothomag. tit. de Episcop. officiis, num 20.

Quæres 2<sup>o</sup>. *In quibus casibus creari possunt pensiones?*

*Resp.* In tribus: 1<sup>o</sup>. Ut tollatur beneficiorum magna inæqualitas in permutatione faciendâ. 2<sup>o</sup>. Ut lis, inter duos de beneficio collitigantes, componatur. 3<sup>o</sup>. Ut indigenti Sacerdoti, qui beneficio inservivit, subveniatur; ita fuit statutum in Comitibus generalibus Cleri Gallicani an. 1598. & edictis Ludovici XIII. an. 1629. & Ludovici XIV. an. 1671.

Quæres 3<sup>o</sup>. *Quot requiruntur conditiones, ut pensio licitè obtineatur?*

*Resp.* Quatuor: 1<sup>a</sup>. Ut Pensionarius egeat, nec aliundè ad suam honestam sustentationem, necessaria habere possit, ut probat Pontas, v. Pension, cas 4.

2<sup>a</sup>. Quòd, si agatur de beneficio quod residentiam postulat, Pensionarius per quindecim annos ipsi inservierit, ipsique, propter gravem infirmitatem, amplius inservire non possit. Ita habet edictum Ludovici XIV. suprâ citatum; nisi aliud æquitas postulet.



3<sup>a</sup>. Quòd pensio tertiam partem fructuum non excedat. Undè Papa admittens resignationem cum pensione, semper apponit hanc conditionem: *Modò tertiam partem fructuum non excedat; aliàs præsens gratia nulla sit eo ipso*: quamvis Papa ob justam causam possit majorem constituere.

4<sup>a</sup>. Quòd Titulario supersint ad vicium & vestitum moderatum sufficientia, cap. de Monachis, & cap. cum causam, de præbendis.

### ARTICULUS III.

*De his, quibus Beneficia debent conferri.*

Quæres 1<sup>o</sup>. *Quinam sunt incapaces beneficii possidendi?*

*Resp.* Sequentes ita sunt incapaces, ut eorum electio, nominatio, collatio, sit ipso jure nulla & irrita.

1<sup>o</sup>. Qui non receperunt primam Tonsuram, cap. 6. de transactionib.

2<sup>o</sup>. Qui non habet Ordinem sacrum, quem beneficium, ex suâ institutione, requirit; cap. 22. de elect. in 6. Ex consuetudine tamen satis est, si intra annum suscipiatur is ordo, sed non debet ultrà differri. Trid. sess. 22. cap. 4. Quod si ultrà differat nominatus, nisi justo impedimento detentus fuerit, beneficio illo privatur ipso facto, cap. 35. de elect. in 6.

Qui verò acceptat Parochiam sine animo recipiendi Sacerdotium intra annum, peccat mortaliter & tenetur restituere fructus, etiam ante omnem sententiam, nisi mutatâ voluntate illud recipiat, ibidem.

3<sup>o</sup>. Qui non habet ætatem idoneam, cap. 7.

de elect. Hæc autem varia est pro varietate beneficiorum. Nam.

Ad Episcopatum requiruntur 33. anni , capit. In Galliâ sufficit annus 27 inchoatus , juxta concord. inter Leonem X. & Franciscum I.

Ad Abbatias , dignitates cum curâ , & Parochias annus 25 inchoatus. Ibid. & Trid. sess. 24. cap. 12.

Ad dignitates sine curâ , sufficit annus 22 completus. Trid. ibidem.

Ad beneficia simplicia , ut sunt Capellaniz , annus 14 inchoatus. Trid. sess. 23. cap. 6.

Ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis , jure novo Trid. requiruntur anni 21 , quia annexum habet Subdiaconatum ; ex consuetudine tamen datur habenti tantum annos 14.

4°. Qui est conjugatus , cap. 1. 2. 8. de Cleric. conjug. Si Clericus minorum Ordinum habens beneficium , contrahat matrimonium , ipso jure illud amittit , cap. 2. eod. tit. quia suscipit statum incompatibilem. Si sit Clericus sacrorum Ordinum , non amittit ipso facto beneficium , cap. 1. cit. quia matrimonium est irritum ; sed eo est privandus , ibid. & glossa communiter recepta.

5°. Qui est aliquâ censurâ , vel irregularitate irretitus , cap. 7. de Cleric. excom. Ab illegitimitate potest Episcopus dispensare ad Tonsuram , minores Ordines & beneficium simplex , cap. 1. de filiis Presbyterorum : sed ad Ordines majores . beneficia cum curâ , & alia quæ requirunt Ordinem sacrum ( qualia sunt Canonicatus post Trid. ) solus Papa dispensare potest.

Quæres 2°. *Quodnam est peccatum conferre beneficium indigno ?*

*Nota* : Indignus est, is qui ad Officium debite præstandum, est ineptus ratione pravæ vitæ, vel putatur non futurus utilis Ecclesiæ; nec satisfac-turus Officio.

*Resp.* Est mortale quodvis beneficium, etiam simplex, conferre indigno, eumve præsentare, aut eligere.

Ratio est, quia *beneficium datur propter Offi-cium*: ergo qui ineptus est ad Officium præstan-dum, arcendus est à beneficio. Undè Concil. generale IV. præcipit, (Collatoribus & Patronis sub pœnâ suspensionis à conferendis beneficiis) *ut prætermis-sis indignis idoneos assumant, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere fa-mulatum*, refertur cap. Grave, de præb.

Quæres 3<sup>o</sup>. *Utrum ad quodlibet beneficium, simplex aut duplex, curatum, vel non curatum digniores sub mortali sint promovendi, præter-mis-sis minùs dignis?*

*Resp. affirm. & prob.* quoad beneficia curata.

1<sup>o</sup>. Ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de ref. hortante omnes Collatores, Patronos, Electo-res, *ut imprimis meminerint eos, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos di-gniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint*; ergo.

Nec refert, quòd Conc. ibi loquatur tantùm de Episcopatibus; idem quippè statuit cap. 18. de Parochiis, præcipiens ut Parochiæ dentur dignioribus, & dicit Patronum teneri dignio-rem ad eas præsentare.

Nec comparativum *digniores*, quo utitur Trid. *pro positivo* sumitur, cùm hæc insulsa interpre-tatio rejecta sit ab Innoc. XI. in damnat prop. 47.



*Prob. 2.º. ratione.* In re gravi fidem debitam violare, & accipere personas, Jac. 2. est peccatum mortale; sed qui eligunt minùs dignos, relictis dignioribus, fidem quam Ecclesiæ debent, violant, & accipiunt personas in re gravi; ergo.

*Prob. quoad beneficia non curata.*

1.º. Ex S. Thomâ, & S. Antonino, à quorum doctrinâ recedere in moralibus omninò periculosum est.

S. Thomas, de omnibus beneficiis sermonem faciens, ait: *Quantùm ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione, ob bonum commune*, 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. D. Antoninus, 3. p. tit. 15. cap. 1. §. 3. differens de puero, cui simplex beneficium fuit collatum, ait: *Jure divino illicitum est dare talia beneficia talibus, nisi quando alii non inveniuntur; quia contra justitiam distributivam est, si detur minùs digno . . . undè, contempto meliore, sanctiore, justiore, dare alteri, est grave peccatum*; ergo.

*Prob. 2.º. ratione:* Tùm quia agere contra mentem Fundatorum, est peccatum mortale; sed qui eligit minùs dignum, relicto digniori, agit contra mentem Fundatorum, cùm eorum intentio sit, ut beneficia dignioribus conferantur; ergo. Tùm quia committitur acceptio personarum in beneficiis, si non dentur dignioribus, ut suprâ dictum est; ergo.

Quæres 4.º. *Utrùm, prætermisiss dignioribus, liceat interdùm conferre beneficium simplex dignis?*

*Resp.* In quibusdam casibus licitum est, juxta mentem interpretatam Fundatorum: nimirum

1.º. Cùm

1°. Cùm id postulat charitas, ut si Clericus non possit inopiâ levâri, nisi per beneficium simplex.

2°. Cùm id postulat majus bonum Ecclesiæ, v. g. ut digniores reserventur pro beneficiis curatis; vel ut Pastor minùs idoneus à curâ animarum amoveatur.

3°. Cùm Patronus præsentat dignum, huic debet conferri, etsi sint alii magis idonei. Cap. Monasterium, causâ 16. q. 7.

## ARTICULUS IV.

*De Bonorum Ecclesiasticorum usu & dominio.*

*Nota.* **B**eneficiarii sæculares tria genera bonorum habere possunt, nimirum patrimonialia, quasi patrimonialia, & merè Ecclesiastica.

*Patrimonialia*, sunt ea, quæ Clericis obveniunt ex donatione, Patris successione, propriâ industriâ, vel quovis alio titulo civili.

*Quasi-patrimonialia*, sunt ea, quæ Clericis obveniunt, non tanquàm fructus beneficiorum, sed ut stipendia quædam pro functionibus Ecclesiasticis, v. g. pro cantu, celebratione Missarum, &c.

*Merè Ecclesiastica*, sunt ea, quæ Clericis obveniunt, ex puro titulo beneficii.

*Certum est* 1°. Ecclesiasticos posse pro libitu disponere de bonis patrimonialibus, & quasi-patrimonialibus; cùm patrimonialia Ecclesiam non respiciant: quasi-patrimonialia autem sint stipendia pro labore, ac proindè eorum habeant plenum ac perfectum dominium, non secùs ac laïci.

*Certum est, 2º. Beneficiarios ex patrimonio divites, de beneficiorum suorum fructibus licite vivere posse, quod probatur auctoritate & ratione Apostoli 1. Cor. 9. v. 7. dicentis: Quis militat suis stipendiis unquam? . . . quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit? . . . nescitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt, ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

*Certum est 3º. ex unanimi consensu Patrum, ac Theologorum, tum veterum, tum recentiorum, fructus beneficiorum, post honestam sustentationem, superfluos, in pios usus expendendos esse; gravissimè quæ peccare eos, qui bona Ecclesiastica in usus profanos dilapidant, aut parentibus suis & amicis affectu carnali distribuunt. Sed quænam sit tam stricta obligatio, an charitatis? an etiam justitiæ? ita ut Beneficarii bonorum Ecclesiasticorum non sint domini, sed simpliciter œconomi & administratores, controversia est inter recentiores Theologos, quæ ut solvatur, sit*

### C O N C L U S I O.

*Beneficarii non sunt suorum beneficiorum reddituum domini, sed simplices administratores, tenenturque ad restitutionem, si eos in usus superfluos & profanos impenderit.*

*Nota. Hanc prop. quam fuscè probant Theologi, breviori calamo expendemus, cum Parùm referat, ut ait Bellarminus, admonit. ad nepotem, contrav. ult. utrùm, Beneficarii qui in usus profanos consumunt fructus beneficiorum suorum, damnentur ad inferos, quia peccaverunt contra justitiam, an quia contra charitatem;*



constat enim, ait Habert de Jure & Just. p. 1. cap. 21. eos in Deum esse sacrilegos, obnoxiosque damnationi æternæ, nisi pœnitentiam egerint, & Deo satisfecerint: Quam verò, inquit autor prædictus, satisfactionem exhibere possunt? nisi tantumdem ex patrimonialibus in pios usus impendant, quantum ex Ecclesiasticis in profanos abusi sunt. Itaque.

Prob. 1°. Ex Ecclesiæ Canonibus. Alexander, cap. fraternit. de donat. sic definit: *Episcopus & quilibet Prælati rerum Ecclesiasticarum procurator est, non dominus.* Et Conc. Aquense tit. de Monast. Commendari, inquit, non existiment sibi mandatum Monasterii regimen ad luxum & prodigalitatem, aut ad augendam rem suam, & consanguineorum familiam, sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent proprietatem. Similia habent Concilia general. VII. can. 13. & VIII. cap. 15.

Prob. 2°. Ex SS. PP. D. Bernardus epist. 50. ad Bonif. ait: *Si privatim, quæ nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Sic loquitur D. Thom. quem ad se trahere nituntur adversarii: *Bonorum verò ecclesiasticorum Clerici non sunt veri domini, sed dispensatores.* quodl. 6. art. 12. in corp. Denique S. Raymundus, l. 2. tit. de rap. & præb. §. 6. dicit *tales Clericos, qui consanguineis conferunt bona ecclesiastica, pauperibus debita, esse raptores, & per consequens teneri ad restitutionem omnium.* Similiter loquuntur omnes alii Patres. Unde J. Major in 4. dist. 24. q. 6. asserit nullum se scire

Theologum, qui ante suam ætatem contrarium docuerit; ergo.

Adversarii duo respondent. 1°. Sacros Canones & Patres locutos fuisse de bonis Ecclesiæ immobilibus. 2°. Cùm loquuntur de bonis Ecclesiæ mobilibus, intelligendos esse de bonis Ecclesiasticis ante erectionem Beneficiorum, quæ accidit viij. vel. ix. sæculo; tunc enim, aiunt, erat obligatio justitiæ impendendi superflua in usus pios; sed postea Ecclesia instituendo Beneficia, dominium bonorum Ecclesiasticorum absolutum & liberum, transtulit in Beneficiarios, cum solâ obligatione charitatis, vel religionis, impendendi superflua in usus pios.

*Resp. ad 1um. nego.* Nam apertè loquuntur de bonis, quæ ad sustentandos Ministros Ecclesiæ, & alendos pauperes impendi debent; constat autem nunquam Ministris licuisse bona immobilia consumere in suos, vel pauperum usus.

*Resp. ad 2um. 1°.* Non constat hanc divisionem, etsi fuerit præcepta, factam fuisse; imò hoc suadet non esse factum, quòd nihil pauperibus concessum videamus: quod si hospitalia alicubi erecta fuerint, non ex redditibus ecclesiasticis fuerunt dotata, sed ex liberalitate fidelium, ut patet ex eorum fundatione. 2°. Etsi facta fuerit ista divisio, bona Ecclesiæ non amiserunt per illam, naturam boni ecclesiastici; ergo semper remanet obligatio justitiæ partem superfluum impendendi in pios usus.

*Addunt:* Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. de ref. statuit Beneficiarios, munus suum non implentes, beneficiorum *fructus* non facere suos; ergo dùm ipsum ritè obeunt, *fructus* faciunt suos, & horum acquirunt dominium.

*Resp. dist. conseq.* Acquirunt dominium restrictum & gravatum onere justitiæ impendendi superflua in pios usus, *conc. conseq.* dominium absolutum & liberum, *nego.* Itaque Beneficarii possunt dici habere dominium fructuum beneficii, sed gravatum onere justitiæ supradicto; sicut hæres habet dominium hæreditatis, sed gravatum onere solvendi debita defuncti.

*Inst. 1º.* Clerici habent dominium absolutum partis bonorum, quæ necessaria est ad suam sustentationem; ergo & bonorum superfluatorum.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quòd bona, ad congruam Clerici sustentationem necessaria, ei data sint absolutè, cum solo onere rectè fungendi officio spirituali, quo si non fungatur, nec illam partem facit suam; at bona superflua data sunt non absolutè, sed cum onere justitiæ, & pacto saltem implicito, ut ea in pios usus impenderentur.

*Inst. 2º.* Ecclesiastici de bonis suis omnibus testantur, non contradicente Ecclesiâ, & dum *ab intestato* moriuntur, parentes eorum in omnibus eorum bonis, etiam de Ecclesiâ perceptis, legitimè succedunt; ergo sunt veri domini, istorum bonorum.

*Resp. nego conf.* Ecclesia enim non permittit hunc abusum, cum illum damnet cap. Relatum, de testamentis; sed illum tolerat ad vitandas perturbationes & multas lites, quæ, ob difficultatem discernendi superflua illa ab aliis bonis, necessario orirentur.

*Resolv. 1º.* ex dictis, Laicos, qui sive *testamento*, sive *ab intestato*, succedunt bonis provenientibus ex beneficiis, vel qui aliàs dono



acceperunt, nisi sint pauperes, teneri in conscientia, ad illa restituenda pauperibus, vel impendenda; in aliis piis causis; nam *nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscitur*. Reg. 79. juris, in 6.

*Resolv.* 2°. Qui aleam lucrati sunt aliquid notabile ex bonis illis superfluis, tenentur *rem pauperum male partam restituere*, ut statuit Conc. Rhem. an. 1583.

Quæres: *Quid intelligitur per congruam sustentationem?*

*Resp.* Per congruam sustentationem intelligitur, quidquid necessarium est ad victum, vestitum & famulatum Beneficiarii, ad hospitalitatem exercendam, ad remunerandam fidelitatem suorum domesticorum; ad fovendam per modesta convivia & munuscula, amicitiam amicorum, vicinorum, & benefactorum; quæ omnia æstimari debent iudicio viri prudentis secundum cuiusque statum, officium, dignitatem, & qualitatem beneficii.

## ARTICULUS V.

### *De Beneficiorum pluralitate.*

*Nota.* **B**eneficia, alia dicuntur compatiblea; alia incompatiblea.

Beneficia compatiblea, sunt ea quæ personalem residentiam non exigunt, nec idem officium eodem tempore persolvendum.

Incompatiblea, sunt duplicis generis. Incompatiblea *primi generis*, sunt ea quorum unum ipso facto, absque ulteriori sententia, excludit alterum; ut sunt duo beneficia curata, duæ dignitates, duo personatus, duo officia, extrav. Execrabilis,

de præbend. Item , præbendæ uniformes sub eodem tecto , v. g. duo Canonicatus , duæ Capellanix concurrentes ad eandem functionem in eadem Ecclesiâ. Cap. Litteras , de concessione præbend.

Incompatibilia *secundi generis* , sunt ea , quæ simul retineri non possunt absque dispensatione ; non tamen ita pugnant , ut primum vacet ipso facto , obtento secundo. Ejusmodi sunt duo Beneficia absque animarum cura , postulantiâ residentiam , v. g. duo Canonicatus , in diversis Ecclesiis.

### CONCLUSIO.

*Seclusâ justâ causâ , omninò illicitum & juri naturali contrarium est , plura simul possidere Beneficia , etiam compatibilia & simplicia.* Hæc propositio ( hominibus qui , ut ait Trid. *improbæ cupiditatis affectu , plura simul Beneficia obtinere non erubescunt* , tam nauseosa ) inñitis propèmodum Conciliorum decretis , & Pontificum ac Patrum oraculis , est definita ; quæ referre figillatim , cùm non ferat brevis proposita , hic eorum rationes unico argumento perstringemus ; itaque sic

*Prob.* Juri ac æquitati naturali repugnat , 1°. Quòd Ecclesiasticus ordo pervertatur. 2°. Quòd minuatur cultus divinus. 3°. Quòd animæ certo periculo exponantur. 4°. Quòd justitia distributiva lædatur. 5°. Quòd fraudetur voluntas fundatorum. 6°. Quòd defuncti injustè precibus , atque suffragiis sibi debitis priventur.

Atqui per pluralitatem Beneficiorum 1°. Ecclesiasticus Ordo pervertitur , *quando unus plurius officia occupat Clericorum.* Trid. sess. 24. c.

17. 2°. Minuitur cultus divinus , extrav. Execrabilis ; Deus enim magis per plures ministros , quàm per unum colitur. 3°. Animæ certo periculo exponuntur , Conc. Later. c. 14. cùm inde profluant scandalorum occasiones , & suppeditetur avaritiæ , luxûs & ambitionis materia. 4°. Justitia distributiva læditur ; extrav. execrabilis. dùm multi digni esuriunt , alii verò ebrii sunt. 5°. Fraudatur pia voluntas Fundatorum , D. Thom. quodl. 9. art. 15. quorum intentio fuit suâ fundatione promovere cultum Dei , qui pluralitate beneficiorum minuitur. 6°. Defuncti injustè suffragiis sibi debitis privantur , dùm unus pluribus obligationibus nequit illis animabus satisfacere ; ergo.

*Dixi in prop. seclusâ justâ causâ : nam , ut ait Toletus , instruct. Sacerd. lib. 5. c. 8. Plura beneficia habere , est de eorum numero , quæ mala sunt , tamen possunt bona fieri , si aliquibus bonis circumstantiis copulentur ; ut occisio , quæ adveniente lege justitiæ , redditur licita & honesta.*

Quæres 1°. *Quænam sit justa causa possidendi , aut conferendi plura beneficia sine Pontificis dispensatione ?*

*Resp. Unicam assignat Concil. Trid. sess. 24. cap. 17. tenuitatem nimirum beneficii ; conceditque , ut si beneficium ad vitam ejus , cui confertur , honestè sustentandam non sufficiat , liceat aliud simplex sufficiens , dummodò utrumque personalem residentiam non requirat , eidem conferri.*

Quæres 2°. *An per dispensationem Pontificis licitum sit habere plura beneficia requirentia residentiam ?*

*Resp. Id licitum est , si adsit justa causa dis-*



pensandi. Dico, si adsit iusta causa; nam sine eâ non est tutus in conscientiâ, qui per dispensationem pontificiam obtinuit plura beneficia; sed uno retento tenetur cætera resignare: ratio Cajetani in summâ v. beneficium, est quia est contra jus naturale, ut unus habeat plura beneficia; atqui Pontifex non potest dispensare in iis quæ sunt juris naturalis, nisi interveniat iusta causa quæ turpitudinem tollat; ergo.

Quæres 2<sup>o</sup>. *Quænam sunt iustæ causæ dispensandi in pluralitate beneficiorum?*

Resp. sunt tres. 1<sup>a</sup>. Est tenuitas beneficii, ut supra dictum est.

2<sup>a</sup>. Est necessitas Ecclesiæ, v. g. si desint alii, vel idonei, *quod hodiè moraliter est impossibile*, ait Paulus à Lugd. de benef. art. 5.

3<sup>a</sup>. Est Ecclesiæ utilitas; sic filiis Principum, & eximè doctis, dantur interdùm plures Episcopatus, ut Ecclesiæ adversus Hæreticos defendantur; & hoc posse fieri definit Conc. Later. IV. cap. multa, de præbendis.

Verùm, ait Dominicus Soto, de jure & just. lib. 3. q. 4. *Ratio illa dispensandi solum habebat locum, quando Ecclesia vagiebat in cunis, & potentia sæculari opprimebatur; jam verò hoc ætatis, si fas est dicere verum, nescio an eadem dispensationis causa, tam legitima existat.*

Attendant ergo, qui coacervatis pinguescunt beneficiis, ista D. Bernardi verba: *Qui non unus est, sed plures in beneficiis, non unus, sed plures erit in suppliciis.*

TRACTATUS  
ARTICULUS VI.

*De Beneficiariorum residentiâ.*

Quæres 1<sup>o</sup>. *Q*uid sit residentia?

*Resp.* Est in loco beneficii commoratio, personalique munitiorum Ecclesiasticorum functio.

CONCLUSIO I.

*Omnes, quibus cura animarum incumbit, tenentur jure divino residere, & per se officium suum rectè præstare.*

*Prob.* Ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform. *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre; verbi-que divini prædicatione, Sacramentorum administratione, & bonorum operum exemplo pascere: pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinatorum præceptorum memores, factique gregis forma, in judicio & veritate pascant & regant . . . . declarat omnes . . . . obligari ad personalem in suâ Ecclesiâ, vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse, nisi ex causis infrascriptis, &c.* Ergo jure divino Beneficiati curati, non solum tenentur residere, sed & per seipsos personaliter munia sua explere; cùm residentia ipsis non præcipiatur, nisi propter officium ab

ipsis personaliter debitum, juxta illud effatum:  
*Propter quod unumquodque tale, & illud magis.*

## CONCLUSIO II.

*Canonici, aliique Clerici, præbendas vel dignitates in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis possidentes, similiter tenentur ad residentiam.*

*Prob. Ex eodem Trid. sess. 24. cap. 12. & iisdem rationibus; cum cæteris paribus eadem sit erga ipsos & æquè gravis obligatio.*

*Quæres 2º. Quibus pœnis afficiuntur Beneficarii non residentes?*

*Resp. A Conc. Trident. sess. 23. de ref. c. 1. privantur ipso facto, beneficiorum suorum fructibus, pro ratâ temporis absentia, eosque restituere jubentur Fabricæ Ecclesiarum aut pauperibus, aliâ etiam declaratione Judicis, non secutâ. Deindè ad residentiam possunt cogi per censuras ecclesiasticas, & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad (beneficiorum suorum) privationem; ut statuit idem Concilium, ibidem.*

*Quæres 3º. Quænam sint justæ causæ à residentia excusantes?*

*Resp. Quatuor assignat Conc. Trid. ibidem, modò ita provideant ovibus, ut ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant.*

*1º. Christiana charitas: ut si aliqua Ecclesia in hæresis periculo versaretur, & Episcopi, aut Parochi, aut Canonici prædicatione juvari possent.*

*2º. Urgens necessitas: cum nempe Beneficarius residendo incurreret periculum vitæ; vel propter morbum sibi particularem (non communem, ut pestis); vel propter persecutionem, sibi*



personaliter factam; *vel propter aeris itemperiam*; ait Barbofa in Conc. Trid. c. 1. de Ref. n. 8.

3°. *Debita obedientia*: si nempe Beneficarij ad aliquod aliud ecclesiasticum negotium applicentur à Superioribus suis.

4°. *Evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas*: sic excusantur 1°. qui in Officiis publicis à Rege destinantur, 2°. qui deputantur ad docendam Theologiam, si nullus reperitur idoneus, 3°. Canonici studio Theologiæ ad quinquennium additi, &c. cap. Super specula, de magist.

*Nota* 1°. Extra has causas, Episcopi possunt quotannis, sive continuè, sive interruptè à suis Ecclesiis, *ex justâ causâ*, ad summum tribus mensibus abesse. Trid. sess. 23. c. 1. de ref.

2°. Canonici possunt duobus vel tribus mensibus sive continuatè, sive interruptè abesse: *Salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt*; Trid. sess. 24. c. 12.

3°. Extra quatuor causas suprâ enumeratas, nullum tempus absentiae à Conc. Trid. Parochis conceditur: quòd si habeant justam descendendi causam, debet esse *ab Episcopo cognita & probata, qui descendendi licentiam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causâ, concedere non debet*; quòd si licentia discedendi concedatur, debent *Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debitâ mercedis assignatione relinquere*. Trid. sess. {23.



## QUÆSTIO TERTIA.

*De Simoniâ.*

**T**Ria de Simoniâ occurrunt perpendenda, sequentibus articulis. 1°. Natura, malitia, & divisio. 2°. Modi, quibus committi potest. 3°. Pœnæ quibus afficitur.

## ARTICULUS I.

*De naturâ, malitiâ, & divisione Simonia.*

Quæres 1°. **Q**uid sit Simonia?

*Resp.* Est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Ita D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1.

Dicitur 1°. *Studiosa*: id est, deliberata, ut excludantur motus voluntatis non plenè deliberati, vel procedentes ex ignorantia inculpatâ.

Dicitur 2°. *Voluntas*: ut includatur simonia mentalis.

Dicitur 3°. *Emendi vel vendendi*: sub quibus terminis comprehenduntur omnes contractus onerosi, sive temporale detur ut pretium rei spiritualis; sive ut motivum acquirendum spirituale; sive tanquam rei spiritualis gratuita compensatio, prout definivit facultas Lovaniensis, an. 1657. & post ipsam Innocentius XI. in damn. prop. 45. & 46.

Dicitur 4°. *Aliquid spirituale*: id est, res, vel actio sacra ad salutem animæ specialiter ordinata, vel ad cultum Dei pertinens, ut dona Spiritûs sancti, oratio, Sacramenta, Reliquiæ Sanctorum; item omnis potestas supernaturalis, ejusque usus, ut omnis actus ordinis & jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Dicitur 5°. *Spirituali annexum* : id est, quod; licet de se temporale sit & naturale, aliquam tamen spiritualitatem & supernaturalitatem induit, propter connexionem quam habet cum rebus spiritualibus & supernaturalibus, quæ connectio potest fieri tripliciter.

1°. *Antecedenter*, præcedendo spirituale tanquam quid ordinatum ad illud; tale est jus Patronatûs, quod præcedit præsentationem ad beneficium; talia sunt vasa, vestimenta que sacra, altaria, quæ referuntur ad sacrificium Missæ.

2°. *Concomitanter*, cum rei spirituali necessario est annexum & veluti intrinsecum; ut labor intrinsecus in administratione Sacramentorum, celebratione Missæ, &c.

3°. *Consequenter*, cum rem sacram, à quâ dependet, subsequitur; ut jus percipiendi beneficiorum proventus, quod supponit Officium spirituale, propter quod confertur.

*Dices*: Manca est ista de finitio; desunt enim hæ voces, *pro re temporali*; ergo.

*Resp. nego ant.* Illæ enim voces de industriâ omisæ sunt, ut nostra definitio conveniret omnî simoniæ, etiam illi quæ reperitur in permutationibus & resignationibus factis sine auctoritate Superioris, in quâ non reperitur temporale pretium.

Quæres 2°. *Quotuplex est Simonie præterium?*

*Resp.* *Triples*, scilicet munus à manu, à linguâ, & ab obsequio.

*Munus à manu*, est pecunia, vel aliquid pecuniâ æstimabile, v. g. remissio debiti, solutionis dilatio, mutui traditio, pensionis solutio, &c.

*Munus à linguâ*, est favor, patrociniûm, in-



tercessio, laus, commendatio apud alium, &c.

*Munus ab obsequio*, est quodvis obsequium alteri præstitum, vel præstandum, ad rem spirituales ab ipso comparandam.

Quæres 3°. *Quale sit peccatum Simonia?*

*Resp.* Est gravissimum peccatum contra religionem & justitiam, nec potest fieri veniale ex levitate materiæ.

Dixi 1°. *Contra religionem*: quia est species quædam sacrilegii, quatenus per ipsam, res sacra turpiter & indignè tractatur, cum terrestri & profanæ adæquetur.

Dixi 2°. *Contra justitiam*: quia per simoniam aliquis usurpat dominium rerum quod non habet: undè omnes actus simoniaci sunt irriti, & obligant ad restitutionem.

Dixi 3°. *Nec potest fieri veniale ex levitate materiæ*, tum rei spiritualis, cum nulla sit, vel minima, quæ pretio æstimari possit, absque gravi, & ipsiusmet doni, & donatoris nempe Dei irreverentiâ & contemptu: tum rei temporalis pro spirituali datæ; nam quò vilior est res illa temporalis, eò majus est rei spiritualis vilipendium.

Quæres 4°. *Quotuplex sit Simonia?*

*Resp.* Simonia dividitur 1° in eam quæ est juris divini, & in eam quæ est juris humani Ecclesiastici.

Simonia juris divini, est *rei temporalis commutatio pro re spirituali quâ tali*: undè est prohibita, quia est intrinsece mala.

Simonia juris humani, est *paçtio quælibet, aut conventio, quæ ab Ecclesiâ sub pænis simonæ inhibetur, quatenus labem redolens simoniacam*: lex

enim facit ut objectum suum sit materia virtutis illius, ex cujus motivo fertur: sic Communio à non jejuno est sacrilegium, quia Ecclesia ex motivo reverentiæ vetuit sumptionem cujuslibet rei ante Communionem.

2<sup>o</sup>. Dividitur in realem, mentalem, conventionalem, & confidentialem.

Simonia realis, est *paçtio simoniaca, ex utraque completa, saltem inchoate*.

Dicitur 1<sup>o</sup>. *Paçtio*: scilicet expressa, vel implicita. 2<sup>o</sup>. *Saltem inchoate*: quia ad Simoniam realem sufficit solutio partis pretii, aut traditio instrumenti pro debito, cum receptione rei spiritualis, vel spirituali annexæ.

Simonia mentalis, est *datio rei spiritualis pro temporali, vel temporalis pro spirituali, nullo pacto, etiam tacito, interveniente*: ut si quis ferviat Episcopo, eâ intentione, ut pro temporali obsequio, ei procuret beneficium, nullâ tamen verbis, vel nutibus, factâ conventionem. Hæc est vera simonia & ejusdem speciei coram Deo, cum simoniâ reali, cap. 34. de simon. Vocatur *peccatum Simonie mentalis*, ut distinguatur ab internâ voluntate committendæ simoniæ absque externâ executione, quæ vocatur *peccatum mentale simoniæ*.

Simonia conventionalis, est *paçtio exterius, ex unâ, vel utraque parte facta, dandi vel accipiendi rem temporalem pro spirituali*; & est duplex, scilicet purè conventionalis, & conventionalis mixta.

Conventionalis purè, est *ea in quâ ex neutra parte pactum executioni est mandatum*. Conventionalis mixta, est *ea in quâ pactum ex unâ parte executioni*

DE OBLIGATIONIBUS, &c 465  
*executioni est mandatum. Est mixta ex conventionali & reali.*

Simonia confidentialis non tam potest defini, quàm explicari, exponendo modos quibus potest admitti: undè

Quæres 5°. *Quot modis committitur confidentialia?*

*Resp.* Committitur quatuor modis.

1°. Per *accessum*, ut cùm Prælati, volens alicui, per ætatem incapaci, procurare beneficium, illud confert alteri, eo pacto ut quamprimùm incapax, factus fuerit capax, illud accipiat.

2°. Per *ingressum*, ut cùm quis beneficium sibi collatum, ante captam ejus possessionem, alteri resignat, eo pacto ut illud postea ingrediatur, si iste moriatur, vel beneficium dimittat.

3°. Per *regressum*, ut cùm quis beneficium à se possessum, alteri resignat, eo pacto, ut iste sibi, vel alteri, idem beneficium resignaturus sit convenienti tempore.

4°. Per *stipulationem pensionis*, sibi vel alteri ex fructibus beneficii dandæ.

Porro, ad hanc simoniam requiritur, ut accessus, ingressus, regressus sint in idem beneficium; aliàs non erit simonia confidentialis, sed conventionalis mixta, vel realis si utrimque sit completa.

Quæres 6°. *In quibus contractibus committatur simonia juris humani?*

*Resp.* 1°. Committitur datione etiam spontaneâ, & acceptione munerum ex occasione examinis ad beneficia. Trid. sess. 24. 18. de ref. Item, ex occasione collationis Ordinum,

MORAL. Tom. IV.

G g



Tonfuræ, Litterarum dimissoriarum, vel testimonialium. Trid. sess. 21. c. 1. de ref.

Dixi, *Ex occasione*: nam si darentur pro collatione Ordinum, pro Litteris dimissoriis, &c. esset simonia juris divini; cum isti actus sint spirituales, utpotè procedentes à potestate spiritali Ordinis, aut Jurisdictionis.

2°. Committitur in venditione Officiorum quorundam temporalium, quæ regimen Ecclesiæ temporale spectant, ut sunt Officia œconomi, Sacristæ, Advocati, Defensoris Ecclesiæ, &c. cap. Si quis Episcop. 1. q. 1. In his enim Officiis est quædam dignitas, propter quamdam conjunctionem quam habent cum suppellectili sacrâ, rebus, & Ministris Ecclesiæ.

3°. Committitur venditione Chrismatism, etiam secundum materiam, ibid. Item venditione Ecclesiæ, cap. 15. de Simon. vel Cœmeterii, cap. 13. de sepul.

4°. Committitur in permutatione Beneficiorum sine auctoritate Prælati, nullo interveniente pretio. Item, in resignatione in favorem sine auctoritate Papæ. Item, in resignationibus confidentiariis, cap. Quæsitum, de permut. & cap. ult. De pactis.

## ARTICULUS II.

*De modis quibus Simonia committi potest.*

**Nota.** ¶ Numeris modis committi potest simonia, quos claritatis causâ, sub diversis Paragraphis exponemus.

§. I. *De Simoniâ in vendendis temporalibus spiritali annexis.*

1°. Est Simonia carius vendere rem tempo-

ralem annexam antecedenter spirituali, propter spiritualitatem cui annexa est.

Dixi, *Cariùs*; quia licitè emi & vendi potest, nisi prohibeatur; cùm res illa retineat suum valorem intrinsecum, nec ita dependeat à re spirituali, ut eâ venditâ, hæc censeatur vendi.

Hinc, vendi possunt, fundus, cui annexum est jus Patronatûs, Vasa Sacra, Ornamenta Sacra, &c.

2°. Est Simonia vendere rem concomitanter annexam spirituali; ut labor necessarius ad exercendam sacram functionem, v. g. Missam celebrandam. Ratio est, quia hæc actio ita intrinseca est actioni spirituali, ut vendi non possit, quin actio spiritualis vendatur.

3°. Est Simonia vendere rem consequenter annexam spirituali, ut jus percipiendi Ecclesiasticos redditus. Ratio est, quia hæc res non potest acquiri, nisi ratione Officii spiritualis; ergo nec vendi, nisi vendatur spirituale ei præsuppositum, prout traditur cap. Si quis objecerit, 1. quæst. 3. ubi dicitur: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

## §. II. De Simoniâ circa Missarum celebrationem, & Sacramentorum administrationem.

1°. Mentalis est simonia & mortalis, Missam celebrare, Horis canonicis interesse, Sacramenta administrare, &c. principaliter mercedis temporalis intuitu; quia sunt ministeria spiritualia, ac proindè pretio inæstimabilia.

Dixi, *principaliter*; ita ut quis, nec Missam celebraret, nec Sacramenta administraret, nisi

hanc mercedem temporalem speraret, quia hoc est sanctitatem pretio æstimare.

2°. Non est simonia ex functionibus Ecclesiasticis temporalia suscipere, imò & exigere modum justî stipendii ac sustentationis, *secundùm ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas*; ut ait D. Tho. 2. 2. q. 100. a. 2. in corp. *Modò tamen*, ut addit D. Doctor art. 3. in corp. *ab invitis non exigatur per spiritualium abstractionem*; hoc enim haberet quamdam venditionis speciem.

Ratio resolutionis est, quia *dignus est operarius cibo suo*. Math. 10. v. 10. Undè Concil: Constantiense damnavit hunc Wicleffi articulum: *Omnes sunt simoniaci qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus*.

3°. Non est simonia, in urgente necessitate, Ministro nolenti Sacramenta conferre, aliquid retribuere, non tanquàm rei sacræ pretium, sed ad injustam vexationem redimendam, id est, ut ait Lessius, l. 2. c. 35. dub. 7. n. 43. *Ad alligandum animum ut pravam voluntatem non dandi deponat, & in bonam commutet, quod sanè licitum est*.

4°. Non est simonia aliquid accipere pro docendâ Theologiâ; quia licèt versetur circa objectum supernaturale, tamen actio eam docendi per se primò non ordinatur ad animæ salutem, neque immediatè dirigitur ad movendam voluntatem, sed ad exercitandum intellectum audientis. Aliud est de catechesi vel concione, pro quâ præcisè aliquid accipere est simoniacum, cum pro fine habeat instructionem ad salutem animæ immediatè ordinatam.



3<sup>o</sup>. Simonia est juri divino opposita, dare vel exigere quidpiam in pretium dispensationis voti, juramenti, matrimonii, &c. quia dispensare, est usus potestatis divinæ . . . Potest tamen Prælati, his cum quibus dispensat, imponere per modum mulctæ, onus eleemosinam erogandi pauperibus, vel Ecclesiæ, modò ex hac mulctâ nullum emolumentum ipsemet suscipiat; hoc enim prohibetur à Concilio Trid. sess. 24. c. 18. De regul.

§. III. *De Simoniâ circa Religionis ingressum.*

1<sup>o</sup>. Dare vel accipere aliquid pro ipso ingressu Religionis, vel professione, tanquàm pretium aut motivum ingrediendi, vel proficendi, est simonia; quia Religio est status spiritualis perfectionis, cùm per eum homo se Deo totaliter devoveat. Est resolutio D. Thom., 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. dicentis: *Pro ingressu Monasterii, non licet aliquid exigere, vel accipere, quasi pretium.*

2<sup>o</sup>. Si tamen Monasterium sit egenum, nec absque gravamine novos candidatos suscipere possit, licitum est pro eorum victu & sustentatione, necessaria pacisci & accipere; modò candidati verè gratuitò ad Religionem admittantur, nec eorum pecunia principaliter intendatur. Ratio est, quia temporale, nempè dos, non datur pro spirituali, sed pro temporali, nempè pro sustentatione, quam Communitas egena non debet. Undè D. Thom. loco cit. addit: *Licet tamen, si Monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid*

*pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes.*

3°. Etiam si dives sit Monasterium, potest juxta Trid. loc. sup. cit. aliquid recipere pro victu & vestitu Novitii, durante novitiatu. Ratio est, quia Novitii non habent jus ut alantur ex communibus Monasterii bonis, nisi fiant Communitatis membra; porrò, non fiunt membra Communitatis, nisi cum eidem se per professionem solemnem alligant.

§. IV. *De Simoniâ circa varios modos ambiendi & conferendi Beneficia.*

1°. Est simonia dare vel promittere alteri aliquod munus, sive à linguâ, sive ab obsequio, eâ principali intentione, ut ab eo beneficium obtineat; vel ut ille alter curet ut sibi, vel alteri detur beneficium. cap. 1. can. 1. q. 5. Ratio est, quia munere temporali intenditur obtentio beneficii, eoque medio comparatur.

Dixi, *principali intentione*; quia si principaliter intendat omnia munia sua ad gloriam Dei obire, à simoniâ excusatur, licet secundariâ intentione de obtinendo beneficio cogitet.

2°. Collator aut Patronus, qui beneficium confert, aut procurat Clerico, propter obsequia sibi personaliter exhibita, maxime in rebus suis domesticis, simoniam committit, juxta definitionem Alex. III. cap. Cùm essent, De Simoniâ.

3°. Simoniacum est pactum reparandi Ecclesiam, dandi aliquid Fabricæ vel pauperibus, &c. ad obtinendum beneficium. Cap. Ex multis, 1. q. 3.

4°. Qui ad preces amici, Clerico beneficium confert, si per hoc intendat oratorem sibi obligare, committit simoniam muneris à linguâ. D. Thomas cit. a. 5. ad. 3. Si tamen Clericus est dignus, excusatur à simoniâ, *quia subest justa causa*, ut addit D. Thom.

5°. Vera non est simonia, *sed illicita & carnalis collatio*, ait D. Thomas ibid. gratis conferre beneficium amico, vel consanguineo, principaliter propter amicitiam quâ eum prosequimur. At simonia est, si conferas aut procures beneficium principaliter cujuslibet temporalis emolumenti intuitu, v. g. *ut inde honoratior, vel opulentior fiat tua familia*, &c. D. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 7.

§. V. *De Simoniâ circa resignationes & permutationes.*

*Nota*: Juxta definitionem Canonum, *Omnes pactiones super beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio, illicitæ sunt, atque simoniacæ*: cap. 34. De Simon. cap. 5. de Permut. Ratio legis est, quia in pactione & commutatione rei spiritualis, cui temporale commodum annectitur, periculum est ne id fiat, intuitu rei temporalis; resignatio verò in favorem prohibita est ad tollendam omnem speciem hæreditatis in beneficiis.

Ex hac lege multa ad praxim necessaria deducuntur.

1°. Simoniacæ est omnis resignatio in favorem alterius, vel cum reservatione pensionis, facta sine auctoritate Papæ, Tit. Ut Ecclesiastica Beneficia, sine diminutione conferantur.



2°. Simoniaca est resignatio facta cum pacto ; ut resignatarius solvat expensas factas à resignante , ut beneficium obtineret , vel ut beneficii ædificia refarciret , aut augetet.

3°. Simoniaca est permutatio , si permutantes compensent , auctoritate propriâ , inæqualitatem fructuum pecuniâ , vel pensione ; aut si unus illorum alteri imponat aliquod onus , quod sit præter naturam permutationis , v. g. omnes sumptus solvendi.

4°. Nullâ est , nec canonica , permutatio , nisi beneficiorum ad quæ compermutantes verè , legitimè , & actualiter sunt promoti. Item , illicita est beneficii actualiter possessi permutatio cum altero in futurum , etiam certissimè , obtinendo , prout statuit Innoc. III. cap. Cùm universi. de rerum permut.

5°. Simoniaca est electio eorum qui inter se paciscuntur mutuò sibi conferre , ad dignitates ; suffragia.

6°. Simoniacum est , & sub poenâ excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibitum , Extrav. Detestab. suffragia in electionibus , quovis commodo terreno emere ; & qui sic fuit electus , dignitatem tenetur dimittere , cum electio ejus ipso jure nulla sit , atque irrita.

#### §. VI. *De Simoniâ in Transactionibus , & Compositionibus.*

1°. Simoniaca , & nulla est omnis transactio , vel cessio juris , etiam dubii , circa beneficium non gratuita , propriâ auctoritate facta , cap. 7. De transac. etiamsi detur spirituale pro spirituali.

2° Simoniaca est transactio ad impediendam, vel dirimendam litem super beneficio, hoc pacto ut unus litigantium cedat jure suo pro pecuniâ, & alteri beneficium pacificum relinquat; vel hoc pacto ut unus desistat, modo alter solvat impensas factas, c. 4. De pact. si fiat propriâ auctoritate. Item, hoc pacto, ut unus beneficium, alter pensionem super beneficio habeat, quia hujusmodi pensiones Ecclesia solum tolerat, quando constituuntur, *non ex pactione partium, sed ex jussione Judicum, pro bono pacis & utilitatis*, Ecclesiæ utique, non privatorum; illisque beneficium non oneratur, sed beneficiarii persona duntaxat; ita ut, ipso defuncto, ejus successor ad pensionis solutionem non teneatur, nec Judices quicumque, sed Arbitri duntaxat in quos compromissum est, id decernere possunt: quod dum faciunt, Sedes Apostolica id non tam probat, quam tolerat, ait Innoc. III. c. Nisi essent, de præb.

*Dixi in utroque casu: si fiat auctoritate propriâ: quia auctoritate Superioris factæ illæ compositiones & transactiones, ob bonum temporale pacis, approbantur à jure. Cap. 2. De Arbitr.*

3°. Semper simoniacum est dare spirituale ad redimendam vexationem injustam, sive ad obtinendum beneficium, sive post obtentum beneficium; quia tunc spirituale datur in compensationem mali temporalis vitandi, quæ compensatio ex se est pretio æstimabilis.

4°. Simonia est redimere justam vexationem post obtentum & possessum beneficium; nam eo ipso quod justa est vexatio, sequitur quod

jus in beneficio non sit omninò firmum , vel quòd auferri possit , v. g. propter crimen ; undè tunc daretur pretium ad confirmationem , vel conservationem beneficii , quod est quid spirituale.

5°. Simonia est , quodlibet munus offerre ad redimendam vexationem injustam , 1°. quâ quis impeditur , ne jus acquirat ad beneficium , 2°. quâ quis , jam habens jus inchoatum per præsentationem , impeditur ne jus plenum obtineat per collationem , confirmationem , &c. Cap. 23. De Simoniâ. Ratio est , quia jus , sive inchoatum per præsentationem , sive plenum per collationem aut confirmationem , est quid spirituale , quod pretio temporali acquirere velle , simoniacum est.

6°. Immunis est à simoniâ , qui pretio temporali injustam vexationem redimit , quâ impeditur à possessione pacificâ beneficii , ad quod jus certum , plenum & perfectum habet , ut definitur à jure , cap. 28. De Simon. Ratio est , quia tunc non datur pretium pro re spirituali , cum hæc verè sit acquisita , sed solùm pro liberatione ab injuriâ , quæ est quid temporale , & nihil acquiritur de novo ; ita D. Thomas , 2. 2. q. 100. a. 2. ad 4. qui docet quòd antequàm alicui acquiratur jus in Episcopatu , vel dignitate , vel præbendâ , per electionem vel provisionem , seu collationem , seu canonicam institutionem , vel confirmationem , simoniacum esset adversantium obstacula pecuniâ redimere : sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquàm jus alicui acquisitum est , licet per pecuniam injusta impedimenta removere.



7°. Simoniam committit, qui ad injustam vexationem redimendam dat aliquid spirituale, vel quasi-spirituale, v. g. Beneficium, pensionem Ecclesiasticam, vel officium Ecclesiasticum; quia talis redemptio est temporalis, pretioque æstimabilis; atqui simoniacum est dare spirituale, vel quasi spirituale, pro temporali; ergo.

### ARTICULUS III.

#### *De Pœnis Simonia.*

*Nota* 1°. **L**icet quælibet simonia, etiam mentalis, sit grave crimen, tamen nullæ pœnæ Canonicae incurruntur 1°. ob simoniam pure mentalem, sed sufficit *per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*, ut ait Gregor. IX. cap. 46. De Sim. 2°. Ob simoniam purè conventionalem, & conventionalem mixtam, exceptâ confidentiâ, quia jura has pœnas statuentia, *realem rei spiritualis receptionem requirunt*. Extrav. 1. & 2. De Simon.

Dixi, *Realem rei spiritualis receptionem*: quia multi asserunt pœnas Canonicas incurri ob simoniam conventionalem mixtam, dum res spiritualis est tradita, licet nondum sit solutum pretium promissum. Ratio eorum est, quia tunc simonia videtur completa exterius, sicuti contractus venditionis censetur completus, si res sit tradita & pretium promissum, etsi nondum solutum... Alii tamen communiùs docent solam simoniam realem, in quâ intervenit munus à manu, inducere pœnas juris; tum quia hæc est praxis Curia Romanæ; tum quia pœnæ juris, impositæ pro aliquo actu, intelliguntur de actu exterius ex omni parte consummato, nisi

lex aliud clarè exprimat, cùm ex reg. juris, *odia sint restringenda.*

Igitur duæ dumtaxat simoniæ species pœnis Canonicis sunt obnoxia: simonia realis in quâ intervenit munus à manu; & confidentialis, de quâ infrà.

*Nota.* Nulla pœna à jure lata est, nisi pro simoniâ commissâ in ingressu Religionis, vel in Ordinatione, vel in Beneficio; nomine autem Beneficii comprehenduntur etiam Officia jurisdictionem spirituales habentia, ut Provincialis, Prioratus conventualis, Gardianatus, &c. Colligitur ex extravag. detestabile, de Simon. De his triplici paragrapho.

§. I. *De pœnis Simonia in ingressu Religionis perpetrata.*

Quæres: *Quot sunt pœnæ Simonia pro ingressu Religionis perpetrata.*

*Resp.* Sunt tres. 1<sup>o</sup>. Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt omnes & singuli, sive dantes, sive recipientes. Extrav. Sanè, de Simon.

2<sup>o</sup>. Suspendio ab officiis capitularibus Papæ reservata, lata in Conventum, si consenserit. Ibidem.

3<sup>o</sup>. Simoniacè scienter admissus, si per sententiam fuerit convictus, in arctius Monasterium debet detrudi, nec absque dispensatione Papæ in eodem Monasterio manere potest. Cap. 25. De Sim.

§. 2. *De pœnis Simonia, in Ordinatione perpetrata.*

Quæres: *Quot sunt pœnæ simonia in Ordinatione commissæ?*

*Resp. Sunt tres: 1º. Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt, tùm Ordinans, tùm Ordinatus, tùm Ordinationis mediatores. Extrav. Cum detestab. De Simon.*

2º. Sic Ordinatus ignoranter, suspensus est, ipso jure, ab Ordine simoniacè suscepto; scienter verò simoniacè ordinatus, suspensus est ab omnibus simpliciter Ordinibus. Ibidem.

3º. Simoniacè Ordinans, suspensus est per triennium à collatione omnium Ordinum. Cap. 45. de Simon. Et ubi recepta est Bulla Sixti V. *Sanctum*, suspensus est à collatione omnium Ordinum, etiam primæ Tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium, & interdictus est ab ingressu Ecclesiæ. Hæc Bulla non est recepta in Galliâ.

### §. III. De pœnis Simoniæ in Beneficiis commissæ.

Quæres 1º. *Quot sunt pœnæ simoniæ in Beneficiis commissæ?*

*Resp. tres. 1º. Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt, qui Beneficium simoniacè susceperunt, contulerunt, aut quovismodo procuraverunt. Extrav. Cùm detestabilis, De Simon.*

2º. Irrita est ac nulla simoniaca electio, præsentatio, resignatio, collatio, nullumque jus tribuit; ita ut simoniacè provisos, etiam occultus, teneatur, ante omnem sententiam, Beneficium dimittere, & omnes fructus restituere Ecclesiæ ejusdem Beneficii cùm nullum jus in Beneficium acquirat. Ibidem.

3º. Qui simoniacè electus, vel provisos fuit, est ipso facto, inhabilis ad idem Beneficium,



nec potest illud ex Episcopi dispensatione obtinere. c. 27. de Simon.

Quæres 2°. *Quot sunt pænæ simoniæ confidentialis?*

*Resp.* Hæ pænæ ex Bullâ 85. Pii IV. & Bullâ 85. Pii V. quæ incipit: *Detestabilis*, sunt

1°. Excommunicatio Papæ reservata contra utrumque contrahentem, si sint inferiores Episcopis; nam Episcopi incurrunt solum interdictum ab ingressu Ecclesiæ.

2°. Privatio Beneficii per confidentiam obtenti, & quidem ante omnem sententiam, cum ejus collatio nulla sit.

3°. Inhabilitas ad idem Beneficium, & ad alia acquirenda.

4°. Privatio Beneficiorum antea legitimè possessorum, & pensionum prius obtentorum, non tamen ante sententiam Judicis declaratoriam, cum justo titulo possideantur; undè usu ita est recepta Bulla.

5°. Beneficia per confidentiam collata & accepta, reservata sunt Papæ, nec possunt ab Ordinariis conferri.

6°. In prædictis Bullis, fructus Beneficiorum per confidentiam acquisite, & pensionum sic constitutarum, reservantur Camerae Apostolicæ; sed hæc reservatio in Galliâ locum non habet.

Quæres 3°. *Utrum simoniacè promotus, pænis Canonicis sit obnoxius, dum, ipso ignorante, ab alio perpetrata est simonia, v. g. à patre aut amico, qui per simoniam ipsi procuravit Beneficium.*

*Resp.* Licet sic promotus, non incurrerit pœnam excommunicationis, cum sit à culpâ immu-

nis, attamen invalida est ejus provisio, & ad Beneficium obtinendum fit inhabilis. Cap. 26. De Simon. Hinc tenetur ante omnem sententiam, Beneficium dimittere, & omnes fructus perceptos extantes restituere; non tamen eos quos bonâ fide consumpsit, cùm eos bonâ fide possederit. Ratio est, quia irritatio directè fertur à jure, cap. 3. De Simo. in omnem acquisitionem, quæ fit per simoniacam labem, nec ad hanc requiritur culpa, vel scientia acquirantis, aut conferentis.

*Excipiuntur duo casus, in quibus à jure declaratur valida collatio, ignorante provisore, simoniacè facta.*

1<sup>us</sup>. Si provisus inimicus, ipso ignorante, pretium obtulerit, ut eum ad illud Beneficium obtinendum, inhabilem redderet. Cap. 27. De Sim.

2<sup>us</sup>. Si provisus, hanc rescians simoniam, expressè contradixerit; modò postea non accep-  
taverit, vel pretium ab alio promissum non sol-  
verit. Cap. 33. De Simon.

Porro juxta plures, ignoranti simoniam, non favet regula Cancellariæ de triennali possessione ad præscriptionem; quia expressè, exigit, ut possessio sit *absque simoniaco ingressu*: sed multi alii docent eum, qui mediante tertii simoniâ, beneficium accepit, posse illud retinere, si integro triennio hanc simoniam ignoraverit; quia illa verba, *absque simoniaco ingressu*, videntur in rigore requirere ut simonia se teneat ex parte ingredientis Beneficium: ita Cabassut. Lessius, Delugo, Gomez, Rebuff. &c.

Quæres 4°. *An pretium per simoniam acceptum, restitui debeat?*

*Resp. affirm.* Quia est injustè comparatum ;  
*gratis accepistis , gratis date ;* ergo nullo titulo  
 retineri potest . . . .

*Nec dicas :* Pretium pro re spirituali , ut tem-  
 poraliter fructiferâ , acceptum , stante æquali-  
 tate inter pretium & valorem fructuum , non  
 est acceptum contra justitiam naturalem , sed  
 solùm contra religionem & reverentiam rei sa-  
 cræ ; ergo jure naturali non est restituendum.

*Resp. nego ant.* Injustitia enim hic non petitur  
 ex inæqualitate inter pretium & valorem fruc-  
 tuum , sed ex venditione rei invendibilis ; atqui  
 fructus illi , seu jus ad illos est invendibile , sicut  
 & ipse titulus spiritualis , sine quo non provenit ,  
 & sine quo proindè vendi , æstimarique non  
 potest , uti declaratur Can. Si quis , 1. quæst. 3.  
*Si quis objecerit non consecrationes emi , sed res  
 ipsas , quæ ex consecratione proveniunt , penitus  
 decipere probatur. Nam cùm corporalis Ecclesia ,  
 aut Episcopus , aut Abbas , aut aliquid tale , sine  
 rebus corporalibus in nullo proficiat , nec anima  
 sine corpore vivat , quisquis horum alterum ven-  
 dit , sine quo nec alterum provenit , neutrum in-  
 venditum derelinquit. Vide propositionem 22.  
 damnatam ab Alexand. VII.*

Quæres 5°. *Cuinam restitui debeat pretium per  
 simoniam acceptum ?*

*Resp.* Pretium acceptum per simoniam in  
 beneficio , sive realem , sive conventionalem  
 mixtam , restitui debet Ecclesiæ ejusdem Bene-  
 ficii , prout definitur cap. 11. De Simon. Accep-  
 tum verò pretium pro ingressu Religionis , resti-  
 tuti debet ei qui illud dedit , ut definitur cap. 19.  
 De Simon . . . Similiter dicendum de pretio ac-  
 cepto





egressu. 6°. De Prælaturis religiosis. 7°. Tandem  
de variis quæstionibus Regularium.

## CAPUT PRIMUM.

*De Naturâ & essentiâ statûs Religiosi.*

Quæres 1°. **Q**uid est status Religiosus?

*Resp.* Est stabile vitæ institutum, ab Ecclesiâ approbatum, & tendens ad perfectionem per tria vota, paupertatis, obedientiæ, & castitatis.

Dicitur 1°. *Stabile institutum*: quia per vota homo se in perpetuum Dei obsequium tradit irrevocabiliter.

Dicitur 2°. *Vitæ*, sive *contemplativæ*, nempe eorum, qui sunt instituti ad opera vitæ solitariæ & contemplativæ, & vocantur Monachi, tales sunt Benedictini, Chartusiani, Bernardini, &c. *Sive activæ*: eorum scilicet, qui sunt instituti ad opera vitæ activæ, ut Ordines militares & Hospitalarii. *Sive mixtæ*, eorum nempe, qui instituti sunt ad vitam actione & contemplatione mixtam, ut sunt Mendicantes, Canonici Regulares, PP. Societatis. Indè colliges tria esse genera Religiosorum.

Dicitur 3°. *Ab Ecclesiâ approbatum*: quia sine hâc approbatione non potest esse status spiritualis supra communem statum Christianorum, sed omnes sunt merè laici.

Dicitur 4°. *Tendens ad perfectionem*: ad quam, tanquàm ad propositum sibi finem, tendere tenentur Religiosi, non quidem per omnia supererogationis opera, sed per ea solummodò, quæ in suâ Regulâ, Constitutionibus, Statutis &

Observantiis regularibus, sunt præscripta; non enim tenentur vitam regularem agere, nisi juxta suum institutum, ab Ecclesiâ approbatum.

Hinc Religiosus, qui suam Regulam, Constitutiones & Statuta Ordinis contemnit, mortaliter peccat; quia ipsammet perfectionem contemnit, si media, sine quibus comparari nequit, despiciat. *Contemtere autem censetur, qui ea observare minimè est sollicitus, vel qui ea omittit ex intentione ordinationibus Superiorum se non subjiciendi*, ait D. Thomas, q. 118. a. 1. ad 2.

Dicitur 5<sup>o</sup>. *Per tria vota*: sive solemnia sint, sive simplicia in Societate Jesu emissa, juxta jus novum Greg. XIII. statuentis in Bullâ, *ascendente Domino*, vota illa simplicia, Religiosum constituere: ratio est, quia per vota simplicia potest fieri traditio irrevocabilis ex parte votantis, ut fit in Societate.

Porrò, in tribus illis votis consistit essentia statûs religiosi: namque per illa homo se, suaque omnia Deo consecrat; nempe *per votum obedientiæ*, Deo animam consecrat, voluntatem suam Superiori subjiciens propter Deum. *Per votum castitatis*, Deo consecrat corpus, ut abstractus à carnalibus desideriis, Deo melius servire possit. *Per votum paupertatis*, Deo bona sua temporalia consecrat, iis se privans propter Deum, ut Deus sit ipsi omne bonum, nec aliud possideat, nisi ipsum; sepositis privilegiis à Concilio Trid. sess. 25. cap. 3. mendicantibus concessis, quibus renuntiârunt Fratres Minores Capucini, & Minores de observantiâ.

Quæres 2<sup>o</sup>. *Quodnam genus Religiosorum sit perfectius?*

H h ij



*Resp.* Religio contemplativa est perfectior Religione activâ; Religio autem mixta cuilibet præstantior est. Nam perfectio Religionis primariò spectatur ex fine; atqui finis Religionis contemplativæ, cùm immediatè ordinetur ad ipsum Deum, præstantior est fine Religionis activæ, juxta illud Christi Luc. 10. *Martha, Martha, sollicita es & turbaris erga plurima, Maria optimam partem elegit.* Religionis autem mixtæ finis, qui est non soli contemplationi vacare, sed etiam contemplata in alios transfundere, perfectior est fine Religionis tantùm activæ, ac tantùm contemplativæ; ergo.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Religionis ingressu & Novitiatu.*

Quæres 1º. **Q**uinam invalidè recipiuntur in Religione?

*Resp.* 1º. Invalidè recipiuntur, qui non sunt sui juris: tales sunt

1º. Episcopi; hi enim jurejurando sunt adstricti obedire Romano Pontifici, undè sine illius consensu non possunt recipi; ita definitur in jure. Cap. 10. de renuntiat.

2º. Servi, mancipia dicti, quia sunt possessio dominorum. Cap. Si quis, 17. q. 2.

3º. Pueri ante annos pubertatis; quia subsunt Tutoribus, vel Parentibus quoad vitæ dispositionem; facti verò puberes Religionem ingredi possunt, etiam invitis Parentibus, quia efficiuntur sui juris in iis quæ ad statum vitæ pertinent. D. Thom. q. 191. a. 4.

4°. Conjugati post matrimonium consummatum, nisi accedat compartis consensus; aut nisi sit adultera, & alter innocens. Cap. 4. 8. 13. 15. 16. 17. de convers. conjugat.

5°. Professi, qui ex uno Ordine ad alium laxiorem transvolant. Trid. sess. 25. c. 19.

*Resp.* 2°. Invalide recipiuntur, qui excluduntur à Religionibus ratione propriarum Constitutionum, quæ debent consuli.

Quæres 2°. *Quinam illicitè recipiuntur?*

*Resp.* Illicitè recipiuntur.

1°. Debitis gravati, ut declaravit Clemens VIII. Constit. datâ, an. 1602.

2°. Filii parentes suos in gravi necessitate relinquentes. Ratio D. Thomæ, q. 101. art. 4. est, quia jure naturæ tenentur Parentes alere.

3°. Qui sub spe matrimonii, virginem deciperunt, quia per ingressum ei injuriam inferrent.

4°. Rationibus reddendis obnoxii, ut sunt Tutores, Thesaurarii, nisi prius redditis rationibus, quia illorum persona est ad illam functionem obstricta.

Quæres 3°. *An liceat quempiam ad Religionem impellere?*

*Resp.* Quempiam impellere ad Religionem, vi, metu, fraude, est gravissimum peccatum contra religionem & justitiam; undè Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 18. eum anathemati subjicit, qui puellam, aut viduam sic impellit; quæ excommunicatio non est reservata.

Quæres 4°. *An liceat quempiam à Religionis ingressu retrahere?*

*Resp.* Non licet absque justâ causâ: nam in

Conc. Trid. ibidem , anathemati subjiciuntur omnes , qui mulieres volentes ingredi Religionem , impediunt ; quod certè peccatum mortale supponit. Idem dicendum de Masculis.

Dixi , *absque justâ causâ* , qualis est subjecti ad Religionem inidoneitas , vel Religionis professorum irregularitas.

Quæres 5°. *Quisnam ingredi Religionem teneatur ?*

*Resp.* Is solùm qui vovit Religionem , teneatur ingredi , juxta sequentes regulas.

1°. Qui vovit Religionis ingressum , nullo tempore determinato , tenetur diligenter ac seriò curare , ut quamprimùm moraliter fieri potest , recipiatur , & postea profiteri , si iudicet Religionem illam sibi convenire ; nam ista omnia virtualiter & implicite vovit. Quare si sine justâ causâ egrediatur , vel si suâ culpâ effecit ut ejiceretur , tenetur postea seriò curare ut iterùm admittatur. Ratio est , quia votum obligat ad non apponendum sponte suâ impedimentum executioni ejus , alioquin esset illusorium.

2°. Qui vovit ingressum Religionis determinatæ , si in eâ non sit admissus , liber est à voto ; nam non intendit se ulterius obligare. Si verò Religionis ingressum in genere voverit , non admissus in unâ , alteri se præsentare tenetur. Ratio est , quia tale votum , est votum de assumendâ aliquâ ex omnibus Religionibus , ideoque est de omnibus sub disjunctione.

3°. Qui laxiorem Religionem vovit , licite ingreditur strictiorem , non vice versâ. Ratio est , quia talis mutatio est de meliori bono. Cap. 10. de Regular.



Quæres 6°. *Qualiter peccent Capitulares suffragium Novitio denegantes?*

*Resp.* Si sine causâ legitimâ suffragium deneget, peccant graviter contra justitiam. Ratio est, quia Novitius, per ardua Novitiatûs exercitia, jus ad profitendum comparavit... Quòd si adsit justa causa, tenentur sub mortali suffragium denegare, ob damnum Religioni emergens, quod utique damno & incommodo particulari longissimè prævalet.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Professione Religiosâ.*

Quæres 1°. *Quanam ad Professionis validitatem requirantur?*

*Resp.* Sequentia. 1°. Ætas sufficiens, quæ ex Trid. sess. 25. de Regular. est annus 16. completus.

2°. Integer, nec interpolatus, annus probationis post susceptum habitum, ibidem. Qui annus debet computari à momento suscepti habitûs in momentum professionis; undè non est annus solaris continens 365 dies cum sex horis, sed est annus civilis continens 365 dies, & in anno biffextili 366.

3°. Prælati acceptatio, tacita, vel expressa, cum consensu majoris partis Capituli, cap. 13. de Regular.

4°. Consensus plenus atque perfectus voventis, liber à metu gravi, etiâ reverentiali, de quo agemus Tom. seq. ubi de Contractibus in genere.

5°. Carentia impedimenti in illo Ordine essentialis ; aliàs esset inhabilis ad profitendum , nec ejus traditio verè acceptaretur.

Quæres 2°. *An qui emisit professionem nullam , possit reclamare ?*

*Resp.* Potest, ex Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 19. quod tria requirit, ut reclamans possit audiri.

1°. Ut reclamet intra quinquennium , à die professionis computandum. Excipe 1°. si metu gravi , aliâve justâ causâ , fuisset à reclamazione impeditus c. 1. de iis , quæ vi , metûsve causâ , &c. 2°. Si toto quinquennio ignorâset suæ professionis nullitatem ; quia ignorantia non minùs reddit impotentem ad reclamandum , quàm metus.

2°. Ut causas nullitatis quas prætendit , coram Superiore suo & Ordinario deducat.

4°. Ut non dimiserit habitum ante hanc deductionem ; si tamen bonâ fide dimiserit , & postea resumpserit , est audiendus , ut probat Navar. Comment. 4. de Regularib. in fine.

Quæres 3°. *Quid requiratur ad ratificandam invalidam professionem ?*

*Resp.* 1°. Requiritur notitia invaliditatis : alioquin ratificatio non erit libera , utpotè ex errore emissa. Excipe tamen , si professionem renovando , expressè velit ipsam esse ratam , etiamsi ab initio fuisset invalida.

2°. Requiritur novus consensus expressus , & liber ; est enim novum votum ; nec sufficit quòd plures annos manserit in Religione , cum , ex regulâ 18. juris , in 6. *non firmetur tractu temporis , quod ab initio non subsistit.*

Quæres 4°. *Quam vim habeat Professio Religiosa ?*

*Resp.* 1°. Extinguit omnia vota simplicia ante ipsam emissa, cap. 4. de voto ; saltem si proficiens intendat commutare.

2°. Irregularitatem ex defectu natalium tollit ex parte, nimirum ut possit Ordinari, & beneficium simplex obtinere. Cap. 1. de filiis Præbiter.

3°. Remittit pœnam peccatis debitam, non quidem ex opere operato, sed ex opere operantis opus præstantissimum ; ita D. Thomas q. 189. a. 3. ad 3.

Quæres 5°. *Utrum Religiosus, qui Ordinem amplexus est, in quo præcepta, & alia fundamentalia regulæ puncta, ritè non observantur, teneatur vivere secundum regulam, quamvis non intenderit, nisi vivere sicut vivunt, qui regulam quoad puncta illa & præcepta transgrediuntur ?*

*Resp. affirm. & Prob. ex Conc. Trid. sess. 25. de regularibus, cap. 1. ubi absque ullâ exceptione præcipit, ut omnes regulares, tam viri, quam mulieres, ad regulam quam professi sunt, præscriptum, vitam instituunt & componant ; atque imprimis quæ ad suam professionis perfectionem, aut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum respectivè essentiam, necnon ad communem victum & vestitum conservanda, pertinentia fideliter observent . . . . cum compertum sit : à Superiore non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ bases sunt & fundamenta totius regularis disciplinæ, exactè non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est.*



Ratio est, quia votum solemne non à solâ voluntate voventis pendet, sed ab intentione Ecclesiæ, quæ approbavit regulam, ad quam se adstrinxit; ergo non est in dispositione voventis, Religionem solemniter profiteri, hâc conditione, quòd regulam non observabit secundùm præcepta, & puncta fundamentalia, sed secundùm relaxationes quæ circa ea, dissimulatione Superiorum, irrepserunt, quas Ecclesia nunquam permittit, & in quibus Superiores dispensare non possunt.

*Dices*: D. Thom. in 4. dist. 38. art. 3. q. 1. ad 5. ait: *Qui interpretatum votum fecit; ad tria vota Religionis principalia in omni casu tenetur; sed ad alias observantias, quarum transgressio ex dissimulatione Prælatorum inducitur (qui dùm videntes non corrigunt, indulgere videntur) non videtur obligari.* Ergo non tenetur ad præcepta, & alia puncta regulæ fundamentalia, quæ ab aliis fideliter non observantur.

*Resp. nego consequ.* Quia D. Doctor loquitur tantùm de observantiis regularibus, in quibus Prælati regulares dispensare possunt, ut constat ex his verbis: *Dùm Prælati videntes non corrigunt, indulgere videntur* Tales sunt observantiæ illæ, quas 2. 2. q. 186. art. 9. ad 2. dicit non tradi in regulâ *per modum præcepti, sed proponi per modum ordinationis cujusdam vel statuti obligantis ad certam pœnam.* Ergo si quædam tradantur per modum præcepti, ad eorum observationem Religiosus tenetur in omni casu, tum quia in eis Prælati regulares non possunt dispensare; tum quia postquam D. Thom. hîc, in corp. dixit: *Transgressio horum trium (votorum) obli-*

gat ad mortale, addit: *Aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi vel propter contemptum regulæ, quia hoc directè contrariaretur professioni per quam aliquis vovit regularem vitam; cujus contemptus reus est, qui puncta regulæ fundamentalia transgreditur: vel propter præceptum, sive ore tenus à Prælo factum, sive in regulâ expressum, quia hoc esset facere contra obedientiæ votum; ergo.*

*Inst.* Ille Religiosus non intendit hanc Religionem amplectendo, nisi vivere sicut alii vivunt; ergo ad nihil ulterius tenetur.

*Resp. nego consequ.* Quia, ut supra dictum est, votum solenne non pendet à solâ voluntate voventis, sed & ab intentione Ecclesiæ Religionem approbantis; atqui est intentio Ecclesiæ, ut præcepta & puncta fundamentalia regulæ, fideliter observentur, ut constat ex Greg. XIII. cui, cum Patres Concilii Rothomagensis, an. 1581. celebrati, sequens dubium proposuissent: *Circa decretum de clausurâ Monialium, sunt quæ ex fundatione dicunt liberum sibi relinqui exitum & introitum Monasterii: aliæ prætexunt se non emisisse votum clausuræ, nec unquam ingressuras Monasterium, si audivissent illam fuisse clausuræ obligationem, & per parentes nobiles necem etiam Episcopis intentant, si ausi fuerint egressum prohibere. In his perplexitatibus supplicatur, quid agendum, maximè ubi timetur, ne per clausuram aliquid deterius contingat.* Respondit Pontifex: *Executioni demandentur decreta Concilii Tridentini, & Bullæ summorum Pontificum, quibus sublata sunt omnia privilegia, & fundationes.*

## C A P U T Q U A R T U M.

*De Professorum obligationibus.*

*Nota:* **P**Ræter obligationes generales Clericorum, de quibus egimus initio hujus Tractatus, & quibus strictiori modo subjiciuntur Religiosi, sunt aliæ ipsis speciales, quæ ortum ducunt ex tribus votis solemnibus, de quibus agemus, tribus Quæstionibus.

## Q U Æ S T I O P R I M A.

*De Obedientiâ Religiosâ.*

Quæres 1<sup>o</sup>. **Q**uid sit Obedientia Religiosa?

*Resp.* Est votum solenne quod Religiosus promittit obedientiam Superiori, in omnibus quæ cadunt sub virtute obedientiæ. Duplex est: nempe:

Obedientia materialis, & est virtus, inclinans ad executionem operis præcepti, non quæ præcepti; sed propter aliud motivum honestum, v. g. propter intrinsecam operis præcepti honestatem, &c. Hæc obedientia est sufficiens.

Obedientia formalis, quæ est virtus inclinans ad executionem operis præcepti, quæ præcepti.

Inobedientia materialis, est violatio præcepti, sine expressâ intentione illud violandi. Hæc reperitur in omni peccato. Inobedientia formalis, est violatio præcepti, cum expressâ intentione violandi præceptum, vel præcipientem contemnendi.

Quæres 2<sup>o</sup>. Ad quid teneatur Religiosus vi voti obedientiæ?

*Resp.* 1<sup>o</sup>. Tenetur ad servandam regulam,



DE OBLIGATIONIBUS, &c. 493  
secundum vim obligationis ejus, in unaquaque  
Religione receptam.

*Resp.* 2°. Tenetur obtemperare Superiori in omnibus quæ præcipit consentaneè ad regulam, Constitutiones, & regularem observantiam; & quidem si præcipiat *in virtute sanctæ Obedientiæ*, tenetur obedire sub peccato mortali: tunc enim Superior intendit illum obligare quantum potest, atque adeò sub peccato mortali; si autem hac formâ præcipiendi non utatur, non videtur velle obligare sub mortali, sed tantum sub veniali, nisi transgressio aliundè fiat mortalis, v. g. propter contemptum.

*Resolv.* 1°. Religiosus tenetur servare nova Capitulorum statuta, quia spectant ad regularem observantiam.

*Resolv.* 2°. Religiosus, in Religione relaxatâ, tenetur obedire Prælati, eam reformare studentibus in his quæ necessaria sunt ad observationem regulæ, sive relaxatio fuerit introducta antè, sive post ejus professionem. Ratio est, quia hæc ad statum Religiosum, quem amplexus est, sunt essentialia.

Dixi, *in his quæ sunt necessaria ad observationem regulæ*, quia quoad alias observantias regulares, quæ sunt observationi regulæ accidentales, reformationem quidem acceptare tenetur, si relaxatio post ejus professionem fuerit introducta, non autem si ante ejus professionem. Ratio est, quia suum institutum quoad accidentalia observare tenetur, prout professus est, non aliter.

*Resolv.* 3°. Religiosus tenetur Prælato obtemperare, etiam cum periculo vitæ, si bonum

Religionis id postulet, v. g. Fratribus peste infectis infervire. Item, tempore pestis Religiosus mendicans, cujus institutum est spirituali proximorum saluti incumbere, tenetur obedire Superiori præcipienti ut sæcularibus peste infectis Sacramenta ministret, si deficiat Parochus, vel alius Sacerdos ad id destinatus; quia hoc est secundum suam regulam, cum Mendicantes, vi sui statûs, Episcoporum sint coadjutores, ut colligitur ex jure, cap. Dudum, de sepult.

*Resolv.* 4°. Superiores Regularium possunt præceptis suos inferiores, ubicumque terrarum existentes, obligare, fugitivos propriâ auctoritate capere; quia potestas in suos illis competit, non ratione territorii, sed ratione personalis obligationis ex voto obedientiæ.

*Resp.* 3°. Religiosus tenetur obedire Papæ in omnibus, in quibus tenetur suis Prælatibus regularibus obtemperare; nam votum obedientiæ per se primò, ac principaliter fit summo Pontifici, tanquam supremo omnium Religionum Præposito Generalissimo.

*Quæres* 3°. *Quandonam inobedientia est mortalis?*

*Resp.* 1°. Inobedientia formalis, semper est mortalis, etiamsi præceptum sit de re levi, juxta illud Apostoli, Rom. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit;* & illud Christi: *Qui vos spernit, me spernit,* Luc. 10. Contemnere autem Deum etiam in re levi, est grave peccatum,

*Resp.* 2°. Inobedientia materialis, est mortalis, si materia præcepta sit gravis; venialis verò, si materia præcepta sit levis: ita communiter Doctores.

## Q U Æ S T I O S E C U N D A.

*De Castitate religiosâ.*

Quæres. *Q*uid sit Castitas religiosa?

*Resp.* Est votum solemne, quo Religiosus promittit abstinentiam perpetuam à voluptatibus carnalibus illicitis, & aliâs licitis.

Dicitur 1<sup>o</sup>. *A voluptatibus carnalibus illicitis:* tum internis v. g. à turpi cogitatione, desiderio, &c. tum externis, v. g. aspectu, tactu, &c. undè quidquid in sæculari, extra conjugium, est peccatum contra castitatem, est insuper in religioso sacrilegium contra votum, ac proindè duplicem habens malitiam: ità tamen ut malitia Sacrilegii sit mortalis in iis actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis; venialis verò, in quibus illa est venialis.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *Et aliâs licitis:* Quia Religiosus nec licitè, nec validè potest contrahere matrimonium.

## Q U Æ S T I O T E R T I A.

*De Paupertate religiosâ.*

Quæres 1<sup>o</sup>. *Q*uid sit paupertas religiosa?

*Resp.* Est votum solemne, quo Religiosus promittit abdicationem omnis dominii, proprietatis, usûsque independentis à voluntate Superioris.

Dicitur 1<sup>o</sup>. *Quo Religiosus:* non autem Monasterium, nam ex Trid. sess. 25. c. 3. de Regular. *Exceptis domibus fratrum sancti Francisci Capucinorum, & eorum qui Minorum de observantiâ vocantur;* cæteri, absque religiosæ paupertatis læsione, aliquid possidere possunt in communi.



Dicitur 2°. *Promittit abdicationem*, in perpetuum, per renuntiationem possessorum, & in posterum possidendorum.

Dicitur 3°. *Dominii, proprietatis*: per quod auferitur Religioso jus disponendi de re pretio æstimabili, tanquàm suâ; eam scilicèt, independenter à Superiore, recipiendo, retinendo, emendo, commodando, &c.

Dicitur 4°. *Usûsque independentis*: quia usus independens proprietatem arguit; undè jure merito à Trid. c. 2. de Regular. damnantur, tanquàm veri proprietarii, non solum ii qui sine Superioris licentiâ de rebus mobilibus disponunt, sed etiam illi qui iisdem, absque eâdem licentiâ, utuntur.

Colliges eos læsæ paupertatis esse reos, qui de rebus Communitatis, vel ad usum sibi concessis, pro libitu, tanquàm de suis, disponere præsumunt. Tales sunt qui independenter à Superiore.

1°. Aliquid, etiam pro communitate recipiunt, vel retinent. cap. 6. de statu Monachor.

2°. Qui aliquid dant, vel expendunt, sine licentiâ Superioris, ibidem. Hinc si Religiosus aliquid sine licentiâ validâ Superioris donet, accipiens tenetur illud restituere Religioni, cum donatio sit irrita.

3°. Qui aliquid commodant, permutant, &c. quia sunt actus proprietatis.

4°. Qui rem, cum licentiâ acceptam, abscondit, ne Superior eam auferat, vel licentiam datam revocet. Item, qui murmure Superiorem impedit, ne rem concessam repetat; vel conqueritur, tanquàm de injuriâ, dùm Superior

rior aliqua ei aufert. Ratio est, quia ista omnia sunt actus sibi usurpantis usum independentem, cujus est incapax per votum paupertatis, ut constat ex jure. Cap. 4. & 6. de statu Monachor.

5°. Qui rem sibi concessam non dimittit statim atque Superior licentiam datam revocat; quia jam eam haberet sine licentiâ. Ibid. cap. 6.

6°. Qui res Monasterii, aut res sibi concessas, ut vestis, oleum, &c. dilapidant, prodigaliter consumunt, negligenter tractant; quia res illæ tribuuntur tantum ad consumptionem necessariam vel utilem, non autem ad destructionem negligentiam acceleratam, & Monasterio damnosam.

7°. Qui in rerum usu, aut dispensatione, limites honestatis, aut paupertatis religiosæ notabiliter excedunt, sive sint inferiores, sive Superiores; tales sunt qui habent superflua, qui pecuniam, & similia in usus suos concessa, in res turpes, vanas & inutiles expendunt; idque verum est, etiamsi Superior consentiat, nam Superior tales usus, nec licite, nec valide concedere potest, cum repugnent statui pauperis, & à Canonibus prohibeantur, Clem. 1. statu Monac. Hinc qui rem, vel pecuniam notabilem ludo exponit, etiam cum Superioris licentiâ, gravi proprietatis crimine reus constituitur.

8°. Qui à sæculari invitatus, manducat aut bibit sine licentiâ Superioris; quia Religioso non licet uti ullâ re temporalis pretio æstimabili sine licentiâ Superioris, comestio autem & potatio, est res temporalis pretio æstimabilis.

Quæres 2°. *Quænam licentia Superioris requiritur, ut Religiosus possit uti rebus temporalibus?*

*Nota*: Quadruplex est Superioris licentia ; nempe , *Expressa* , quæ verbo , scripto , aliove signo apertè conceditur.

*Virtualis* , quæ expressæ æquivalet ; sic cui committitur officium , permittuntur & actiones ad ejus executionem requisitæ.

*Tacita* , quæ ex circumstantiis verisimiliter creditur adesse ; ut cùm Prælati , sciens inferiores aliquid accipere , retinere , donare , non prohibet cùm facillè possit : nam tunc tacitè consentire censetur ; secùs si difficilè impedire posset , eò quòd v. g. timeret ne domus turbaretur Religiosi quærelis ; tunc enim merè tolerat , non concedit , undè non excusatur Religiosus.

Notat hìc Lessius , l. 2. c. 41. dub. 9. quòd *in Monasteriis benè ordinatis non conceditur facultas tacita , vel generalis , nisi in rebus minoris momenti & crebrò occurrentibus.*

*Præsumpta* , seu interpretativa , est ea , quâ , justâ causâ occurrente , concluditur ; quòd Superior vellet , si statum rei sciret. His notatis ,

*Resp.* 1<sup>o</sup>. Sufficit ut licentia Superioris sit *virtualis* , aut *tacita* ; quia illæ licentiæ sufficiunt , ut actus Religiosi sint dependentes : requiritur tamen *expressa* , 1<sup>o</sup>. dùm agitur de re gravi , nec urget necessitas ; 2<sup>o</sup>. dùm facilis ad Superiorem patet recursus.

*Resp.* 2<sup>o</sup>. Licentia *præsumpta* non sufficit , nisi cùm causâ urget , & Superior non potest tunc adiri ; ita ut censeatur concedere licentiam , licet non petatur. Ratio est , quia Superior approbare non debet inferiores licentiam suam sic facile interpretari ; quia , admittâ universaliter hanc *præsumptione* , inferiores ferè semper , pro



libitu, de rebus tanquàm suis disponerent, cum gravi damno religioſæ diſciplinæ, quod ex officio tenetur impedire Superior.

Porro, qui aliquid, ex licentiâ Superioris præſumptâ, recepit, tenetur poſteà, ubi primùm poteſt petere licentiam ut illud retinere poſſit, quia licentia non minùs ad retinendum, quàm ad recipiendum requiritur.

*Reſp.* 3°. Licentia debet eſſe omninò voluntaria & libera: hinc ſi ſit per vim, metum, fraudem, obtenta; vel ſi procedat ex errore, eſt nulla; & qui eâ utitur, eſt proprietarius.

Quæres 3°. *An peculium; ſeu penſio annua Religioſis ſit licita?*

*Reſp.* Censent communiter Doctores, peculium Religioſorum eſſe licitum ſub his conditionibus.

1°. Quòd conſtituatur ex licentiâ Superioris expreſſâ & ad nutum ejus ſit revocabile, & applicabile ad uſus Monafterii ſi indigeat.

2°. Quòd ſit incorporatum, quoad dominium & proprietatem, cum communibus bonis Monafterii.

3°. Quòd in diſpoſitione ac poteſtate Religioſi non maneat, ſed apud Superiorem aut Procuratorem.

4°. Quòd in uſus pios & licitos, juxta paupertatis religioſæ limites, expendatur cum licentiâ Superioris.

5°. Quòd ex juſtâ cauſâ permittatur, quæ cauſa petitur, tum ex parte Religioſi, qui propter infirmitatem ſenium, &c. particularibus indiget; tum ex parte Monafterii ita indigentis, ut omnia ſubditis ſuis neceſſaria, & honeſtas commoditates ſuppeditare non poſſit.

Ratio cur peculium cum his conditionibus sit licitum, est quòd proprietas non sit penès Religiosum, sed simplex usus licitus dependens à voluntate Superioris.

*Dices: Peculium Religiosorum est illicitum ex Trid. Sess. 25. c. 2. de Regul. prohibente Ne deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum & usum; ergo.*

*Resp. nego ant.* Trid. prohibet tantùm illud peculium quod extra manus Superioris aut Monasterii possidetur, quod proprietatem sonat; undè addit ibid: *Nemini liceat bona tanquàm propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur.*

*Quæres 4<sup>o</sup>. Quæ summa requiratur, ut Religiosus peccet mortaliter, peccato proprietatis, accipièdo, aut expendendo sine licentiâ Prælati?*

*Resp.* Requiri eandem quantitatem quæ sufficeret ut aliquod furtum laici sit mortale; cùm appropriatio facta à Religioso sit furtum, quia contrectat rem alienam invito vel inscio Superiore, quòd est injustum & sacrilegum.

Porro spectandæ sunt leges cujuscumque Instituti; quia fieri potest, ut quod fortè non est grave contra paupertatem religiosam spectatam in genere, sit grave contra paupertatem, ut est propria talis, vel talis Religionis. Sic in Capucinatorum Ordine, per decretum factum in Capitulo generali habito Romæ anno 1662. consentientibus omnibus Patribus ibi congregatis, statutum fuit 15. asses esse sufficientem materiam peccati mortalis furti, & proprietatis.

*Quæres 5<sup>o</sup>. Quænam sint pænæ proprietario-  
rum?*

*Resp.* Præter peccatum mortale reservatum, quod incurrit proprietarius, sunt tres.

1<sup>a</sup>. Ut recludatur ad agendam pœnitentiam. cap. 6. de statu monachor.

2<sup>a</sup>. Ut privetur voce activâ & passivâ ad bien-  
nium, atque etiam juxta suæ Regulæ & Ordinis  
Constitutiones puniatur. Trid. c. 2. de Regular.

3<sup>a</sup>. Ut Ecclesiasticâ sepulturâ privetur. Quæ  
pœnæ non sunt latæ, sed ferendæ sententiæ.  
cap. 4. & 6. de statu monachor.

## C A P U T Q U I N T U M.

### *De Religionis egressu.*

Quæres 1<sup>o</sup>. *A*N Summus Pontifex possit dispensare in votis solemnibus?

*Resp.* Potest ex gravi causâ, constatque ex  
Constitutionibus Bonif. VIII. & Greg. XIII. cap.  
unico, de voto in 6. Bullâ, *Ascendente Domino*,  
ubi sic loquuntur: *Nos igitur attendentes, quod  
voti solemnitas ex solâ constitutione Ecclesiæ est  
inventâ; atqui Papa in jure Ecclesiastico potest  
dispensare; ergo.*

*Dices:* Juxta Innoc. III. cap. 6. De statu  
Monach. *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia  
castitatis, aded est annexa Regulæ Monachali,  
ut contra eam nec summus Pontifex possit licen-  
tiam indulgere; ergo non potest dispensare.*

*Resp. dist. conseq.* Non potest dispensare in  
votis solemnibus cum Religioso, manente in  
statu Religiosi professi, *conc.* cum Religioso ex-  
tracto è statu Religiosi professi, *nego.* Papa enim,  
de plenitudine potestatis, potest aliquem extra-  
here è statu Religiosi ad contrahendum matri-



monium ob gravem causam , v. g. ut pax & Religio in regno firmentur.

Hinc solemnitas votorum in eo consistit ex institutione Ecclesiæ , ut vota emittantur sub certâ regulâ à Sede Apostolicâ approbatâ , cum traditione & acceptance ex utrâque parte perpetuis , & viâ ordinariâ indissolubilibus.

Quæres 2°. *An liceat ex unâ ad aliam Religionem transire ?*

*Resp.* Omnibus Regularibus jure concessum est , ut possint ad Religionem arctiorem transire , ut statuitur cap. *Licet* , de regular. Hic tamen transitus non est laudabilis , cum moneat Apostolus , ut *Quisque in vocatione , in quâ vocatus est , permaneat* , 1. Cor 7. Undè Conc. Trid. Sess. 14. cap. 11. de ref. statuit ut translatus ad aliam Religionem , etiam arctiorem , sit incapax beneficiorum sæcularium , etiam curatorum , & perpetuò maneat in claustro , sub obedientiâ Superioris.

*Nota :* Ut sit validus hic transitus , duo requiruntur à jure. 1°. Ut licentia transeundi petatur à Prælato , qui tenetur eam concedere ; quòd si eam recuset , hoc ipso jus concedit. cap. *Licet* , De Regul. 2°. Ut expleat annum probationis completum , quia Trid. generatim hunc annum requirit. Sess. 25. cap. 15. De Regul. quo expleto debet profiteri. Sess. 14. cap. 11.

Quæres 3°. *An Religiosus factus Episcopus , eo ipso à tribus votis , cæterisque regularibus observantiis sit liber ?*

*Resp.* *negat. quoad tria vota :* Nam ex cap. 6. De statu Monachorum , obligatio votorum est de intrinsecâ ratione Religionis ; sed Religiosus

per Episcopatum non desinit esse Religiosus ; ergo his votis non liberatur.

Hinc Religiosus factus Episcopus, tenetur vi voti obedientiæ, præstare eandem obedientiam, non quidem Prælati regularibus, cum desierit esse eorum subditus, ut ait D. Thom. q. 185. a. 8. ad 3. sed Summo Pontifici omnium Religionum supremo Superiori. Item, tenetur servare eandem castitatem, simul & paupertatem, secundum quam nullius rei verum dominium sibi comparare potest, sed Ecclesiæ cui præest.

*Resp. 2º.* Quoad observantias regulares, ad ipsas non tenetur: ratio est, quia ut teneatur ad observantias regulares, debet esse subiectus regulæ & Prælati regularibus; atqui Religiosus, factus Episcopus, non est subditus Regulæ & Prælati regularibus, ut constat ex cap. *Statutum* 18. q. 1.

Quæres 4º. *An aliquis possit à Religione ejici, & quas ob causas?*

*Resp. ad 1ºum.* Affirmativè, hoc enim statuitur cap. 6. De statu Monachor. & ratio est, quia melius est ut pereat unus, quàm unitas.

*Resp. ad 2ºum.* Sunt tres causæ propter quas Religiosus potest ejici. 1ª. Est incorrigibilitas: cum nempe ter juridicè convictus de eodem crimine gravi, non se emendavit. Hæc sola, jure communi est expressa. Ibidem.

2ª. Est perpetratio criminis, propter quod in illâ Religione constituta est ejectio.

3ª. Est occultasse impedimentum, quod in illâ Religione censetur essentialiale. Ratio est, quia dolus dedit causam admissioni, ac proinde Monasterium non tenetur eum retinere.

*Dices* : Duæ causæ ultimæ non sunt in jure expressæ ; ergo.

*Resp. nego consequ.* Sufficit enim quòd approbatæ sint à Sede Apostolicâ , juris auctore , & fuerint intimatæ cuilibet ante professionem ; Constitutiones autem Religionum , has causas ejectionis decernentes , sunt approbatæ à summo Pontifice.

Quæres 5°. *An Superiores teneantur fugitivos & apostatas requirere & recipere ?*

*Nota* : Fugitivus , est is , qui sine Prælati sui licentiâ , spontè è Monasterio discedit , animo aliquandò ad illud revertendi. Apostata autem est is qui spontè à Religione discedit , animo nunquam ad eam redeundi.

*Resp.* Superiores ad hoc strictissimè , & subgravi peccato tenentur , prout statuitur c. à nobis , de Apostatis. Ratio est , quia tenentur in quantum possibile est , inferiorum suorum curare salutem , & ipsos ex statu perditionis eripere. Si tamen essent scandalosi , & aliis Fratribus periculosi , non tenerentur eos requirere ; si tamen spontè redirent , & esset spes emendationis , tenerentur eos recipere , propter rationem suprâ dictam.

Quæres 6°. *An Religiosus è Religione egredi teneatur , ut parentibus in gravi necessitate constitutis subveniat ?*

Dixi , *in gravi necessitate* ; quia si necessitas esset extrema , teneretur quocumque modo , etiam per Religionis egressum , eis subvenire.

*Resp. cum dist.* Vel filius , parentibus in gravi necessitate constitutis , professus est , vel parentes ex improvviso inciderunt in egestatem post filii professionem.



*Si 1um.* Filius tenetur egredi, si aliter eis subvenire non potest. Ratio est, quia ingredi non poterat, obligatione subveniendi jam contractâ.

*Si 2um.* Filius non tenetur egredi, nec potest, repugnante Prælato, ut docet D. Thom. q. 101. a. 4. ad 4. Ratio est, quia jam mutavit statum; ergo illi obligationi supervenienti non tenetur satisfacere, nisi quantum potest salvo statu; sicut si esset matrimonio conjunctus, non teneretur deserere uxorem ad subveniendum parentibus.

## CAPUT SEXTUM.

### *De Prælaturis Religiosis.*

Quæres 1<sup>o</sup>. *AN sit obligatio, sub mortali, eligendi digniorem in Superiorem regularium?*

*Resp. affirm.* Eadem est enim ratio de Superiore Religioso, ac de Episcopo & Parocho, cum sit animarum Pastor, & habeat inferiores, quos in viam salutis dirigere, imò & ad perfectionem promovere tenetur ex munere suo; ergo.

Quæres 2<sup>o</sup>. *Quænam sint obligationes Superioris Religiosorum?*

*Resp.* Tres assignamus præcipuas. 1<sup>o</sup>. Tenentur exemplo cæteris prælucere, communem in omnibus vitam agendo, observantiasque regulares ad amissim observando.

2<sup>o</sup>. Tenentur instruere suos inferiores & exhortari in doctrinâ sanâ, eosque promovere ad perfectionem propriam sui Instituti per observationem regulæ, Constitutionum, cæterarum-

que observantiarum regularium , quia ad hoc constituti sunt Superiores.

3°. Tenentur delinquentes prudenter corrigere , ne ignavè omnia dissimulantes , penitus ruat , aut labefactetur regularis observantia.

## CAPUT SEPTIMUM.

### *De variis quæstionibus Regularium.*

Quæres. *A*N licet mulieribus ingredi domos Religiosorum ?

*Resp.* Certum est non licere mulieribus ingredi , nec Superiori easmittere : nam id semper generatim , saltem ex consuetudine , vim legis habente , prohibitum fuit ; hinc graviter peccant mulieres in claustra virorum temerè ingredientes , nisi excuset mentis levitas , bona fides , & ignorantia.

Quæres 2°. *Quas pœnas incurrant mulieres ingredientes claustra virorum , & Religiosi eas in claustra introducentes ?*

*Resp.* In locis in quibus fuerunt receptæ Bullæ Pii V. & Gregorii XIII. incurrunt excommunicationem ipso facto Papæ reservatam ; Religiosi verò ipsas introducentes incurrunt ipso facto pœnam suspensionis à divinis , privationis Officiorum , & inhabilitatis ad alia officia obtinenda.

Dixi , *in locis in quibus fuerunt receptæ* : in aliis enim locis nullæ pœnæ incurruntur à mulieribus ingredientibus ; quia nullæ contra eas decretæ reperiuntur in universo corpore juris. Porro non fuerunt receptæ in galliâ , ut docent

communiter Doctores cum Pontas v. Monasterio, cas. 4.

*Nota.* tamen, Regulares Ordinum, in quorum Capitulis supradictæ Bullæ promulgatæ fuerunt, & usu receptæ (prout sunt apud nos,) qui mulieres in claustra sua introducunt, pœnis ac censuris in iisdem Bullis latis verè subjacere, cum apud eos plenam rationem legis obtineant.

Quæres 3°. *An liceat ingredi domos Monialium?*

*Resp.* Omnibus, tam viris, quàm fœminis cujuscumque conditionis, vel ætatis fuerint Conc. Trid. prohibuit sub excommunicatione ipso facto incurrendâ, ingredi monialium Monasteria sine licentiâ Episcopi, vel Superioris in casibus necessariis, Trid. sess. 25. c. 15. de regularibus. Hæc censura non est reservata.

Quæres 4°. *Quibus in casibus, Regulares exempti, Episcoporum jurisdictioni subiaceant?*

*Resp.* Circa hanc quæstionem sequentia sunt tenenda.

1°. Regulares, extra claustra degentes, quales sunt fugitivi, apostatæ, si deliquerint, puniri possunt ab Episcopo, tanquàm Apostolicæ sedis delegato. Trid. ibid. c. 14.

2°. Regularis notoriè scandalosus populo, si instante Episcopo, à suo Superiore non puniatur intra tempus ab ipsomet Episcopo præfixum, ab ipso Episcopo puniri potest. Trid. sess. 25. c. 14. de Regul.

3°. Regulares non possunt indulgentias populo promulgare, citra Ordinarii licentiam & approbationem, Trid. sess. 21. c. 9. de ref.

4°. Non possunt in propriis Ecclesiis exponere



sanctissimum Sacramentum absque consensu ,  
saltem tacito , Episcopi. Ita declaratio Card.  
Conc. Trid. interpr.

5°. Ab Episcopo compelli possunt , ut ad  
publicas processiones indictas , accedant ; & si  
aliqua de præcedentibus suboriaturo controversia ,  
breui manu ab ipso est componenda. Sess. 25.  
c. 13. de Regular.

6°. Tenentur censuras & interdicta ab Episcopo  
promulgata , in suis Ecclesiis publicare , ac  
servare ; item , servare dies festos , quos Episcopus  
in suâ Diœcesi servandos præceperit. Trid.  
cap. 12. de Regular.

7°. Regulares , quibus cura animarum per-  
sonarum sæcularium imminet , sive in alienis ,  
sive in suis Ecclesiis , subsunt Episcopo , in iis ,  
quæ ad dictam curam , & Sacramentorum ad-  
ministrationem pertinent. Ibidem. cap. 11.

8°. Regulares , qui in alienis Ecclesiis , absque  
Episcopi licentiâ , concionari præsumunt , vel  
qui in suis Ecclesiis , ipso contradicente , con-  
ciones agunt ; vel qui inter concionandum er-  
rores & scandala in populum disseminant , ab  
eodem Episcopo puniri possunt. Trid. sess. 25.  
c. 2. de ref.

9°. Episcopi in his quæ pertinent ad clausu-  
ram Monialium conservandam , aut restituen-  
dam , in Monasteriis etiam exemptis , plenam  
habent auctoritatem , tanquàm sedis Apostolicæ  
delegati. Trid. cap. 5. de Regul.

Quæres 5°. *Quid sit dicendum de privilegiis  
Regularium ?*

*Resp.* Privilegia Regularium sunt concessa ,  
vel scripto , nempè in Bullis summorum Ponti-

DE OBLIGATIONIBUS, &c. 509  
ficum, vel ore tenus & vivæ vocis oraculo.  
Circa ea, sequentia sunt notanda.

1°. Omnia Regularium privilegia vivæ vocis oraculo concessa, à Gregorio XV. & Urbano VIII. fuere revocata.

2°. Privilegia scripta continentur in digesto, quod *Mare magnum* nuncupatur, quilibet enim Ordo habet suum mare magnum. Continentur etiam in Bullis post *Maris magni* collectionem.

3°. Privilegia omnia, expressè contraria Concilii Trid. decretis, penitus sunt revocata: quibus decretis sunt contraria quando ipsis superadditur hæc clausula: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis.*

4°. Privilegia, quæ non sunt expressè revocata per Conc. Trid. suum primitivum robur obtinent, definiente Trid. *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint & illæsa.* Trid. cap. 20. de Regularibus.

5°. Privilegiis uni Ordini concessis, cæteri Ordines communicant, ut expressè definierunt Leo X. Bullâ. *Dudum per nos.* Clemens VII. Bullâ, dum fructus uberes.

Hæc de Regularium privilegiis sufficiant, cum sit Prælatorum regularium, ea diligenter inquirere, & inferioribus exponere, ne hi falsum pro vero adoptantes, conscientiam suam erroris laqueo implicent, à quo vix sese extricare possent.


Quæres 6°. *Quenam sit Prælatorum regularium potestas circa inferiorum suorum absolutionem?*

*Resp.* Talis est, ut eos à quibusvis peccatis, censuris ac sententiis, tum notoriis, tum occultis, à jure vel ab homine quomodolibet latis &

promulgatis, absolvere possint vi privilegiorum à variis summis Pontificibus \* concessorum. Item vi privilegiorum à Clemente IV. Sixto IV. Julio II. Pio V. Gregorio XIV. concessorum possunt cum inferioribus suis dispensare in omni irregularitate, exceptâ eâ quæ provenit ex bigamiâ, membrorum mutilatione, & homicidio voluntario . . . Hanc autem potestatem dispensandi & absolvendi aliis delegare possunt, cum censeatur quasi ordinaria & officio suo annexa.

Quæres 7°. *Utrum Regulare salius quàm Confessariis sui Ordinis valeant confiteri?*

*Resp.* Cum existunt in loco ubi nullus Conventus, nullusque Confessarius Ordinis reperitur, possunt liberè ac licitè quemlibet Præsbyterum sæcularem ab Ordinario loci, vel regularem à suo Superiore regulari ad sacramentales Confessiones recipiendas approbatum, adire, atque ab illo absolvi. Ita pro Patribus Capucinis statuit Bened. XIV. Bullâ, *quod communi*, datâ an. 1742. die 30. Martii.



### D I S S E R T A T I O   I I I .

*De Obligationibus Parentum erga liberos, & inferiorum erga Superiores, & vicissim.*

*Nota.* **A** Gemus hîc de mutuis obligationibus. 1°. Parentum & liberorum. 2°. Tutorum & minorum. 3°. Dominorum & famulorum. 4°. Magistrorum & discipulorum.

\* *Clem. IV. Eug. IV. Sixt. IV. Alex. VI. Paul. III. Paul. V. Greg. XIII. Clem. VIII.*



## CAPUT PRIMUM.

*De Obligationibus Parentum erga liberos  
& vicissim.*

Quæres 1°. *Quanam sint obligationes parentum erga liberos?*

*Resp. Quatuor.* Parentes ex justitiâ debent filiis suis amorem, instructionem Christianam, exemplum, & correptionem.

*Contra amorem filiis debitum peccant.*

1°. Qui abortûs periculo sese exponunt. *Lege. 4. ff. de agnosc. liberis.*

2°. Qui pueros non curant alere, & convenienter sustentare. *Ibidem.*

3°. Qui eos abque urgenti necessitate in Xenodochiis collocandos exponunt. *Ibidem.*

4°. Qui quibusdam ex filiis omninò dediti, alios negligunt & acerbè tractant.

5°. Qui filios suos ad aliquem statum invitos cogunt, *Trid. cap. 18. de Regular. vel ab aliquo amplectendo invitos retrahunt. cap. puella, 20. q. 2.*

*Contra instructionis debitum graviter peccant.*

1°. Qui diligenter non curant filios suos per se, vel per alios rudimenta fidei edocere.

2°. Qui de rebus divinis nunquam, aut rarò cum ipsis sermonem habent.

3°. Qui permittunt eos liberitùs vivere, ludo & delectationibus immodicis affuescere, in peccandi occasione versari, &c.

4°. Qui non vigilant, ut manè & vesperè Deum orent, cæteraque vitæ Christianæ munia ritè obeant.

*Contra bonum exemplum filii debitum gravissimè peccant.*

1°. Qui coram filiis verba impudica, & blasphemias proferunt, quibus eos jurare, blasphemare, imprecari, obscœna loqui docent.

2°. Qui coram eis ebrietatem sectantur, ludos frequentant, &c.

3°. Qui filios aut filias secum dormire sinunt, vel in eodem cubiculo, in quo ipsi mariti cum uxoribus dormiunt. Conc. mediol. 2. p. tit. de cautione & cust.

*Contra correptionis debitum graviter peccant.*

1°. Qui filios delinquentes non objurgant, & cum oportet, moderatè non puniunt. Qui enim parcit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit, instanter erudit. Prov. 13. v. 24.

2°. Qui filiis suis libertatem relinquunt quævis frequentandi consortia; cum tamen maximum ipsis periculum immineat à consortio majorum. Quare Prov. 1. v. 10. dicitur: *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Prohibe pedem tuum à semitis eorum, pedes enim eorum ad malum currunt.*

3°. Qui filiis & filiabus suis permittunt consortia diversi sexûs; cum in illis castitatem, etiam infantium, periclitari norunt, qui eorum confessionibus audiendis versati sunt. Quare D. Jeron. Epist. ad Gaudentium, ait: *Nesciat puella, imò timeat cum pueris ludere.*

4°. Qui filiis & filiabus permittunt lectionem romanorum, vel frequentationem spectaculorum minùs honestorum, in quibus mundi spiritus imbibitur, amor obscœnus sensim sine sensu inspiratur, devotionis spiritus extinguitur.

5°. Qui,

5°. Qui, erga ipsos nimium severi, ipsos ad iracundiam provocant.

6°. Qui magis irâ, quàm charitate, magis phantasiâ, quàm ratione, in ipsos sæviunt.

Quæres 2°. *Ad quid obligentur liberi erga parentes?*

*Resp.* Debent parentibus amorem, reverentiam, & obedientiam, nam hæc tria juxta omnes continet hoc præceptum naturale, *Honora patrem tuum & matrem tuam, &c.* Deut. 5. & Math. 19.

*Contra amorem graviter peccant, & quidem peccato distincto ab eo quod aliundè committunt*

1°. Qui parentibus signa odii ostendunt, vel signa amoris nunquàm, aut rarò dant.

2°. Qui ipsos durè tractant; de ipsis erubescunt; aliquid agunt, vel omittunt ex quo prævident parentes contristandos, vel in gravem iram excitandos esse, licèt illud de se non sit peccatum. Quæ omnia prohibentur Eccli. 3. v. 14. *Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vitâ illius, &c.*

3°. Qui ipsis non subveniunt in necessitate spirituali vel corporali, v. g. qui ipsos non visitant, si sint infirmi; non provident de necessariis, si sint egeni, &c. Crimen istud infame dicitur Eccli. 3. v. 18. *Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem.*

*Contra reverentiam debitam, graviter peccant*

1°. Qui parentes spernunt, irident, contumeliis afficiunt, torvis oculis aspiciunt, &c. juxta illud Prov. 30. v. 17. *Oculum qui subsannat patrem . . . comedant eum filii aquilæ.*



2<sup>o</sup>. Qui eos percutiunt, etiam leviter, imò qui ipsis minantur, aut contra ipsos manum elevant, etsi sine animo percutiendi; in his enim est gravis in parentes irreverentia & injuria, hoiſque Deus dignos morte declarat Exod. 21. v. 15. *Qui percusserit patrem aut matrem, morte moriatur.*

*Contra obedientiam debitam graviter peccant*

1<sup>o</sup>. Qui parentibus obedire nolunt in iis quæ spectant ad domesticam administrationem, vel bonos mores, in his enim subditi sunt parentibus.

2<sup>o</sup>. Qui in contrahendo matrimonio parentum consensum non postulant, aut illud contrahunt ipsis rationabiliter invitis. Ratio est, quia honor parentibus debitus in eo partim consistit, quod ipsorum consilium à filiis suis & filiabus requiratur in rebus magni momenti, & quando totius familiæ interest, uti interest dùm uxor ducenda est, vel maritus accipiendus. Si tamen injustè consensum denegent, licitè filii contrahere possunt, post juridicè postulatum, licèt non obtentum consensum, ut dicitur in Tract. de Matrim.

## CAPUT SECUNDUM.

*De obligationibus Tutorum, Curatorum, Minorum, &c.*

*Nota* 1<sup>o</sup>. **T**utor, est is cui commissa est cura pupilli, & bonorum ejus. Curator verò est is qui assignatur Minori præcipuè in curam bonorum ejus.

Inter Tutorem igitur & Curatorem, illud tan-

tum discriminis intercedit, quòd Tutor detur principaliter in curam personæ, & secundariò in curam bonorum impuberis: Curator verò detur principaliter in curam bonorum, & secundariò in curam personæ puberis.

Quæres 1°. *Quanam sunt obligationes Tutoris, & Curatoris?*

*Resp.* 1°. Tutor, cùm erga pupillum vices patris gerat, tenetur

1°. Curam gerere pupilli, ejus personam tueri, Christianè educare per se, vel alios, & dare operam, ut artem sibi convenientem addiscat.

2°. Tenetur bona pupilli curare, & fideliter ac diligenter administrare, si opus fuerit.

*Resp.* 2°. Curator tenetur fideliter ac diligenter bona minoris administrare, & iasuper ejus personæ & educationi invigilare cùm opus fuerit.

Hinc si Tutor, vel Curator, in administratione suæ tutelæ, sint graviter negligentes, peccant mortaliter, & tenentur ad compensationem damni, quia peccant contra proprium officium, proindèque contra justitiam.

Quæres 2°. *Quanam sunt obligationes Pupilli & Minoris?*

*Resp.* Tenentur Tutoribus ac Curatoribus suis exhibere amorem, reverentiam & obedientiam, in iis quæ ad eorum tutelam spectant, velut parentibus, quorum locum illi tenent.

## CAPUT TERTIUM.

*De obligationibus Dominorum & famulorum  
erga se invicem.*

Quæres 1°. **Q**uænam sint obligationes Dominorum erga famulos?

*Resp.* Domini famulis, sicut patres filiis, debent cum proportione, amorem, instructionem, exemplum, correctionem, & insuper justum stipendium, juxta illud Apost. Coloss. 4. *Domini, quod justum est & æquum, servis præstate.*

In quibus peccent contra amorem, instructionem, &c. facile colligitur ex dictis de peccatis patrum circa easdem obligationes erga filios. Restat ut dicamus ipsos peccare contra debitum solvendi justii pretii.

1°. Cum famulos infra infimum pretium conducunt.

2°. Cum mercedem, justè conventam, eis non suppeditant, aut solvere differunt.

3°. Cum damna, absque eorum culpâ, contingentia eos solvere cogunt.

4°. Cum famulum conductum, ante terminum constitutum dimittunt, prout dicitur ubi de contractu locationis, tom. seq.

Quæres 2°. *Quænam sint obligationes famulorum ergo Dominos?*

*Resp.* Debent Dominis, amorem, reverentiam, obedientiam, in his quæ spectant famulatum, & insuper fidelitatem, tùm in remanendo apud Dominum usque ad tempus conductum, tùm in rectè gerendo negotia Dominorum.

*Contra fidelitatem peccant famuli.*



1°. Qui Dominis rationabile obsequium non, vel negligenter reddunt, & tenentur restituere partem stipendii, pro ratâ laboris omissi.

2°. Qui secreta familiæ aliis revelant.

3°. Qui grave damnum Dominis inferri permittunt, cùm impedire possint; item, qui Dominos de damnis ipsis, ab aliis, sive extraneis, sive confervis suis illatis, monere negligunt, in quibus casibus tenentur ad restitutionem, ut dicitur tom. 5. ubi de Restit.

## CAPUT QUARTUM.

*De obligationibus Magistrorum & discipulorum.*

Quæres 1°. **Q**uænam sint obligationes Magistrorum erga discipulos?

*Resp.* Magistri discipulis, sicut patres filiis, debent amorem, correctionem, exemplum, & specialiter doctrinam.

*Contra debitum discipulos doctrinâ instruendi, peccant Magistri;*

1°. Qui discipulorum progressum in litteris non sedulò promovent.

2°. Qui non satis student, ut rectè officio fungantur.

3°. Qui sine causâ scholam omittunt.

4°. Qui scientiam aut artem, quam profitentur, eos diligenter edocere negligunt; ad quam edocendam si stipendium suscipiant, ad restitutionem tenentur.


Quæres 2°. *Quænam sint obligationes discipulorum?*

*Resp.* Debent Magistris, amorem, reverentiam, & obedientiam, in his quæ ad bonos

mores, & studia spectant; contra quam peccant:

1°. Si à scholâ absint sine justâ causâ.

2°. Si tempore studiis destinato, lusui vacent vel otio; & quidem mortaliter, si studia notabiliter negligant.



## DISSERTATIO IV.

*De obligationibus personarum Judicialium & Forensium.*

*Nota:* **A**D judicium concurrunt, Judex, Actor, Testes, Reus, Advocatus, Referens, Procurator, Notarius, Scriba, & Apparitor, de quorum obligationibus sub diversis titulis agemus.

---



---

### CAPUT PRIMUM.

*De Judice.*

Quæres 1°. **Q**uid sit Judex?

*Resp.* Est persona publica, habens legitimam potestatem juris dicendi.

Quæres 2°. **Q**uot sunt obligationes præcipuæ Judicis?

*Resp.* Sunt quinque, 1°. *oblig. est*, ut habeat jurisdictionem in personas judicandas, & in causam; alioquin est reus usurpatione judicii, peccatque contra justitiam, & ejus sententia est irrita. cap. 4. de Judic.

2°. *Oblig. est*, ut habeat scientiam sufficientem ad munus suum rectè obeundum, juxta il-

DE OBLIGATIONIBUS, &c. 519  
Iud Psalmistæ : *Erudimini , qui judicatis terram* , Pſal. 2. v. 10.

*Resolv.* 1°. Nullus officium Judicis suscipere debet , nisi scientiâ competenti sit præditus ; vel nisi brevî eam acquirere possit & conetur , & interea à judicio ferendo abſtineat , aliàs se exponeret periculo nocendi partibus.

*Resolv.* 2°. Judex , ex imperitiâ injustè judicans , tenetur compensare totum damnum inde litigantibus obveniens , sive in substantiâ litis , sive in supervacaneis impensis.

3a. *Oblig. est* , ut habeat constantiam & virtutem ad munus Judicis exercendum , juxta illud Eccli. 7. v. 6. *Noli querere fieri Judex , nisi valeas virtute irrumperere in iniquitates , ne forte extimescas faciem potentis , & ponas scandalum in iniquitate tuâ.*

4a. *Oblig. est* , ut justitiam & integritatem in omnibus conservet.

*Contra justitiam peccat Judex* , 1°. Qui sententiam protrahit ; præcipit enim jus , ut celeriter feratur. cap. 2. de sent. & re judicatâ.

2°. Qui sententiam fert ambiguam , undè ad novas interpretationes , cum dispendio partium , devenire necesse est.

3°. Qui in re evidenter justâ , unum litigantium ad compositionem accedere , fraudulenter sub prætextu dubii eventûs , inducit.

4°. Qui munera suscipit pro ferendâ sententiâ , sive injustâ , ut patet , sive etiam justâ. Ratio est , quia ex officio tenetur ferre sententiam justam ; undè si aliquid pro eâ ferendâ recipiat , vendit quod suum non est.

*Contra integritatem peccat Judex* , qui recipit



munera, etiam liberaliter, & sine ullo onere à partibus oblata; quia *Dona excæcant oculos Judicum*, Eccli. 20. Undè Judicibus recipere munera prohibet utrumque jus canonicum & civile (\*).

5°. *Oblig. est*, ut judicet secundùm Leges, tùm quoad modum procedendi, ordinem & formam judicii, tùm quoad sententiam ferendam & exequendam; cap. 1. de Constitut. Ratio est, quia ad hoc constitutus est à Republicâ vel Principe.

Hinc 1°. Judex non potest quemquam condemnare inauditum & sine testibus. Clem. 1. de Sent. & re judicatâ.

2°. Non potest uti scientiâ injustè contra juris ordinem acquisitâ; v. g. si crimen detexit interrogatione factâ ubi nulla præcesserat infamia, vel semiprobatio, aut indicia sufficientia; item, si dolo (promissione, v. g. impunitatis) reum induxerit ad confitendum crimen. Ratio est, quia reo facta injuria continuatur & augetur usu cognitionis taliter acquisitæ.

3°. Non potest absque legitimâ causâ pœnam à legibus statutam notabiliter minuere, vel augere.

4°. Non potest, absque præcedente infamiâ, vel semi-probatione, instituire specialem de personâ inquisitionem; cap. 21. & 23. de accusat. Ratio prohibitionis est, quia per illam inquisitionem quis suspectus & infamis reddetur.

(\*) *Cap. 10. de vita & honest. Cler. Cap. 11. de rescript. in 6. .... l. 18. de officio præsid. . . . authent. Ut judices sine quoquo suffragio; &c.*

Dixi, *Inquisitionem specialem de personâ*: quia, cum crimen certè est commissum, de eo potest & debet inquiri specialiter, & de personâ generatim.

5°. Non potest, absque gravibus indiciis, reum torturæ subicere, aliàs *Confessio inde habita est nulla, etiamsi sequatur ratificatio*, lege penult ff. de quæst. à parit. rationis.

6°. Non potest subicere torturæ eos qui jure torqueri prohibentur; tales sunt impuberes, senes, prægnantes, viri illustres eorumque filii, doctor ejusque liberi, miles, qui (nisi in criminibus exceptis, hæresis scilicèt & læsæ Majestatis) non possunt torqueri, *L. Non est dubium*, cod. de Legibus. Possunt tamen terri verbis, & torturâ comminari, & si fateantur crimen, valet confessio tanquàm spontanea. Lege 15. ff. de injuriis.

Quæres 3°. *Utrùm Judex possit capite damnare eum, quem certò cognoscit innocentem, si per testes legitimè probetur reus?* Affirmat D. Thomas, negat D. Bonaventura.

Dixi, *Capite damnare*: quia in causis civilibus, & in iis in quibus agitur tantùm de pœnis pecuniariis, Judex potest judicare secundùm allegata & probata. Ratio est, quia Respublica habet dominium altum in bona privatorum, vi cujus potest de illis disponere quando bonum commune id requirit; atqui bonum commune id requirit, in præsentî casu, ne scilicèt forma publicorum judiciorum, cum populi scandalo, pervertatur; ergo.

*Resp. Itaque negat.* Quia intrinsecè malum est aliquem occidere sine auctoritate; atqui Judex

nullam habet auctoritatem in vitam innocentis ; hanc enim auctoritatem ei non potuit communicare Respublica , cùm nec ipsa talem habeat , sed solus Deus ; ergo.

Et verò quando dicit Scriptura , *Non mæchaberis* , vetat accessum ad non suam , etiamsi in iudicio probetur sua per testes : nec Judex , privatâ scientiâ certus Annam non esse uxorem Petri , potest ferre sententiam , quâ Petrus ad ipsam accedere teneatur , licèt in iudicio Anna probata fuerit uxor Petri ; ergo à pari , quando Scriptura dicit : *Insontem & justum non occides , quia aversor impium* , vetat occisionem innocentis , etiam in iudicio probati nocentis , nec Judex privatâ scientiâ certò sciens innocentiam ipsius , sententiam ferre potest , ut occidatur. Ideò enim Judex non potest ferre sententiam , quâ Petrus teneatur accedere ad Annam in casu proposito , quia hoc est intrinsecè malum ; atqui insontem occidere , pariter est intrinsecè malum ; ergo.

*Dices* 1°. Judex non iudicat ut persona privata , sed ut publica nomine Reipublicæ ; ergo in iudicando non potest sequi privatam scientiam , sed publicam.

*Resp. dist. ant.* Iudicat ut persona publica , in his in quibus à Republicâ potestatem habet , *conc.* in quibus non habet , *nego.* Respublica autem nec potuit , nec voluit Judici conferre potestatem occidendi innocentem , cùm hoc sit intrinsecè malum , juxta illud Exod. 23. v. 7. *Insontem & justum non occides , nec in iudicio , plurimorum acquiesces sententiæ ut à vero devies.*

*Dices* 2°. Ex. D. Ambrosio , Serm. 20. in Psal.



118. *Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta Leges & Jura pronuntiat; ergo.*

*Resp. dist.* Juxta Leges & Jura pronuntiat, cum de facto pronuntiat; *conc.* cum non pronuntiat, *nego.* In præfenti etenim casu nullatenus debet pronuntiare, sed (quod notandum pro praxi) tenetur omnes inire vias quibus possit innocentem liberare, v. g. impediendo accusationem; vel testes per varia intervalla examinando, & minis terrendo; vel judicium protrahendo; & si his omnibus viis non possit eum liberare, debet causam ad superiorem Judicem remittere, & apud eum assumere officium testis, ut possit liberationem innocentis urgere.

*Inst. 1º. D. Thom. q. 67. art. 2. dicit: Judicare pertinet ad Judicem secundum quod fungitur publicâ potestate . . . & idè informari debet in judicando, non secundum quod ipse novit tanquam persona privata; sed secundum quod sibi innotescit tanquam personæ publicæ . . . per instrumenta & testes . . . quæ debet in judicando sequi, magis quam quod ipse novit tanquam persona privata; ergo.*

*Resp. dist. ant.* Debet Judex judicare secundum quod ipsi innotescit tanquam personæ publicæ; quando judicat, *conc.* quando non judicat, *nego ant.* Non ergo amplius dicit ibi D. Thomas, nec ipsi contradicimus dicendo, quod, ubi agitur de occisione, vel mutilatione innocentis, nec inductas probationes jure potest repellere, potius abstinere debeat à judicio, quam innocentem certò cognitum, ad mortem condemnare contra prohibitionem divinam.

*Inst. 2º.* Atqui Judex, in casu proposito, tenetur judicare; ergo.

*Prob. ant. Ex Cap. Pastoralis*, de officio & auctoritate Judicis delegati, ubi dicitur, quòd Judex delegatus exequi debeat sententiam, quam ipse novit injustam; ergo.

*Resp. nego consequ.* Quia ibi sermo non est de occisione vel mutilatione, sed de causâ merè Ecclesiasticâ; imò nec de Judice, sed de mero executore.

*Inst. 3<sup>o</sup>.* Sacerdos dare debet Eucharistiam peccatori occulto, eam publicè petenti; ergo Judex debet ad mortem damnare innocentem occultum, publicè probatum nocentem.

*Resp. nego consequ.* Disparitas est, quòd ministratio Eucharistiæ non sit intrinsecè mala, prout est occisio innocentis; imò esse licitam in casu proposito probat exemplum Christi, qui in ultimâ coenâ, Eucharistiam Judæ indignè suscipienti ministravit; & sicut non concurret ad irreverentiam Judæ, ad quam se permissivè tantum habuit, ita nec Sacerdos in pari casu; cùm econtrâ Judex, innocentem damnando ad mortem, ad eam certissimè concurret, se que habet activè mandando, non permissivè duntaxat.

*Inst. 4<sup>o</sup>.* Deus jubet ut ad mortem damnetur, qui per testes in judicio probatus fuerit nocens, juxta illud Deut. 17. *In ore duorum vel trium peribit, qui interficietur*; ergo.

*Resp. nego ant.* Sensus enim textûs est, quòd nullus ad mortem possit damnari, nisi reus probetur per testimonium duorum vel trium, nec ad hoc sufficiat unius solius testimonium; undè immediatè additur: *Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium.*

## CAPUT SECUNDUM.

*De Accusatore, Denuntiatore, & Testibus.*

*Nota.* **A** *ccusator*, est is qui crimen defert Judici ad vindictam cum obligatione crimen probandi.

*Denuntiator*, est is qui crimen defert Judici ad rei emendationem, sine obligatione illud probandi.

*Testis*, est is qui asseveratione suâ, rei fidem facit. *Testis idoneus*, est is cui nihil opponi potest, quominus fides ei adhibeatur. Vocatur *Omni exceptione major. Testis minus idoneus*, est is cui aliquid opponi potest, quominus fides ei adhibeatur.

Quæres 1°. *Quanam sunt dotes accusatoris?*

*Resp. Sunt duæ. 1°. Veracitas*, quâ deterreatur ab accusatione, & probationibus falsis, vel dubiis. 2°. *Justitia*, quâ ab injustis deterreatur molitionibus, v. g. testes falsos adhibendo, Judices corrumpendo, aut de eorum justâ sententiâ injustè appellando; quæ omnia sunt peccata mortalia ad restitutionem obligantia.

Quæres 2°. *An quis, & quo titulo, teneatur accusare, vel denuntiare?*

*Resp. 1°. Officiales justitiæ tenentur ex justitiâ denuntiare delinquentes; quia tenentur ex officio: tales sunt Fiscalis, custodes agrorum, nemorum, &c.*

*Resp. 2°. Privati tenentur ex charitate denuntiare, 1°. Quando crimen in malum Reipublicæ vergit. Talia sunt, hæresis, proditio,*



crimen læsæ Majestatis , veneficium , &c. 2<sup>o</sup>.  
 Dùm id necessarium est ad avertendum grave  
 damnum innocentis , quamvis indè grave ma-  
 lum impendat reo ; quia innocens præferri de-  
 bet reo voluntariè nocenti.

Quæres 3<sup>o</sup>. *Quot sunt obligationes testium ?*

*Resp. sunt duæ. 1<sup>a</sup>. Testificari , dùm à legi-  
 timo Judice legitimè sunt interrogati , exceptis  
 quibusdam casibus.*

*Dixi 1<sup>o</sup>. Legitimè interrogati : id est , dùm de  
 auctore delicti præcessit infamia ; vel dùm sunt  
 sufficientia indicia , aut semi-probatio ; vel dùm  
 grave malum impendet Reip. aut alicui privato ,  
 quod aliâ ratione , quàm per Judicem , averti  
 nequit.*

*Dixi 2<sup>o</sup>. Exceptis quibusdam casibus : non enim  
 tenentur testificari*

1<sup>o</sup>. Qui delictum norunt ex confessione Sa-  
 cramentali.

2<sup>o</sup>. Qui delictum norunt sub secreto naturali ,  
 consilii vel auxilii petendi gratiâ , ut Advocatus ,  
 Medicus , Obstetrix : modò tamen crimen  
 sit præteritum , non autem futurum , dùm nempè  
 avertendum est grave damnum imminens com-  
 munitati , vel privato innocenti.

3<sup>o</sup>. Qui crimen per injuriam illatam cogno-  
 verunt , v. g. Litteras aperiendo ; aliàs conti-  
 nuaretur , imò augetur injuria.

4<sup>o</sup>. Qui delictum acceperunt à viris non fide  
 dignis , nam testificatio esset inutilis.

5<sup>o</sup>. Qui est consanguineus vel affinis delin-  
 quenti usque ad quartum gradum. cap. *Si testes* ,  
 4. q. 3. Tùm quia bonum commune requirit ,  
 ut vitentur dissentiones in familiis ; tùm quia

ordinariè id fieri nequit, sine gravi damno revelantis, ob conjunctionem; cui damno non tenetur se exponere, ut testificet.

2a. *Obligatio est, ut verum absque furo testetur, Testis enim mendax peribit*, Prov. 21. nam præter perjurium, peccat contra justitiam, & tenetur resarcire omnia damna inde secuta; imò tenetur revocare testimonium cum pari suo damno, & periculo etiam vitæ, si accusatus de eâ periclitetur, & retractatio putetur profutura, quia per injuriam est causa damni & periculi alterius, & *In pari causâ melior est conditio innocentis.*

Quæres 4°. *Quinam testes jure non sunt idonei?*

*Resp.* Non sunt idonei. 1°. Mulier in criminalibus, jure Canonico, cap. 10. de verbor. signif. sed in jure Civili in omni causâ admittitur. L. 18. ff. de testib. 2°. Minor viginti annis. 3°. Inimicus rei. 4°. Domestici accusatoris. 5°. Infames. 6°. Perjuri. 7°. Persona vilis & inops, de quâ suspicio est facilè posse corrumpi, secus si honesta sit. Hæc omnia constant. ex l. 3. 20. 21. & 24. ff. de testibus.

## C A P U T T E R T I U M.

### *De Reo.*

*Nota.* **R**EUS, est is qui criminis causâ convenitur.

Quæres 1°. *An reus, à Judice interrogatus, teneatur crimen suum fateri?*

*Resp.* Juxta D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. & probabiliorem sententiam, reus à legitimo judice juridicè interrogatus, tenetur sub mortali ve-

ritatem & crimen suum fateri , etiamsi morte plectendus sit. Quia Judex habet jus interrogandi & exigendi veritatem ob bonum publicum , ut fatentur oppositæ sententiæ patroni ; ergo fateri coguntur , reum teneri Judici veritatem fateri , nisi sibi ipsis contradicere velint : Nam jus in Judice ad interrogandum reum , exigendamque ab eo veritatem , & obligatio in reo ad illam clarè detegendam , sunt duo correlativa , quorum unum sine alio esse nequit ; ergo.

*Dices 1º.* Lex humana non obligat cum periculo vitæ ; ergo longè minùs præceptum judicis.

*Resp. nego consequ.* Disparitas est , quòd Legislator humanus nec potest , nec vult legem suam obligare cum periculo vitæ ; econtrà Judex verè potest , & de facto vult præcipere reo semi-plenè convicto , ut veritatem cum periculo vitæ fateatur. Ratio est , quia bonum commune exigit , ut crimina puniantur , & reus juridicè interrogatus verum fateatur : alioquì multa crimina manerent impunita , undè facile puldarent cum magno Reipublicæ damno.

*Dices 2º.* Testes , etiam cum juramento & juridicè interrogati , veritatem dicere non tenentur , si indè sibi , aut suis , grave damnum timeant ; ergo multo minùs reus contra seipsum in mortis periculo.

*Resp. nego consequ.* Disparitas est , quòd Testes sint innocentes , non autem reus , ob crimen jam semiplenè probatum.

*Dices 3º.* Nemo tenetur arma contra seipsum præbere ; ut colligitur Lege , *grave nimis* , Cod. de testibus.

*Resp.*



*Resp. dist. ant.* Non tenetur, dùm injustè impugnatur, *conc.* dùm justè, *nego.* Reus autem, à legitimo Judice legitimè interrogatus, justè impugnatur, nec per injustam inobedientiam, perjurium & mendacium, seipsum defendere potest. Caput, *Grave nimis*, dicit tantùm, reum non teneri adhibere testes contra se, ut habet glossa, ibidem.

Quæres 2°. *An reus, de complicibus interrogatus, teneatur ipsos detegere?*

*Resp.* Tenetur ipsos detegere, si de ipsis legitimè interrogetur, propter rationem suprâ allatam; si autem non interrogetur legitimè, non tenetur eos patefacere, quia tunc Judex non habet jus interrogandi.

Legitimè reus interrogatur de complicibus, 1°. cùm de illis præcessit infamia, vel indicia sufficientia, vel semi probatio. 2°. Dùm crimen ejus, necessariò complicem requirit. 3°. Dùm crimen, quod est Reipublicæ valdè noxium, vel etiam alicui innocenti, aliter impediri non potest; hæc omnia colliguntur ex Jure, Cod. de accusat.

Quæres 3°. *An reus teneatur justæ sententiæ parere?*

*Resp. affirm.* Quia Judex habet jus puniendi reum; ergo reus tenetur obtemperare ejus sententiæ; sunt enim duo correlativa, quæ simul esse necesse est.

Hinc 1°. legitimè ad mortem damnatus, non potest se defendere contra Judicem & executores sententiæ; quia resisteret potestati, *Qui autem potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Rom. 13.

2°. Reus, tam in causis civilibus, quàm in criminalibus, graviter peccat, si causâ repellendæ, vel differendæ justæ sententiæ, ad superiorem Judicem appellet, tunc enim, Judici rectè judicanti, & actori, injuriam infert.

3°. Tenetur pœnam, justâ Judicis sententiâ decretam, in seipso exequi, dum nimis gravis non est; talis est pœna carceris, vel exilii ad tempus, item pœna pecuniaria.

Dixi, *Dùm nimis gravis non est*: siquidem pœnam gravem, v. g. perpetui carceris, mutilationis, aut mortis, nullus in seipsum exequi tenetur. Ratio est, quia hæ pœnæ crudelitatem habent, ex hoc præcisè, quòd à reo executioni mandentur, undè egent executione alteriûs. Sed

Quæres 4°. *An licitum est reo fugere ad vitandam mortem, vel mutilationem?*

*Resp. affirm.* Quia non conjicitur in carcerem, ut ibi spontè maneat, sed ut ibi detineatur . . . . Nec refert, quòd ex fugâ illâ custos carceris grave damnum passurus sit; quia utenti jure suo, nihil imputatur ad culpam.

*Resolv.* Qui ad mortem, vel multilationem, justè etiam, damnatus est, potest ( secluso scandalo & juramento ) vincula rumpere, & carcerem effringere: quia cui licitus est finis, licita sunt media; ergo, cùm licita sit fuga, licitum est etiam impedimenta ad fugam remove.



## CAPUT QUARTUM.

*De Advocato, Referente, Procuratore, Notario  
& Apparitore.*

## CONCLUSIO.

**H**I omnes tenentur ex justitiâ, 1°. Habere competentem scientiam, quâ unusquisque suum munus valeat debitè exercere... Hinc si defectu peritiæ debitæ, sint causa damni, tenentur illud resarcire, cum erga illos *imperitia, culpæ adnumeretur*. Lege 174. ff. de reg. Juris. 2°. Justitiam in omnibus sectari; sunt enim instituti justitiæ ministri, ut in omnibus justitiam partibus administrent.

Quæres: *In quibus hi omnes peccant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur?*

*Resp.* 1°. *Advocatus & Procurator* peccant contra justitiam.

1°. Quando causam, quam noverunt injustam, defendunt, & de ejusdem injustitiâ clientes non monent.

2°. Quando periculum litis amittendæ non indicant clienti, qui, eo cognito, non fuisset litigaturus.

3°. Quando, in processu causæ, iniquitatem deprehendentes, non monent clientem ut desistat, nec ipsi eam deserunt, licet prius justam putaverint; nam aliàs scienter injustitiam tue-  
rentur.

4°. Quando causæ expeditionem, cum damno clientis, differunt.



5°. Quando secreta causæ , adversæ parti detegunt , item qui utrique parti serviunt.

6°. Quando , in causâ manifestè justâ , clientem ad injustam compositionem inducunt , ut adversæ parti faveant.

7°. Quando clienti , justè damnato , suadent , ut de sententiâ latâ appellent.

8°. Quando accipiunt pretium , justo majus.

*Resp.* 2°. *Referens* peccat & tenetur restituere ,

1°. Dùm defectu studii , & diligentix , pro qualitate causæ requisitæ , malè refert , aut aliquid substantiale omittit.

2°. Dùm conatur jus unius , magis quàm alterius exponere.

3°. Dùm secretum uni manifestat , in præjudicium alterius.

*Resp.* 3°. *Notarii* peccant , & tenentur restituere.

1°. Dùm sine causâ , instrumenta conficere renuunt , vel non exhibent justè petentibus , ex quo damnum percipiunt.

2°. Dùm sincerè omnia , prout se habent , non scribunt , v. g. cùm aliquid addunt vel detrahunt.

3°. Dùm in scriptis suis , clausulas ambiguas , quæ litis materiam subministrent , inserunt.

4°. Dùm acta & instrumenta negligenter custodiunt , cum periculo damni partium.

5°. Dùm conficiunt instrumenta falsa , usuraria , & injusta.

6°. Dùm testamentum , vel alium contractum hominis usu rationis destituti , suscipiunt.

7°. Dùm testes falsos admittunt.

8°. Dùm solemnitates , in contractibus necessario requisitas , ex ignorantia , vel negligentia , aut malitia prætermittunt.

*Resp.* 4°. *Scriba peccat contra justitiam.*

1°. *Dùm juramentum, aut secretum violat.*

2°. *Dùm processus, aut sententias diligenter non custodit.*

3°. *Dùm testimonia non fideliter transcribit.*

*Resp.* 5°. *Apparitores peccant.*

1°. *Dùm juramentum, aut secretum violant, in præjudicium partis.*

2°. *Dùm aliquem deprehendere jussi, ve ejus bona, spe muneris, vel alio motivo, moment ut sibi caveat.*


3°. *Dùm plura negotia expedientes in eodem loco, vel eodem die, tantumdem pro singulis exigunt, quantùm pro diversis itineribus, vel pro diversorum dierum expeditionibus.*

4°. *Dùm falsum in actis suis enuntiant.*

5°. *Dùm, præscripto tempore, acta juridica, sibi commissa, non conficiunt, ex quo damnum partibus emergit.*

6°. *Dùm tempus necessarium ad facienda acta juridica non concedunt.*

7°. *Dùm, commissionum suarum occasione, pauperes vexant, & in eos violentias exercent.*



## DISSERTATIO V.

*De obligationibus Regum & Magistratum, Ducum & Militum.*

Quæres 1°. *Quanam sunt obligationes Regum & Magistratum?*

*Resp.* Tres assignantur præcipuæ.

1°. *Ut divinas leges, & Religionem, auctoritate suâ tueantur; quia ad hoc præcipuè sunt à Deo constituti.*

Hinc peccant, qui diebus Dominicis & Festivis officinas aperiri, choreas publicas agi, nundinas haberi, vinum, divinorum Officiorum tempore, à cauponibus ministrari permittunt.

2°. Ut populi sibi commissi, incolumitati diligenter invigilent.

Hinc peccant, qui populum tributis gravioribus onerant, qui res ad victum & vestitum necessarias, nimio pretio vendi permittunt.

3°. Ut justitiam, tum vindicativam in criminibus puniendis, tum distributivam in oneribus & officiis distribuendis, inviolabiliter servent.

Quæres 2°. *Quænam sunt obligationes Ducum belli, & militum?*

*Resp. Sunt tres: 1<sup>a</sup>. Est fidelitas & obedientia erga Principem, & militiæ Præfectos.*

Hinc 1°. *Duces belli* peccant contra justitiam,

1°. Qui militiæ secreta revelant.

2°. Qui suorum militum numerum non complent, dum possunt & debent.

3°. Qui, in recensione copiarum, extraneos non milites (gallicè *Passe-volans*) supponunt.

4°. Qui militibus debitum stipendium retinent, aut annonam jam corruptam ministrant.

Hinc 2°. *Milites* peccant, 1. Qui stationem suam non servant, quam sub vitæ periculo tenentur servare. 2°. Qui ad partes inimicorum transeunt.

2<sup>a</sup>. *Obligatio*, Est charitas & mansuetudo erga Populos, pro quibus militant.

Hinc peccant contra justitiam milites, qui ab hospitibus suis quiddam auferunt vel extorquent; & Duces, qui similia permittunt, nec restituere cogunt.



3<sup>a</sup>. *Obligatio*, Est ut fidem & justitiam erga hostes servant.


Hinc peccant Duces & milites.

1<sup>o</sup>. Qui fidem datam non servant, aut fraudulenter interpretantur.

2<sup>o</sup>. Qui non imperati, damna hostibus inferunt.

3<sup>o</sup>. Qui directè occidunt innocentes, v. g. pueros, mulieres, &c.

4<sup>o</sup>. Qui contributiones exigunt ab urbibus hostilibus, quæ summâ pecuniariâ Principi, vel Duci solutâ, redemerunt omnem actionem.



DISSERTATIO VI.

*De Obligationibus Medicorum, Pharmacopolarum, & Chirurgorum.*

CONCLUSIO.

**H**orum omnium tres sunt obligationes.

1<sup>a</sup>. Ut habeant scientiam & peritiam sufficientem.

Hinc Medici & alii, qui hanc artem imperiti exercent, peccant mortaliter, tenenturque damna, ex suâ imperitiâ orta, resarcire.

2<sup>a</sup>. Ut fideliter suam artem exercent.

Hinc contra fidelitatem peccant.

1<sup>o</sup>. Qui debitam curam & operam, pro gravitate morbi, non impendunt.

2<sup>o</sup>. Qui medicamenta dubia, relictis certioribus, adhibent.

3<sup>o</sup>. Qui, ad ditandos Pharmacopolas, remedia inutilia præscribunt.

4°. Qui curationem protrahunt , majoris lucri causâ.

5°. Qui occultos morbos pudendos , eorum quos curant , divulgant.

6°. Qui stipendium injustum extorquent.

3a. Ut artem suam , cum pietate , religione , & charitate exercent.

Hinc graviter peccant contra has virtutes.

1°. Qui mediis illicitis utuntur ad procurandam sanitatem, v. g. ebrietate, pollutione, &c.

2°. Qui sine justâ causâ, à jejunio & abstinentiâ ægros solvunt.

3°. Qui ægros non monent de periculo mortis, ut suæ salutis æternæ maturè providere possint; hoc districtè præcipitur in Concil. Later. IV. cap. *Cum infirmitas*, De Pœnit.

4°. Qui medicamenta, ad procurandum abortum mulieri gravidæ præbent, ne ipsa pereat.

5°. Qui pauperibus, graviter ægrotantibus, gratis opitulari recusant.

6°. Qui ut peritiam suam extollant, collegis suis detrahunt; in hoc casu peccant contra justitiam.

*FINIS TOMI IV.*



# I N D E X

## TITULORUM TOMI QUARTI.

### T R A C T A T U S

### D E A C T I B U S H U M A N I S

DISSERT. I. <b>D</b> E Actibus Humanis secundum se , Pag. 3	
Cap. I. De fine Actuum humanorum , ibid.	
Quæst. I. De fine ultimo hominis in communi ,	5
Art. I. De effectibus finis ,	ibid.
§. I. De Electione ,	9
§. II. De fruitione ,	12
Art. II. An quidquid deliberatè vult homo , illud velit propter finem ultimum ?	14
Art. III. Utrùm homo possit simul intendere plures fines ultimos ?	17
Quæst. II. De verâ hominis beatitudine ,	19
Art. I. De beatitudine hominis objectivâ ,	20
Art. II. De beatitudine formali hominis ,	24
§. I. De beatitudine formali vitæ ,	ibid.
§. II. De beatitudine formali patriæ ,	26
Art. III. De dotibus Animæ beatæ ,	32
Art. IV. De dotibus Corporis beati ,	34
Cap. II. De naturâ actuum humanorum ,	38
Quæst. I. De voluntario ,	39
Quæst. II. De involuntario & ejus causis ,	44
Art. I. An & quomodo violentia causet involuntarium ?	45
Art. II. An & quomodo metus causet involuntarium ?	49
Art. III. An & quomodo concupiscentia causet invo- luntarium ?	52
Art. IV. De involuntario per ignorantiam ,	56
§. I. Circa quæ detur ignorantia invincibilis ?	58
§. II. An & quomodo ignorantiam causet involuntarium ?	67
Quæst. III. De voluntario libero , seu de libertate ,	79



# INDEX TITULORUM.

Cap. III. <i>De moralitate actuum humanorum,</i>	109
Quæst. I. <i>Quot, &amp; quænam sint species moralitatis?</i>	111
Art. I. <i>Utrum detur actus humanus indifferens, id est, qui nec bonus, nec malus sit moraliter?</i>	ibid.
Art. II. <i>Utrum actus externus, actus interni bonitatem, vel malitiam augeat; ita ut melior sit actio illius qui eleemosinam dat de facto, quam ejus qui eam dare vult, &amp; non potest defectu facultatis vel occasionis?</i>	120
Quæst. II. <i>Quot &amp; quænam sint moralitatis principia?</i>	124
Art. I. <i>An &amp; quomodo actus humanus moralitatem desumat ex objecto?</i>	ibid.
Art. II. <i>An &amp; quomodo actus humanus moralitatem desumat à fine operantis?</i>	122
Art. III. <i>An &amp; quomodo actus humanus moralitatem desumat ex circumstantiis?</i>	124
Quæst. III. <i>Quænam sint affectiones moralitatis?</i>	ibid.
Quæst. IV. <i>Quænam sit moralitatis prima regula?</i>	136
DISSERT. II. <i>De Conscientiâ,</i>	145
Cap. I. <i>De Conscientiâ verâ &amp; erroneâ,</i>	147
Cap. II. <i>De conscientiâ scrupulosâ &amp; latâ,</i>	161
Cap. III. <i>De Conscientiâ certâ &amp; dubiâ,</i>	167
Art. I. <i>An Conscientia dubia sit regula morum</i>	169
Art. II. <i>Quo principio Conscientia dubia possit deponi, &amp; fieri moraliter certa?</i>	171
Art. III. <i>Nonnulli casus circa dubia resolvuntur ex supra dictis principiis,</i>	178
Cap. IV. <i>De Conscientiâ, seu opinione probabili &amp; improbabili,</i>	181
Quæst. I. <i>Utrum liceat sequi opinionem probabilem, hominis libertati faventem, in concursu probabilioris, vel saltem æquè probabilis quæ favet legi?</i>	185
Quæst. II. <i>Utrum liceat sequi opinionem probabilioris, quæ favet libertati, in concursu minùs probabilis, quæ favet legi?</i>	206

# INDEX TITULORUM.

## TRACTATUS DE LEGIBUS.

DISSERT. I. <i>DE Legibus in communi,</i>	211
Cap. I. <i>Quid sit Lex?</i>	212
Cap. II. <i>An promulgatio sit de essentiâ Legis?</i>	220
Cap. III. <i>An Lex prout in Legislatore spectatur, in actu intellectûs, vel voluntatis, formaliter consistat?</i>	224
DISSERT. II. <i>De Legibus in particulari,</i>	227
Cap. I. <i>De Lege æternâ,</i>	228
Cap. II. <i>De Lege naturali,</i>	232
Quæst. I. <i>Quodnam sit objectum juris naturalis?</i>	234
Quæst. II. <i>An Lex naturalis possit pati mutationem, aut interpretationem?</i>	238
Quæst. III. <i>An Lex naturalis possit admittere dispensationem?</i>	240
Cap. III. <i>De Lege positivâ Divinâ,</i>	247
Quæst. I. <i>De Lege veteri, seu Mosaicâ,</i>	ibid.
Quæst. II. <i>De Lege Evangelicâ,</i>	265
Art. I. <i>An Lex Evangelica sit vera Lex?</i>	266
Art. II. <i>In quo Lex Evangelica conveniat &amp; differat à Lege veteri?</i>	271
Cap. IV. <i>De Lege humanâ,</i>	272
Quæst. I. <i>De naturâ Legum humanarum,</i>	273
Art. I. <i>An &amp; quibus hominibus competat potestas ferendi Leges?</i>	ibid.
Art. II. <i>Quanam sit materia Legum humanarum?</i>	281
§. I. <i>An Lex humana possit præcipere actus internos?</i>	ibid.
§. II. <i>Utrum modus, finisq; Legis, cadant sub præcepto?</i>	287
Art. III. <i>Qualis esse debeat promulgatio Legum humanarum?</i>	290
Art. IV. <i>An, ut Lex humana obliget, requiratur consensus, sive acceptatio populi?</i>	294
Art. V. <i>Quinam Legibus humanis teneantur?</i>	298
§. I. <i>Utrum Legislator suis Legibus obligetur?</i>	299
§. II. <i>An Clerici Legibus civilibus obligentur?</i>	303

# INDEX TITULORUM.

§. III. <i>An peregrini, advenæ &amp; vagi teneantur Legibus?</i>	304
Art. VI. <i>Quæ sit formalis legum humanarum obligatio?</i>	310
§. I. <i>An Leges humanæ obligent in conscientiâ?</i>	ibid.
§. II. <i>Proponuntur &amp; solvuntur nonnullæ quæstiones circa obligationem formalem Legum humanarum,</i>	318
Quæst. II. <i>De variis speciebus Legum humanarum,</i>	326
Art. I. <i>De Lege scriptâ,</i>	ibid.
§. I. <i>De Jure civili,</i>	ibid.
§. II. <i>De Jure Ecclesiastico, seu Canonico,</i>	328
Art. II. <i>De Lege consuetudinariâ,</i>	333
Art. III. <i>De Lege favorabili, seu de Privilegiis,</i>	339
Art. IV. <i>De Lege pœnali,</i>	344
§. I. <i>An dentur Leges purè pœnales aut mixtæ?</i>	345
§. II. <i>An Leges pœnales obligent ad subeundam pœnam ante sententiam Judicis declaratoriam?</i>	350
Art. V. <i>De Lege irritante,</i>	353
Quæst. III. <i>De cessatione Legum humanarum,</i>	355
Art. I. <i>De interpretatione Legum humanarum,</i>	356
Art. II. <i>De dispensatione à Legibus humanis,</i>	360
Art. III. <i>De derogatione, abrogatione &amp; irritatione Legis,</i>	372
APPEND. <i>De præcipuis ac communioribus Ecclesiæ præceptis,</i>	373
Art. I. <i>De auditione Missæ,</i>	374
Art. II. <i>De sanctificatione Festorum,</i>	382
§. I. <i>De operibus diebus Festis exercendis,</i>	383
§. II. <i>De operibus vetitis die festivâ,</i>	384
Art. III. <i>De Jejunio &amp; Abstinentiâ,</i>	394

---



---

## TRACTATUS DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS.

DISSERT. I. <b>D</b> E <i>Obligationibus Clericorum,</i>	404
Cap. I. <i>De Obligationibus generalibus Clericorum,</i>	ibid.



# INDEX TITULORUM.

Cap. II. De Obligationibus Beneficiatorum ,	412
Quæst. I. De Horis Canonicis ,	ibid.
Quæst. II. De Beneficiis ,	431
Art. I. De naturâ & divisione Beneficiorum ,	ibid.
Art. II. De variis modis , seu titulis , Beneficium ac- quirendi ,	433
§. I. De Collatione liberâ ,	434
§. II. De Præsentatione , & subsequâ institutione ,	436
§. III. De electione & subsequâ Confirmatione ,	438
§. IV. De postulatione , & subsequâ admissione ,	439
§. V. De Resignatione ,	ibid.
§. VI. De Permutatione ,	441
§. VII. De Subrogatione ,	443
APPEND. De Pensionibus ,	444
Art. III. De his quibus Beneficia debent conferri ,	445
Art. IV. De Bonorum Ecclesiasticorum usu , & domi- nio ,	449
Art. V. De Beneficiorum pluralitate ,	454
Art. VI. De Beneficiariorum residentiâ ,	458
Quæst. III. De Simoniâ ,	461
Art. I. De naturâ , malitiâ & divisione Simoniæ ,	ibid.
Art. II. De modis quibus Simonia committi potest ,	466
§. I. De Simoniâ in vendendis temporalibus spirituali annexis ,	ibid.
§. II. De Simoniâ circa Missarum celebrationem , & Sacramentorum administrationem ,	467
§. III. De Simoniâ circa Religionis ingressum ,	469
§. IV. De Simoniâ circa varios modos ambiendi & conferendi Beneficia ,	470
§. V. De Simoniâ circa resignationes & permutationes ,	471
§. VI. De Simoniâ in Transactionibus & compositio- nibus ,	472
Art. III. De pænis Simoniæ ,	475
§. I. De pænis Simoniæ in ingressu Religionis perpe- trata ,	476
§. II. De pænis Simoniæ in Ordinatione perpetrata ,	ibid.
§. III. De pænis Simoniæ in Beneficiis commissæ ,	477
DISSERT. II De Obligationibus Religiosorum ,	481
Cap. I. De naturâ & essentiâ Statûs Religiosi ,	482
Cap. II. De Religionis ingressu & Novitiatu ,	484
Cap. III. De Professione Religiosâ ,	487

# INDEX TITULORUM.

Cap. IV. De Professorum obligationibus ,	493
Quæst. I. De obedientiâ Religiosâ ,	ibid.
Quæst. II. De Castitate Religiosâ ,	495
Quæst. III. De Paupertate Religiosâ ,	ibid.
Cap. V. De Religionis egressu ,	502
Cap. VI. De Prælaturis Religiosis ,	505
Cap. VII. De variis quæstionibus Regularium ,	506
DISSERT. III. De Obligationibus Parentum erga liberos & inferiorum erga Superiores , & vicissim ,	510
Cap. I. De obligationibus Parentum erga liberos , & vicissim ,	511
Cap. II. De obligationibus Tutorum , Curatorum , Minorum , &c.	514
Cap. III. De Obligationibus dominorum & famulo- rum erga se invicem ,	516
Cap. IV. De Obligationibus Magistrorum & disci- pulorum ,	517
DISSERT. IV. De Obligationibus Personarum judi- cialium & forensium ;	518
Cap. I. De Judice ,	ibid.
Cap. II. De Accusatore , Denuntiatore , & Testibus ,	525
Cap. III. De Reo ,	527
Cap. IV. De Advocato , Referente , Procuratore , Notario & Apparitore ,	531
DISSERT. V. De Obligationibus Regum & Magistra- tuum , Ducum & Militum ,	533
DISSERT. VI. De Obligationibus Medicorum , Phar- macopolarum & Chirurgorum ,	535

Finis Indicis Tomi quarti.













